


R. P. IOANNIS FAII
ABBATIS S. BAVONIS,
MANIPVLVS EXEMPLORVM,
QVI MAGNI SPECVLI EST
TOMVS SECVNDVS,
VIRTVTVM VITIORVMQVE SERIE DIGESTVS.

Indicatis ex fide singulorum auctoribus, & titulorum copiosissimo indice

Editus nunc primum in lucem è Belgicis mss. IIII. perantiquis Benedictinorum Bibliothecis, VEDASTINA, ELNONENSI, S. AMANDI, & HASNONIENSI.

Operâ & studio D. MAXIMILIANI THIEVLAINE *Religosi Vedastini.*



DVACI,
Ex Officina BALTAZARIS BELLERI, Typographi iurati, sub Circino aureo. ANNO 1614.
CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

AMPLISSIMO DOMINO

RELIGIOSISSIMOQVE PATRI D. D.

PHILIPPO DE CAVEREL,

MONASTERII S. VEDASTI

PRÆSVLI DIGNISSIMO,

S. P. P.

PRÆCEPTVM olim fuit Iſraelitis vt ingreſſi terram Chanaam, demeſſa ſegete, quotannis MANIPVLOS ſpicarum, primitias frugum ad Sacerdotem deferrent. Id & mihi etiamnum in mandatis datum putaui, vt felicem Religionis terram lacte & melle diuinarum conſolationum ingreſſus, & Academicorum ſtudiorum ſtadium emenſus, aliquot laborum *Leuit. 27*

literariorum MANIPVLOS R. D. V. offerarem, dedicemque. Eccum in primis MANIPVLVM HISTORIARVM, quem velut in secundaria pauperum messe, post insignem ditiorum ingeniorum operam laborare pergens, inter Vedastinæ bibliothecæ vestræ codices, manu exaratos, reperi, lustraui, & insertis nonnullis notationum quas collegi, MANIPVLIS, quantum potui, illustraui. Non pauca in manuscriptis quæ mihi obtigerant, desiderari videbantur. Magna frequensque in nominibus auctorum permutatio: ex his etiam, vt & Scripturæ sacræ libris, locorum depromptorum rara & infida inscriptio, menda quam plurima, quæ vitio scribarum nonnunquam irrepere solent. Itaque accuratum opus eruditissimi auctoris ita defædatum indolui: Animus tum fuit pro affectu in Patrum nostrorum Benedictinorum memoriam, & in multorum vtilitatem, quæ ex operis istius editione accessura videtur, tentandi si quid tenuitas mea valeret in necessarijs auctorum & locorum indicibus, qui passim desiderabantur, supplendis, men-

dis

dis expurgandis, decenti denique nonnullarum notationum cultu adhibendo, vt qui hactenus solo nomine tantum non incognitus liber erat, in publicum compositè editus prodiret vsu ipso melior certe futurus. In hanc curam aliquot mensibus, mandato vestro & Paternæ vestræ benedictionis auxilio, incubui, quodque in me fuit operæ & laboris, contuli, atque modo quantulum, id est, R. D. V. cui vni post Deum, labores mei vt vltro deseruiant, apprimè decet, cuique filiorum suorum in sacris studijs collocatam operam maximè placere notum est, humillimè dicatum venio.

Accipe AMPLISSIME DOMINE iuxta ac Religiosissime mi Pater, abs humili Filio tuo, quantulum in hoc MANIPVLO defero & offero laboris ac obedientiæ R. D. V. ille vt studiorum sacrorum, & in libris peruetustis, nostrorum præsertim Patrum ab interitu vindicandis, collocatorum laborum Amantissimo Mecænati: isthæc vt Amplissimo Antistiti dudum deuota debetur? illum ni offeram ingratus: hanc ni

 præ-

præstem, impius merito iudicandus veniam: ne alterutrum incurram, vtrumque prę-sto & offero. Quà solet R. D. V. vultus serenitate, adiuuet, precor: atque dehinc diu nobis omnibus & Patriæ incolumis vt floreat, vnà cum bonis omnibus supplex Deum obnixè oro.

R. D. V.

Humillimus in Christo filius

Maximilianus Thieulaine.

SYLLABVS AVCTORVM QVI IN HOC MANIPVLO CITANTVR.

ADo.
Ælianus.
Æneas Siluius.
Æsopus.
Aimoinus Monachus Floriacensis.
Albertus Magnus.
Alexander Aiensis.
Alexander Necham.
Ambrosius.
Amphilochius.
Antoninus.
Appianus.
Appion.
Apuleius.
Aristoteles.
Aristophanes.
Arrianus.
Athanasius.
Athenæus.
Auctor de viris illustr.
Augustinus.
Aurelius Victor.
Bartholomæus Anglicus.
Beda.
Bernardus.
Boetius.
Bonauentura.
Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus.
Borcardus.
Calixtus Papa.
Callimachus.
Cassiodorus.
Cedrenus.
Cæsarius.
Cicero.
Claudianus.
Claudius de Rota.
Clemens Alexãdrinus.
Clemens Romanus.
Cornelius nepos.
Demochares.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
Dion Cassius.
Dionysius Areopagita.
Dionysius Halicarn.
Dorotheus.
Egesippus.
Epiphanius.
Euripides.
Eusebius Cæsariensis.
Eutropius
Flodoardus Rhemensis.
Francorum gesta.
Frontinus.
Fulgentius Ruspensis.
Gennadius.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Nyssenus.
Gregorius Turonensis.
Glycas.
Guilbertus Tornacensis
Iulielmus de Lozanna.
Gulielmus Malmesburiensis
Gulielmus Neubrigẽsis.
Hector Boetius.
Helinandus.
Heraclides anachoreta.
Herodotus.
Hieronymus.
Hincmarus Rhemẽsis.
Historia Scholastica.
Homerus.
Honorius.
Horatius.
Humbertus.
Hugo Floriacensis.
Hugo Ranulphus.
Hugo Victorinus.
Hugutio.
Iacobus de Vitriaco.
Iacobus de Voragine.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Beleth.
Ioannes Damascenus.
Ioannes Cassianus.
Ioannes Diaconus Card.
Ioannes Euiratus.
Ioannes Callensis
Ioannes Salesberiensis.
Ioannes Tritemius.
Ioannes Zonaras.
Iosephus Iudeus.
Irenæus.
Iulius Cæsar.

Iulius

SYLLABVS AVCTORVM.

Iulius Igneus
Iulius Obsequens.
Iuuenalis.
Iustinus.
Iuo Carnutensis.
Lactantius.
Leo ostiensis.
Liuius.
Lucianus.
Macrobius.
Martialis.
Martinus Polonus.
Matheus Paris.
Miletus.
Nicephorus.
Ouidius.
Palladius.
Paulus Diaconus.
Paulus Orosius.
Pausanias.
Petrus Alphontius.
Petrus Blesensis.
Petrus Damianus:
Petrus Diaconus.
Petrus Dorlandus.
Petrus de Natalibus.
Petrus Venerabilis.
Petronius Persius.
Philippus Bergomas.
Philo Iudaeus.
Plato.
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.
Polybius.
Polydorus Virgilius.
Pomponius Mela.
Probus.
Possidius.
Quinctilianus.
Rhegino.
Robertus Caquinus.
Ruffinus.
Rupertus.
Salustius. Seruius.
Sigebertus.
Simeon Metaphrastes.
Socrates.
Solinus.
Sophocles.
Sosomenus.
Strabo.
Statius.
Stephanus de Sampaye.
Stobaeus.
Sulpitius Seuerus.
Suetonius.
Tacitus.
Tertullianus.
Theodoretus.
Thomas Aquinas.
Tranquillus.
Trebellius Pollio.
Turpinus.
Valerius Maximus.
Varro.
Vegetius.
Velleius Paterculus.
Victor Vticensis.
Vincentius Belluacensis.
Vincentius Lerinensis.
Vita Patrum.
Xenophon.

INDEX

INDEX TITVLORVM
huius Manipuli Alphabeticus.

A.

c Auda-

Con-

Fin.

S. Pau-

PRÆFA-

PRÆFATIO AVCTORIS.

QVoniam, vt ait Gregor. in Dialog. lib. I. cap. I. sunt
nonnulli, quos ad amorē patriæ cælestis plus Exem-
pla, quā prædicamenta succendunt: (facilius quip-
pe capiuntur intellectu, memoriæ firmius imprimū-
tur, & à multis libentiùs audiūtur.) Eapropter, vt ab his, quo-
rum interest, prædicationibus & doctrinis alios ad virtutes in-
ducere, & à malo retrahere, absq; tædiosa librorum multitudine
magis præ manibus habeātur, de libris infra nominatis, (in qui-
bus quā plurium antiquorum Vitæ referūtur & actus) nobilio- al. nota-
ra, prout mihi videbatur, exempla recitādo collegi, & in vnum biliora.
redegi Manipulum. *Vocabula, sub quibus Exempla prætacta*
locaui, præponēs ipsis exēplis secundum ordinē Alphabeti: videli-
cet de Dialogo Gregorij, *continente quatuor libros, in quibus* B. Greg. Dialog.
quāplurium perfectorum virorū gesta, fide dignorū relatione sibi lib. 4.
narrata conscripsit. Item de libro Augustini *de ciuit. Dei. Item* S. Aug.
de libro Orosij, *qui intitulatur Ormesta de miseria mundi. Item* lib. 20. de ciuit.
de dialogo Seueri *cōtinente tres libros partiales, in quorū primo* Dei. Pauli
scripsit narrationē Posthumiani de factis quorundā antiquorū Orosij libr. 7.
Patrum in Ægypto, & quibusdā partibus Oriētis, in alijs duo- Sulpicij Seueri
bus narrationē Galli, de quibusdā factis & virtutibus B. Mar- Dialogi tres.
tini. Item de libro, qui dicitur Paradisus, *quem scripsit S.* Hera- Paradi-
clides *ad Lausum Episcopū, recitans* Vitas Patrū *sanctorum,* sus.
quos vel in Oriente viderat, vel alijs referentibus nouerat. Itē
de libro, qui dicitur Collat. Patrum, *quas scripsit* Ioannes Ioan.
Cassian. *& sunt in vniuerso vigintiquatuor: de quo dicitur in* Cassiā. Collat.
legenda S. Dominici, quod ipse in libro de Collationib. Patrum Patrum. & de in-
studiosissime legens, magnum perfectionis cumulū apprehendit. stitutione mo-
nachorū

Item de libro eiusdem Cassiani qui intitulatur de institutione Monachorum, & octo vitijs principalibus. Item de libris, qui Vitę Patrum *communiter appellantur, continentibus quasdam sanctorum Patrum vitas, exhortationes, atque sententias: quarum aliquas recitatas inueni in vigintiduobus libris partialibus distinctis, secundũ diuersas materias morales, de quibus agitur in eisdem, vt mox dicã. Alias autem Vitas Patrum atque sententias non reperi recitatas per libros prædicto modo distinctos, sed potius per Tractatus & legendas distinctas secundum personas, quarum actus & dicta recitantur in illis. Quapropter exempla ex eis tracta in hoc opere, nõ allego citando per libros, sed potius exprimendo personas, quarum dicta seu facta narrantur. Verbi gratia: In vita talis, vel talis Sancti, vel Patris, puta Antonij, Hilarionis, vel alicuius alterius, vel sub titulo de tali Sancto, vel Patre. Item de libro* Ioannis Salesberiensis, *qui* Policraticus *appellatur, in octo libros distincto, in quibus agit* De nugis curialiũ & vestigijs Philosophorum. *Item de libro, qui* Romana *dicitur* Historia, *continente vigintiquinque libros, quorum decem primos scripsit Eutropius, & reliquos quindecim Paulus Diaconus. Item de* Tripartita historia, *quam ex dictis trium scriptorum Græcorum, videlicet* Theodoreti *Episcopi, & duorum disertissimorum virorum* Sozomeni *scilicet, &* Socratis *per Epiphanium scholasticum in latinum translatis eloquium, cõpilauit Cassiodorus monachus, quondam senator. Item de* Ecclesiastica hist. *cuius nouẽ primos libros ab* Eusebio *Cæsariensi Episcopo Græco sermone conscriptos,* Rufinus *presbyter transtulit in latinũ; duos vero reliquos idem Rufinus edidit, nouem prædictis adiungens. Item de dialogo miraculorum, quem compilauit, & in duode-*

Ioã. Salisber. Polycraticus, de nugis curialiũ. Historia Romana. Eutropij li. 10. Pauli Diac. 15. Historia Tripart. colligẽte Cassiodoro: interprete Epiphanio. Eusebij Cæsar. Historiæ Eccles. libr. 9. Rufinus

cim distinctiones diuisit, Cęsarius *monachus Cistercienfis ordi-* Cæsar. monachus
nis. Item de libro Vincẽtii, *qui dicitur* Speculum historia- Miraculorum
le. *Item de pluribus alijs libris & opusculis, quorum authores* libr. 12.
& titulos in locis suis inferius exprimendos in hac præfatione conscripsit.
sigillatim exprimere tædiosum existeret. Ad intellectum autem Vincentij Belluacẽsis.
sequentium, septem notanda præmitto. Primò, quod vocabu- Specul.
la incipientia ab y *Græco, posui cum vocabulis incipientibus ab* Histor. 1.
i *latino, eisdem motiuis inductus & causis, quibus mouebatur*
Huguto, mixtim tractans de vocabulis incipientibus ab i *la-*
tino, & de incipientibus ab y *græco. Secundo præmitto, quod* 2.
vbi gratia breuitatis, recitando non propria verba librorum,
quos allego, sed eorum sententias, aliqua verba posui quæ non
habentur in textu librorum, ad hoc innuendum posui subtus li-
neam de incausto. Tertiò præmitto, quod non omnia infrascrip- 3.
ta de libris, in quibus originaliter inscribuntur, extraxi, sed ali-
qua pauca tantum de libris alijs, in quibus recitatiuè scribun-
tur: et specialiter de præfato Historiali Speculo. *Quarto præ-* 4.
mitto, quod in hoc opere allegando Augustinum in libris de ci-
uitate Dei, sequutus sum citationem capitulorum eorundem li-
brorum, quam præposui cuidam Collectioni florum dictorum li-
brorum Augustini, vbi sigillatim omnium dictorum capitulorũ
expressi principia. Quinto præmitto, quod quemlibet supradi- 5.
ctorum viginti duorum librorum continentium Vitas Patrum Vitę Patrum
ac sententias, *vt in eo quæsita facilius valeant inueniri, ex-* libris 22
cepto vltimo, qui est breuis, diuisi per partes, modo qui sequi- diuisæ.
tur. Primus siquidem liber, qui est de profectu Sanctorum I.
Patrum, *habet duas partes: prima incipit, interrogauit qui-*
dam; secunda: dixit Abbas Pastor quod custodire. Secundus li- II.

Item de libro eiusdem Cassiani qui intitulatur de institutione Monachorum, & octo vitijs principalibus. Item de libris, qui Vitę Patrum communiter appellantur, continentibus quasdam sanctorum Patrum vitas, exhortationes, atque sententias: quarum aliquas recitatas inueni in vigintiduobus libris partialibus distinctis, secundũ diuersas materias morales, de quibus agitur in eisdem, vt mox dicã. Alias autem Vitas Patrum atque sententias non reperi recitatas per libros prædicto modo distinctos, sed potius per Tractatus & legendas distinctas secundum personas, quarum actus & dicta recitantur in illis. Quapropter exempla ex eis tracta in hoc opere, nõ allego citando per libros, sed potius exprimendo personas, quarum dicta seu facta narrantur. Verbi gratia: In vita talis, vel talis Sancti, vel Patris, puta Antonij, Hilarionis, vel alicuius alterius, vel sub titulo de tali Sancto, vel Patre. Item de libro Ioannis Salesberiensis, qui Policraticus appellatur, in octo libros distincto, in quibus agit De nugis curialiũ & vestigijs Philosophorum. Item de libro, qui Romana dicitur Historia, continente vigintiquinque libros, quorum decem primos scripsit Eutropius, & reliquos quindecim Paulus Diaconus. Item de Tripartita historia, quam ex dictis trium scriptorum Græcorum, videlicet Theodoreti Episcopi, & duorum disertissimorum virorum Sozomeni scilicet, & Socratis per Epiphanium scholasticum in latinum translatis eloquium, cõpilauit Cassiodorus monachus, quondam senator. Item de Ecclesiastica hist. cuius nouẽ primos libros ab Eusebio Cæsariensi Episcopo Græco sermone conscriptos, Rufinus presbyter transtulit in latinũ; duos vero reliquos idem Rufinus edidit, nouem prædictis adiungens. Item de dialogo miraculorum, quem compilauit, & in duode-

Ioã. Salisber. Polycraticus. de nugis curialiũ. Historia Romana. Eutropij li. 10. Pauli Diac. 15. Historia Tripart. vi colligẽte Cassiodoro: interprete Epiphanio. Eusebij Cæsar. Historiæ Eccles. libr. 9. Rufinus duos adiecit.

cim distinctiones diuisit, Cęsarius *monachus Cisterciensis ordinis. Item de libro* Vincētii, *qui dicitur* Speculum historiale. *Item de pluribus alijs libris & opusculis, quorum authores & titulos in locis suis inferius exprimendos in hac præfatione sigillatim exprimere tædiosum existeret. Ad intellectum autem sequentium, septem notanda præmitto. Primò, quod vocabula incipientia ab* y *Græco, posui cum vocabulis incipientibus ab* i *latino, eisdem motiuis inductus & causis, quibus mouebatur Huguto, mixtim tractans de vocabulis incipientibus ab* i *latino, & de incipientibus ab* y *græco. Secundo præmitto, quod vbi gratia breuitatis, recitando non propria verba librorum, quos allego, sed eorum sententias, aliqua verba posui quæ non habentur in textu librorum, ad hoc innuendum posui subtus lineam de incausto. Tertiò præmitto, quod non omnia infrascripta de libris, in quibus originaliter inscribuntur, extraxi, sed aliqua pauca tantum de libris alijs, in quibus recitatiuè scribuntur: et specialiter de præfato* Historiali Speculo. *Quarto præmitto, quod in hoc opere allegando Augustinum in libris de ciuitate Dei, sequutus sum citationem capitulorum eorundem librorum, quam præposui cuidam Collectioni florum dictorum librorum Augustini, vbi sigillatim omnium dictorum capitulorũ expressi principia. Quinto præmitto, quod quemlibet supradictorum viginti duorum librorum continentium* Vitas Patrum ac sententias, *vt in eo quæsita facilius valeant inueniri, excepto vltimo, qui est breuis, diuisi per partes, modo qui sequitur. Primus siquidem liber, qui est* de profectu Sanctorum Patrum, *habet duas partes: prima incipit, interrogauit quidam; secunda: dixit Abbas Pastor quod custodire. Secundus liber,*

Margin notes: Cæsar. monachus Miraculorum libr. 12. conscripsit. Vincentij Beluacēsis Specul. Histor. — 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — Vitę Patrum libris 22 diuisæ. — I. — II.

Item de libro eiusdem Cassiani qui intitulatur de institutione Monachorum, & octo vitijs principalibus. Item de libris, qui Vitę Patrum *communiter appellantur, continentibus quasdam sanctorum Patrum vitas, exhortationes, atque sententias: quarum aliquas recitatas inueni in viginti duobus libris partialibus distinctis, secundũ diuersas materias morales, de quibus agitur in eisdem, vt mox dicã. Alias autem Vitas Patrum atque sententias non reperi recitatas per libros prædicto modo distinctos, sed potius per Tractatus & legendas distinctas secundum personas, quarum actus & dicta recitantur in illis. Quapropter exempla ex eis tracta in hoc opere, nõ allego citando per libros, sed potius exprimendo personas, quarum dicta seu facta narrantur. Verbi gratia: In vita talis, vel talis Sancti, vel Patris, puta Antonij, Hilarionis, vel alicuius alterius, vel sub titulo de tali Sancto, vel Patre. Item de libro* Ioannis Salesberiensis, *qui* Policraticus *appellatur, in octo libros distincto, in quibus agit* De nugis curialiũ & vestigijs Philosophorum. *Item de libro, qui* Romana *dicitur* Historia, *continente vigintiquinque libros, quorum decem primos scripsit Eutropius, & reliquos quindecim Paulus Diaconus. Item de* Tripartita historia, *quam ex dictis trium scriptorum Græcorum, videlicet* Theodoreti *Episcopi, & duorum disertissimorum virorum* Sozomeni *scilicet, &* Socratis *per Epiphanium scholasticum in latinum translatis eloquium, cõpilauit Cassiodorus monachus, quondam senator. Item de* Ecclesiastica hist. *cuius nouẽ primos libros ab* Eusebio *Cæsariensi Episcopo Græco sermone conscriptos,* Rufinus *presbyter transtulit in latinũ; duos vero reliquos idem Rufinus edidit, nouem prædictis adiungens. Item de dialogo miraculorum, quem compilauit, & in duode-*

Ioã. Salisber. Polycraticus. de nugis curialiũ.

Historia Romana. Eutropij li. 10. Pauli Diac. 15.

Historia Tripart. colligẽte Cassiodoro: interprete Epiphanio.

Eusebij Cæsar. Historiæ Eccles. libr. 9. Rufinus duos adiecit.

cim distinctiones diuisit, Cęsarius monachus Cistercienſis ordinis. Jtem de libro Vincētii, qui dicitur Speculum historiale. Item de pluribus alijs libris & opuſculis, quorum authores & titulos in locis ſuis inferius exprimendos in hac præfatione ſigillatim exprimere tædioſum exiſteret. Ad intellectum autem ſequentium, ſeptem notanda præmitto. Primò, quod vocabula incipientia ab y Græco, poſui cum vocabulis incipientibus ab i latino, eiſdem motiuis inductus & cauſis, quibus mouebatur Huguto, mixtim tractans de vocabulis incipientibus ab i latino, & de incipientibus ab y græco. Secundo præmitto, quod vbi gratia breuitatis, recitando non propria verba librorum, quos allego, ſed eorum ſententias, aliqua verba poſui quæ non habentur in textu librorum, ad hoc innuendum poſui ſubtus lineam de incauſto. Tertiò præmitto, quod non omnia infraſcripta de libris, in quibus originaliter inſcribuntur, extraxi, ſed aliqua pauca tantum de libris alijs, in quibus recitatiuè ſcribuntur: et ſpecialiter de præfato Hiſtoriali Speculo. Quarto præmitto, quod in hoc opere allegando Auguſtinum in libris de ciuitate Dei, ſequutus ſum citationem capitulorum eorundem librorum, quam præpoſui cuidam Collectioni florum dictorum librorum Auguſtini, vbi ſigillatim omnium dictorum capitulorū expreſſi principia. Quinto præmitto, quod quemlibet ſupradictorum viginti duorum librorum continentium Vitas Patrum ac ſententias, vt in eo quæſita facilius valeant inueniri, excepto vltimo, qui eſt breuis, diuiſi per partes, modo qui ſequitur. Primus ſiquidem liber, qui eſt de profectu Sanctorum Patrum, habet duas partes: prima incipit, interrogauit quidam; ſecunda: dixit Abbas Paſtor quod cuſtodire. Secundus liber,

Cæſa. monachus Miraculorum libr. 12. conſcripſit. Vincentij Beluacēſis. Specul. Hiſtor.

1.

2.

3.

4.

5.

Vitę Patrum libris 22 diuiſæ.

I.

II.

Item de libro eiusdem Cassiani qui intitulatur de institutione Monachorum, & octo vitijs principalibus. Item de libris, qui Vitę Patrum *communiter appellantur, continentibus quasdam sanctorum Patrum vitas, exhortationes, atque sententias: quarum aliquas recitatas inueni in vigintiduobus libris partialibus distinctis, secundũ diuersas materias morales, de quibus agitur in eisdem, vt mox dicã. Alias autem Vitas Patrum atque sententias non reperi recitatas per libros prædicto modo distinctos, sed potius per Tractatus & legendas distinctas secundum personas, quarum actus & dicta recitantur in illis. Quapropter exempla ex eis tracta in hoc opere, nõ allego citando per libros, sed potius exprimendo personas, quarum dicta seu facta narrantur. Verbi gratia: In vita talis, vel talis Sancti, vel Patris, puta Antonij, Hilarionis, vel alicuius alterius, vel sub titulo de tali Sancto, vel Patre. Item de libro* Ioannis Salesberiensis, *qui* Policraticus *appellatur, in octo libros distincto, in quibus agit* De nugis curialiũ & vestigijs Philosophorum. *Item de libro, qui* Romana *dicitur* Historia, *continente vigintiquinque libros, quorum decem primos scripsit Eutropius, & reliquos quindecim Paulus Diaconus. Item de* Tripartita historia, *quam ex dictis trium scriptorum Græcorum, videlicet* Theodoreti *Episcopi, & duorum disertissimorum virorum* Sozomeni *scilicet, &* Socratis *per Epiphanium scholasticum in latinum translatis eloquium, cõpilauit Cassiodorus monachus, quondam senator. Item de* Ecclesiastica hist. *cuius nouẽ primos libros ab* Eusebio *Cæsariensi Episcopo Græco sermone conscriptos,* Rufinus *presbyter transtulit in latinũ; duos vero reliquos idem Rufinus edidit, nouem prædictis adiungens. Item de dialogo miraculorum, quem compilauit, & in duode-*

Ioã. Salisber. Polycraticus, de nugis curialiũ.

Historia Romana. Eutropij li. 10. Pauli Diac. 15.

Historia Tripart. colligẽte Cassiodoro: interprete Epiphanio.

Eusebij Cæsar. Historiæ Eccles. libr. 9. Rufinus duos adiecit.

cim distinctiones diuisit, Cęsarius monachus Cisterciensis ordinis. Item de libro Vincētii, qui dicitur Speculum historiale. Item de pluribus alijs libris & opusculis, quorum authores & titulos in locis suis inferius exprimendos in hac præfatione sigillatim exprimere tædiosum existeret. Ad intellectum autem sequentium, septem notanda præmitto. Primò, quod vocabula incipientia ab y Græco, posui cum vocabulis incipientibus ab i latino, eisdem motiuis inductus & causis, quibus mouebatur Huguto, mixtim tractans de vocabulis incipientibus ab i latino, & de incipientibus ab y græco. Secundo præmitto, quod vbi gratia breuitatis, recitando non propria verba librorum, quos allego, sed eorum sententias, aliqua verba posui quæ non habentur in textu librorum, ad hoc innuendum posui subtus lineam de incausto. Tertiò præmitto, quod non omnia infrascripta de libris, in quibus originaliter inscribuntur, extraxi, sed aliqua pauca tantum de libris alijs, in quibus recitatiuè scribuntur: et specialiter de præfato Historiali Speculo. Quarto præmitto, quod in hoc opere allegando Augustinum in libris de ciuitate Dei, sequutus sum citationem capitulorum eorundem librorum, quam præposui cuidam Collectioni florum dictorum librorum Augustini, vbi sigillatim omnium dictorum capitulorũ expressi principia. Quinto præmitto, quod quemlibet supradictorum viginti duorum librorum continentium Vitas Patrum ac sententias, vt in eo quæsita facilius valeant inueniri, excepto vltimo, qui est breuis, diuisi per partes, modo qui sequitur. Primus siquidem liber, qui est de profectu Sanctorum Patrum, habet duas partes: prima incipit, interrogauit quidam; secunda: dixit Abbas Pastor quod custodire. Secundus li-

[Margin notes: Cæsar. monachus Miraculorum libr. 12. conscripsit. Vincentij Beluacēsis Specul. Histor. — 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — Vitę Patrum libris 22 diuisæ. — I. — II.]

Item de libro eiuſdem Caſſiani qui intitulatur de inſtitutione Monachorum, & octo vitijs principalibus. Item de libris, qui Vitę Patrum *communiter appellantur, continentibus quaſdam ſanctorum Patrum vitas, exhortationes, atque ſententias: quarum aliquas recitatas inueni in vigintiduobus libris partialibus diſtinctis, ſecundū diuerſas materias morales, de quibus agitur in eiſdem, vt mox dicā. Alias autem Vitas Patrum atque ſententias non reperi recitatas per libros prædicto modo diſtinctos, ſed potius per Tractatus & legendas diſtinctas ſecundum perſonas, quarum actus & dicta recitantur in illis. Quapropter exempla ex eis tracta in hoc opere, nō allego citando per libros, ſed potius exprimendo perſonas, quarum dicta ſeu facta narrantur. Verbi gratia: In vita talis, vel talis Sancti, vel Patris, puta Antonij, Hilarionis, vel alicuius alterius, vel ſub titulo de tali Sancto, vel Patre. Item de libro* Ioannis Saleſberienſis, *qui* Policraticus *appellatur, in octo libros diſtincto, in quibus agit* De nugis curialiū & veſtigijs Philoſophorum. *Item de libro, qui* Romana *dicitur* Hiſtoria, *continente vigintiquinque libros, quorum decem primos ſcripſit Eutropius, & reliquos quindecim Paulus Diaconus. Item de* Tripartita hiſtoria, *quam ex dictis trium ſcriptorum Græcorum, videlicet* Theodoreti *Epiſcopi, & duorum diſertiſſimorum virorum* Sozomeni *ſcilicet, &* Socratis *per Epiphanium ſcholaſticum in latinum tranſlatis eloquium, cōpilauit Caſſiodorus monachus, quondam ſenator. Item de* Eccleſiaſtica hiſt. *cuius nouē primos libros ab* Euſebio *Cæſarienſi Epiſcopo Græco ſermone conſcriptos,* Rufinus *presbyter tranſtulit in latinū; duos vero reliquos idem Rufinus edidit, nouem prædictis adiungens. Item de dialogo miraculorum, quem compilauit, & in duode-*

Ioā. Saliſber. Polycraticus, de nugis curialiū.
Hiſtoria Romana.
Eutropij li. 10.
Pauli Diac. 15.
Hiſtoria Tripart. colligēte Caſſiodoro: interprete Epiphanio.
Euſebij Cæſar. Hiſtoriæ Eccleſ. libr. 9.
Rufinus duos adiecit.

cim distinctiones diuisit, Cęsarius *monachus Cistercienſis ordinis. Item de libro* Vincētii, *qui dicitur* Speculum hiſtoriale. *Item de pluribus alijs libris & opuſculis, quorum authores & titulos in locis ſuis inferius exprimendos in hac præfatione ſigillatim exprimere tædioſum exiſteret. Ad intellectum autem ſequentium, ſeptem notanda præmitto. Primò, quod vocabula incipientia ab* y *Græco, poſui cum vocabulis incipientibus ab* i *latino, eiſdem motiuis inductus & cauſis, quibus mouebatur Huguto, mixtim tractans de vocabulis incipientibus ab* i *latino, & de incipientibus ab* y *græco.*

Cæſar. monachus Miraculorum libr. 12. conſcripſit. Vincentij Beluacēſis Specul. Hiſtor.

1.

2. *Secundo præmitto, quod vbi gratia breuitatis, recitando non propria verba librorum, quos allego, ſed eorum ſententias, aliqua verba poſui quæ non habentur in textu librorum, ad hoc innuendum poſui ſubtus lineam de incauſto.*

3. *Tertio præmitto, quod non omnia infraſcripta de libris, in quibus originaliter inſcribuntur, extraxi, ſed aliqua pauca tantum de libris alijs, in quibus recitatiuè ſcribuntur: et ſpecialiter de præfato* Hiſtoriali Speculo.

4. *Quarto præmitto, quod in hoc opere allegando Auguſtinum in libris de ciuitate Dei, ſequutus ſum citationem capitulorum eorundem librorum, quam præpoſui cuidam Collectioni florum dictorum librorum Auguſtini, vbi ſigillatim omnium dictorum capitulorū expreſſi principia.*

5. *Quinto præmitto, quod quemlibet ſupradictorum viginti duorum librorum continentium* Vitas Patrum ac ſententias, *vt in eo quæſita facilius valeant inueniri, excepto vltimo, qui eſt breuis, diuiſi per partes, modo qui ſequitur.*

Vitę Patrum libris 22 diuiſæ.

I. *Primus ſiquidem liber, qui eſt* de profectu Sanctorum Patrum, *habet duas partes: prima incipit, interrogauit quidam; ſecunda: dixit Abbas Paſtor quod cuſtodire.*

II. *Secundus liber,*

ber, qui eſt de quiete, *habet duas partes; prima incipit: Dixit*
III. *Abbas Arſenius; ſecunda: dixit Abbas Nilus. Tertius liber, qui eſt de* compunctione, *habet tres partes; prima incipit: Dicebant de Abbate Arſenio; ſecunda, præteriens; tertia: narrauit*
IV. *quidã ſenex. Quartus liber, qui eſt* de continentia, *habet ſex partes: prima, fratres aliqui: ſecunda, dixit Abbas Euagrius: tertia, dicebant de Abbate Macario: quarta, facta eſt aliquando: quinta, aſcendit aliquando: ſexta, ægrotauit quidã ſenum.*
V. *Quintus liber qui eſt* de fornicatione, *habet nouẽ partes: prima, dixit Abbas Antonius: ſecunda, de cogitatione fornicationis interrogatus: tertia, dixit quidam: quarta, dicebant de quodã: quinta, dixit ſenex: ſexta, frater quidam dixit ſeni: ſeptima,*
VI. *ſenex quidam: octaua, frater quidã: nona, dicebant. Liber ſextus, qui eſt de eo,* quod monachus nihil poſſidere debeat, *habet tres partes: prima incipit, frater quidam: ſecunda, narrauerunt quidam Patrũ: tertia, venit quidam vir magnus. Septi-*
VII. *mus liber, qui eſt* de patientia *ſiue* fortitudine, *habet ſex partes: prima incipit, S. Antonius: ſecunda, dixit Abbas Paſtor: tertia, quidam frater interrogauit ſenem: quarta, venerũt quidã:*
VIII. *quinta, interrogatus eſt ſenex: ſexta, ſenex quidã erat. Octauus liber, qui eſt,* vt nihil per oſtentationem fieri debeat, *habet tres partes: prima, audiuit aliquando: ſecũda, dixit Abbas Caſ-*
IX. *ſianus: tertia, interrogauit Abbas Ammonas. Liber nonus, qui eſt de eo,* quod nemo debet iudicare quenquã, *habet duas partes: prima incipit, contigit: ſecunda, ad quendam ſolitarium.*
X. *Liber decimus, qui eſt,* de diſcretione, *habet duodecim partes: prima, dixit Abbas: ſecunda, venerunt aliquando: tertia, dixit Abbas Euagrius: quarta, interrogatus aliquando Abbas: quinta, venerũt aliquando: ſexta, dixit Abbas Paſtor, non habites:*

ſeptima, dixit Abbas Paſtor quia: octaua, venerunt aliquando duo: nona, frater aliquis interrogauit: decima, frater interrogauit ſenem: vndecima, frater interrogauit quendam: duodecima,
XI. *duo fratres carnales. Liber vndecimus, qui eſt de eo,* quod oportet ſobriè viuere, *habet quatuor partes: prima, frater interrogauit: ſecunda, interrogauit frater: tertia, frater interrogauit Abbatem Siſoi: quarta, venit quidam ſenex. Liber duode-*
XII. *cimus, qui eſt de eo,* quod oportet ſine intermiſſione orare, *habet duas partes: prima, dicebant de Abbate: ſecunda, venerũt*
XIII. *aliquando. Liber decimustertius, qui eſt de eo,* quod oportet eſſe hoſpitalẽ & miſericordẽ in hilaritate, *habet tres partes: prima incipit, perrexerunt: ſecunda, ſolitarius quidã: tertia,*
XIV. *dicebat quidam ſenũ. Quartusdecimus, qui eſt* de obedientia, *habet tres partes: prima incipit, beatæ memoriæ: ſecunda, vene-*
XV. *runt aliquando: tertia, dicebant ſenes. Quintuſdecimus, qui eſt* de humilitate, *habet nouẽ partes: prima, Abbas Antonius: ſecunda, narrauit Abbas Ioãnes: tertia, dixit Abbas Paſtor: quarta, præteriens aliquando: quinta, dixit Abbas Paſtor: ſexta, venit quidam frater: ſeptima, frater aliquis interrogauit: octaua,*
XVI. *dicebat quidam ſenex: nona, frater quidam erat. Sextuſdecimus liber, qui eſt* de pęnitentia, *habet duas partes: prima, dicebant*
XVII. *fratres: ſecunda, dicebant de quodam monacho. Decimuſſeptimus liber, qui eſt* de charitate, *habet duas partes: prima, dixit*
XVIII. *Abbas: ſecunda, dixit quidam Patrũ. Decimusoctauus, qui eſt* de prouidẽtia, ſeu contẽplatione, *habet ſeptẽ partes: prima incipit, frater abijt: ſecunda, puer erat adhuc ſanctæ memoriæ: tertia: Abbas Macarius volens: quarta, narrauit S. Baſilius: quinta, vbi communiter rubrica apponitur*, de mutatione

tranſla-

translatorum, *incipit, abijt aliquando: sexta, sancti fratres de*
XIX. *Scithy: septima, narrauit iterum senex. Decimusnonus liber, qui est* de sanctis senioribus, qui signa faciebant, *habet duas partes: prima incipit, dicebat Abbas Dulas: secunda, venerunt*
XX. *aliquando. Vigesimus liber, qui est* de conuersatione optima diuersorum Sanctorũ, *habet sex partes: prima, retulit Abbas Dulas: secunda, duo quidã Patrum: tertia, dicebant de Abbate Or: quarta, narrabat quidam solitarius: quinta, dicebat*
XXI. *rursus alius: sexta, dixerunt Patres fuisse. Vigesimus primus liber, qui est* de octo capitulis verborum quæ misit Abbas Moyses Abbati Poemeno, *habet tres partes: prima, dixit senex: secunda: dixerunt quidam: tertia, dixit senex homo habẽs*
XXII. *mortem. Vigesimussecundus liber, continens sententiam cuiusdam senis, qualiter homo ad perfectionem attingat, propter*
6. *eius breuitatem remanet indiuisus. Sexto præmitto, quod vt exẽpla infra posita de libro, qui scholastica historia nominatur, extracta facilius in illo libro valeant inueniri, eundem in octo partes diuisi. Prima pars, incipit à libri principio secunda, ab historia super librum Regum: tertia, ab historia Thobiæ: quarta, ab historia de Iudith: quinta, ab historia de Esther: sexta, à cõmendatione Ioannis Hircani, scilicet, post historiam Machabæorum: septima pars, à principio historiæ super Euangelia: octaua pars, à principio historiæ super actus Apostolorum.*
7. *Septimo præmitto, quod exempla diuinæ scripturæ, perpaucis tamen exceptis, in hoc opere non collegi; tum quia satis nota sunt & haberi facilia; tum quia de his factus est quidam liber dictus* Exempla sacræ scripturę, *satis communis & notus.*

IOAN-

IOANNIS FAII ABBATIS S. BAVONIS,

MANIPVLVS EXEMPLORVM VIRTVTVM VITIORVMQVE ALPHABETI SERIE DIGESTVS.

ABBAS.

A. NARRAVIT Abbas Ioseph, quia sedentibus nobis cum Abbate Pastore, vocauit Agathonem Abbatem, & diximus ei: Quare eum appellas Abbatem cum iuuenis sit? dixit Abbas Pastor: Quia os suum fecit eum appellari Abbatem. *In vitis Patrum libri quinti, parte quarta.*

Item, vide Absolutio a. Prælatio d. Mercator c. Simonia c.

ABRAHAM.

Vide, Astrologia. b. c.

ABSOLVTIO.

A*. QVidam Abbas, qui præerat monasterio Beati Gregorij Papæ, eidem nunciauit, quod quidam monachus penes se tria numismata haberet: quem Gregorius ad terrorē aliorum excommunicauit. Post modicum tempus ille moritur, Gregorio nesciente: Qui iratus, quod sine absolutione mortuus fuerat, orationem in schedula scripsit, qua eum excommunicationis vinculo absoluebat; deditque eam vni Diaconorū, præcipiens vt eam super foueam fratris defuncti legeret. Quo iussa complente, sequenti nocte, qui defunctus fuerat, Abbati apparuit, & se in custodia vsque modo fuisse detentum, sed heri se absolutum fuisse perhibuit. *In aurea legenda, sub Titulo de sancto Gregorio, & Ioannes Diaconus in vita Gregorij l. 1. c. 45. Vide* Iudex. F.

ABSTINENTIA.

VEnantij quondam Patricij in Samnij partibus villa fuit, in qua colonus eius filium Hono- A**.

translatorum, *incipit, abijt aliquando: sexta, sancti fratres de*
XIX. *Scithy: septima, narrauit iterum senex. Decimusnonus liber, qui est* de sanctis senioribus, qui signa faciebant, *habet duas partes: prima incipit, dicebat Abbas Dulas: secunda, venerunt*
XX. *aliquando. Vigesimus liber, qui est* de conuersatione optima diuersorum Sanctorũ, *habet sex partes: prima, retulit Abbas Dulas: secunda, duo quidã Patrum: tertia, dicebant de Abbate Or: quarta, narrabat quidam solitarius: quinta, dicebat*
XXI. *rursus alius: sexta, dixerunt Patres fuisse. Vigesimus primus liber, qui est* de octo capitulis verborum quæ misit Abbas Moyses Abbati Poemeno, *habet tres partes: prima, dixit senex: secunda: dixerunt quidam: tertia, dixit senex homo habẽs*
XXII. *mortem. Vigesimussecundus liber, continens sententiam cuiusdam senis, qualiter homo ad perfectionem attingat, propter*
6. *eius breuitatem remanet indiuisus. Sexto præmitto, quod vt exẽpla infra posita de libro, qui scholastica historia nominatur, extracta facilius in illo libro valeant inueniri, eundem in octo partes diuisi. Prima pars, incipit à libri principio secunda, ab historia super librum Regum: tertia, ab historia Thobiæ: quarta, ab historia de Iudith: quinta, ab historia de Esther: sexta, à cõmendatione Ioannis Hircani, scilicet, post historiam Machabæorum: septima pars, à principio historiæ super Euangelia: octaua pars, à principio historiæ super actus Apostolorum.*
7. *Septimo præmitto, quod exempla diuinæ scripturæ, perpaucis tamen exceptis, in hoc opere non collegi; tum quia satis nota sunt & haberi facilia; tum quia de his factus est quidam liber dictus* Exempla sacræ scripturę, *satis communis & notus.*

IOAN-

IOANNIS FAII ABBATIS S. BAVONIS, MANIPVLVS EXEMPLORVM VIRTVTVM VITIORVMQVE ALPHABETI SERIE DIGESTVS.

ABBAS.

A. NARRAVIT Abbas Ioseph, quia sedentibus nobis cum Abbate Pastore, vocauit Agathonem Abbatem, & diximus ei: Quare eum appellas Abbatem cum iuuenis sit? dixit Abbas Pastor: Quia os suum fecit eum appellari Abbatem. *In vitis Patrum libri quinti, parte quarta.*

Item, vide Absolutio a. Prælatio d. Mercator c. Simonia c.

ABRAHAM.

Vide, Astrologia. b. c.

ABSOLVTIO.

A*. QVidam Abbas, qui præerat monasterio Beati Gregorij Papæ, eidem nunciauit, quod quidam monachus penes se tria numismata haberet: quem Gregorius ad terrorē aliorum excommunicauit. Post modicum tempus ille moritur, Gregorio nesciente: Qui iratus, quod sine absolutione mortuus fuerat, orationem in schedula scripsit, qua eum excommunicationis vinculo absoluebat; deditque eam vni Diaconorū, præcipiens vt eam super foueam fratris defuncti legeret. Quo iussa complente, sequenti nocte, qui defunctus fuerat, Abbati apparuit, & se in custodia vsque modo fuisse detentum, sed heri se absolutum fuisse perhibuit. *In aurea legenda, sub Titulo de sancto Gregorio, & Ioannes Diaconus in vita Gregorij l. 1. c. 45. Vide* Iudex. F.

ABSTINENTIA.

VEnantij quondam Patricij in Samnij partibus villa fuit, in qua colonus eius filium Honoratum A**.

ratum

ratum nomine, habuit: qui ab annis pueri libus ad amorem cœlestis patriæ per abstinentiam exarsit. Cumque tam magna conuersatione polleret, die quadam parentes illius vicinis¡ suis conuiuium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratæ sunt. Quas dum ille ad esum contingere pro abstinentiæ amore recusaret, cœperunt eum parentes eius irridere ac dicere; Comede, nunquid piscem tibi in his montibus allaturi sumus? Illo vero in loco piscis audiri consueuerat, non videri. Sed cum his sermonibus Honoratus irrideretur, repente aqua ad ministerium defuit; cum situla lignea (sicut illic mos est) mancipium ad fontem perrexit; cumque hauriret aquam, piscis situlam intrauit; reuersumque mancipium ante ora discumbentium piscem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere, Mirati sunt omnes, totaque illa parentum cessauit irrisio, cœperunt namque in Honorato venerari abstinentiam, quam ante deridebãt. *Gregorius Dialogorum lib. 1. cap. 1.*

B. Narrauerunt de Abbate Dioscoro de Nãsia, quia panis eius hordeaceus erat, & farina lenticulæ, & per singulos annos ponebat sibi legem alicuius obseruantiæ, id est, aut nõ occurrere vno anno alicui, aut nõ loqui, aut nõ gustare aliquid coctum, aut non comedere aliquid pomorum, aut olera, & in omni opere suo ita faciebat & perficiens vnumquodque sic, aliud assumebat, & hoc per annos singulos faciebat. *In vitis Patrum lib. 4. parte 1.*

C. Dixit Abbas Ioannes breuis staturæ, quia si voluerit aliquis Rex ciuitatem inimicorum tenere, prius aquam tenet & escas eorum, qui sunt in ciuitate & fame periclitantes, tũc subijciuntur ei. Ita est & passio ventris: si in ieiunio & fame conuersetur homo, inimici eius, qui solicitant animam eius, infirmantur. *Eodem libro, parte secunda.*

D. Frequenter dicebat Abbati Sisoy discipulus eius: surge, Abba, manducemus. Ille autem dicebat, adhuc nõ manducauimus fili? Et ille respondebat, Non pater. Dicebat autem senex: si nondum manducauimus, adfer, manducemus. *Eodem libro, parte 4.*

E. Venit aliquando quidam senex ad alium senem; ille autem dixit discipulo suo: fac nobis modicum lenticulæ, & fecit. Et infunde nobis panes, & infudit, & manserunt sic vsque ad alterius diei horam sextam loquentes de spiritualibus rebus. Iterum dicit senex discipulo suo. Fac nobis modicum lenticulæ fili. Ille respondit, ab hesterno feci, & ita surgentes sumpserunt cibum. *Eodem libro parte quinta.*

F. Alter quidam senex venit ad quẽdam patrem, ille autem coxit modicum lenticulæ, & dixit ei. Faciamus opus Dei, & gustemus. Et vnus quidem eorum compleuit totum psalterium, alter vero duos Prophetas maiores lectoris ordine recitauit; & facto mane discessit senex ille, qui venerat, & obliti sunt sumere cibum. *Eodem libro, parte quinta.*

G. Esurijt quidam frater à mane, & pugnauit cum animo suo, ne manducaret, donec fieret hora tertia. Facta hora tertia, exegit à se, vt fieret sexta. Infuditque panem, & sedit, vt manducaret. Postea vero surrexit dicens, manebo sic vsque ad horam nonam; hora autem nona fecit orationem, & vidit opus diaboli sicut fumum exeuntem à se, & ita cessauit esuries eius. *Eodem libro, parte quinta.*

H. Intrauerunt aliquando fratres in Alexandriam, inuitati à Theophilo

Archie-

Archiepiscopo, vt præsentibus ijs, facta oratione templa destrueret paganorum. Et manducantibus ijs cum Archiepiscopo, ministratæ sunt carnes vitulinæ, & manducabant, nihil discernentes, & accipiens Archiepiscopus vnum capodium, dedit seni iuxta se recumbenti, dicens. Ecce istud bonum capodium est, manduca Abba. Illi autem respondentes dixerũt. Nos vsque modo credebamus, quia olera manducaremus, nam si carnes sunt, non manducamus: & vltra nemo ex eis acquieuit gustare. *Eodem libro, parte quinta.*

Numquid caponem intelligit.

I. Frater quidam attulit in cellam panes recentes, & inuitauit ad mensam seniores; Et cum manducassent singulos paximates, pausauerũt. Frater vero sciens laborem abstinentiæ eorum, cœpit cum humilitate supplicare, dicens. Propter Deum manducate hodie, donec satiemini; & manducarunt alios duos paximates. Ecce ergo quantum, supra quam opus erat, manducauerunt propter Dominum veri Monachi, & simpliciter abstinentes. *Eodem libro, parte quinta.*

Paruos panes.

K. Statuit quidam senex, vt quatuor diebus non biberet, & si quando fiebat cauma, lauabat surisculam, & implebat eam aqua, & appendebat eam ante oculos suos. Qui cũ interrogaretur á fratribus, quare hoc faceret? Respondit dicens, vt cum videns, quod desiderabam, non gustauero, maiorem ardorem sustineã, & propter hoc à Domino maiorem mercedem consequar. *Eodem libro, parte sexta.*

Calor. Sudariũ á sudãdo.

L*. Venit aliquando monachus quidam ab vrbe Roma, qui in palatio magnum locum habuit, & habitauit in Scithi, & habuit secum vnum seruum qui ministrabat ei. Qui cum fuisset vigintiquinque annos in Scithi, factus est vir contemplator præuidens, & nominatus. Audiens autem quidam de magnis Ægyptijs monachis opinionem eius, venit videre eum, sperans corporalem conuersationem plus apud eum arduam inuenire. Qui cum intrasset, salutauit eum, & facientes orationem sederunt. Vidẽs autem Ægyptius eum vestitum mollibus rebus, & budã de papyro, & pellem stratam sub ipso, & modicum capitale de cartica sub caput eius: sed & pedes mundos habentem cum caligulis, scandalizatus est de eo intra se, quia in loco illo non erat consuetudo taliter conuersandi, sed magis duram abstinentiã habere consueuerat. Senex autẽ Romanus ille, habens contemplationẽ siue præuidentiæ gratiam, intellexit, quia scandalizatus esset Ægyptius monachus in eo, & dicit ministro suo: Fac nobis hodie propter Abbatem qui venit, bonam diem, & coxit parua olera, quæ habebat. Et surgentes hora competenti, comederunt: habuit etiam & modicũ vini propter infirmitatem suam, & illud biberunt. Et dum factum esset vespere, dixerunt duodecim psalmos, & dormierunt. Similiter autem & nocte. Surgens autem mane Ægyptius dixit ei: Ora pro me, & egressus est, non ædificatus in eo. Et cum paululum secessisset, volens eum senex ille Romanus saluare, misit post ipsum, & reuocauit eum. Qui cum venisset, iterum cum gaudio suscepit eum, & interrogauit eum dicens. Ex qua prouincia es? Et respondit ei: Ægyptius sum. Et dixit ei. Cuius ciuitatis? Et ille dixit: Ego omnino non fui de ciuitate, nec habitaui aliquando in ciuitate. Et dixit ei: Antequam monachus esses quid operabaris in possef-

Budam, id est mattam.

possessione, qua manebas? Et ille respondit: Custos agrorũ eram. Et dixit ei. Vbi dormiebas? Respondit in agro. Et dixit: Et quomodo dormiebas? Respondit: In terra nuda. Et dixit: Quid manducabas in agro, aut quale vinum habebas? Iterum respondit: Quæ sunt escæ, aut qualis potus est in agro? Et dixit: Quomodo ergo viuebas? Respondit: Manducabam panem siccũ; &, si inueniebam, quodcunque de salsamentis, & bibebam aquam. Et dixit senex. Grandis labor. Et dixit: Erat ibi balneum in possessione, vbi lauareris? Et ille dixit, non, sed in flumine lauabar, quãdo volebam. Cum ergo hęc omnia ab eo senex ex respõsione ipsius exegisset, & cognouisset modum prioris vitæ eius, atque laboris, volens eum proficere, narrauit ei suam vitam pręteritam, quam habebat, cum esset sæcularis, dicens: Me miserum, quem vides, de magna illa ciuitate Romana sum, habens in palatio maximum locum apud Imperatorem. Et cũ audisset Ægyptius initia verborum eius, compunctus est, & sollicitè quæ dicebantur, audiebat. Et ille adiecit: Reliqui ergo Romam, & veni in solitudinem istam. Et iterum dixit: Ego quem vides, habui domos magnas, & pecunias multas, & contemnens eas veni in paruam cellã istam. Et iterum dixit: Ego quem vides, lectos vestitos ex auro habui, habentes preciosissima stramenta, & pro his dedit mihi Deus stramentũ hoc ex papyro, & pellem, sed & vestes meæ inestimabili pretio dignæ erant, & pro his vtor his vilibus resellis. Iterum dixit: In prandio meo multũ auri expendebatur, & pro illis dedit mihi Deus modica olera, & paruulum calicem vini. Erant antẽ & qui seruiebãt mihi plurimi serui, & ecce pro illis, isti vni cõiunxit me Deus vt ministret mihi. Pro balneo autẽ profundo paululũ aquæ pedes meos, & caligulis vtor propter infirmitatẽ. Et rursus, pro calamis, & cithara vel alio musico opere, quo delectabar in conuiuijs meis, dico mihi duodecim psalmos in dię, & totidem in nocte. Sed & pro peccatis meis, quę ante faciebam, modo cũ requie exhibeo paruum & inutile ministerium Deo. Vide ergo Abba, vt non scandalizeris propter infirmitatem meam. Et hæc audiens Ægyptius, atque in seipsũ reuersus, dixit: Væ mihi, quia ego de multa tribulatione & plurimo labore seculi magis ad repausandum in conuersationẽ monachi veni: & quod nõ habebam tunc, modo habeo. Tu autem ex multa delectatione sæculi, voluntate propria in tribulationem venisti, & ex multa gloria atque diuitijs, venisti in humilitatem & paupertatem. Ex quo multum proficiens discessit, & factus est ei amicus, & sępe veniebat ad eum. *In vitis patrum libro vigesimo, parte octaua.*

Rebus exiguis. Fiscellis.

M. Cibum & vestimẽtum palma præbebat sancto Paulo primo Eremitæ, quod ne cui impossibilę videatur, Iesum testor, & sanctos Angelos eius, in ea parte Eremi, quæ iuxta Syriam Sarracenis iungitur, & vidisse me monachos & videre, è quibus vnus, triginta iam per annos clausus, hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit; alter in cisterna veteri, quinque caricis, id est ficubus, per singulos dies sustentabatur. Hæc incredibilia videbuntur ijs, qui non crediderint omnia possibilia esse credentibus. *B. Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ.*

N. Cum Hilarion propinquam putaret imminere mortem, à sexagesimo

quarto rursus anno vsque ad octogesimum pane abstinuit, incredibili quodam feruore accensus, vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini, quo cæteri solent remissius viuere. *Et infra*: Nunquam ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in grauissima valetudine soluit ieiunium. *B. Hieronymus in vita Hilarionis.*

O. Narrauit beatus Apelles, quia frater quidam nomine Ioannes ætate prouectus, vita, & moribus, atque abstinentia cunctos precellens. Hic primum cum secessisset ad eremum, tribus continuis annis sub cuiusdam saxi rupe stans semper orauit, ita vt nunquam resederit, neque iacuerit, somni autem tantum cœperit, quantum stans capere potuit: cibum vero nunquam sumpserit, nisi dominica die. Presbyter vero tunc veniebat ad eum, & offerebat pro eo sacrificiũ, idque ei solum, & sacramentũ erat, & victus. *In vitis Patrum, sub titulo, de beato Apelle.*

P. Sapientissimus & per omnia admirabilis vir Euagrius, incredibilis erat abstinentiæ: super omnia tamen monebat fratres, si qui forte studium gererent, vel humiliandi corporis, vel fantasias ab eo dæmonum repellendi, ne in bibenda aqua largiori mensura vterentur. Dicebat enim, quia si aqua multa in corpus infundatur, maiores fantasias generat & maiora receptacula dæmonibus prębet. *In vitis Patrum, sub titulo, de beato Euagrio.*

Q. Medicinæ remediũ nobis, scilicet Brachmanis, parsimonia est; quæ non modo illapsos potest curare dolores, sed etiã procurare ne veniant. Didymus Rex Brachmanorum, in epistola ad Alexandrũ: & recitatur *in Polycratico, libro quarto, cap. vndecimo,*

R. Sanctus Pachomius reuersus ad monasterium quoddam, quod sub eius ditione erat, audiens à puero, quod post eius recessum nullus aliquid coctum fratribus parauerat: Inueniens fratrem, qui coquinæ præerat, mattas operantem, ait ad eum: Dic mihi frater, quantum habes ex quo non coxisti fratribus olera nec legumina? Qui respondit: Sunt fere duo menses. Ait sanctus Pachomius: Quare contra præceptum facere voluisti? Qui respondit; quia cũ quidquam coquebam, non consumebatur à fratribus, quia omnes abstinent, soli quippe pueri aliquid cocturæ percipiunt. Ne tanto labore paratæ proijcerentur expensæ, propterea pulmenta non coxi; & ne ociosus essem, mattas elegi cum fratribus texere: sciens vnum condiscipulum de his, qui mihi deputati sunt, ad opus huiusmodi posse sufficere, vt paruas escas, id est oliuas & herbulas, ad refectionem fratribus appararet. Hæc audiens Pachomius, mattis illis allatis, iussit eas igne comburi, & ait illis: Sicut vos traditam vobis erga dispensationem fratrum regulam despexistis, sic ego passim labores vestros incendio concremaui; quatenus cognoscatis, quã perniciosum sit Patrum constituta cõuellere, quæ pro animarum salute prouisa sunt. An ignoratis, quam gloriosum sit semper abstinere præsentibus? Nam si quis ab ea re, quæ in eius est potestate, diuina cõsideratione se continet, magnum consequitur à Domino præmium: ab ea vero re, cuius vtendi licentiam non habet, quadam noscitur necessitate cohiberi, & ideo propter abstinentiam coactam & inutilem, frustra videtur expectare mercedem. *Surius.*

Denique, cum plures escæ appositæ fuerint, si fratres parcius his vtuntur propter Dominum, sibi maximã spem reponunt. De cibis autẽ quos non vident, nec eis ad percipiẽdum, vlla facultas tribuitur, quomodo pro parcimonia præmia concedentur? Ideoque propter exiguos sumptus tanta Fratrum non debuit intermitti commoditas. *In vitis Patrũ, in vita sancti Pachomij.*

S. Elpidius genere Cappadox, qui postea presbyter fieri meruit, habitans in spelunca, studio abstinentiæ cunctos vicit. Nam per annos vigintiquinque, quos vixit, dominico tãtum & sabbatho die cibum sumebat. Ac per totas noctes stando & orando psallebat, quem sicut apes Regem suum, sic innumera multitudo secuta, faciebat in solitudine, quasi quandam apparere ciuitatem. *Heraclides in libro, qui dicitur Paradisus.*

T. Interrogauit Abbas Germanus Abbatem Moysen, Quis est modus cõtinentiæ, quam æquo moderamine retinentes, inter vtramque nimietatem illæsi transire possumus? Respõdit Super hac re: Inter maiores nostros frequenter nouimus habitum fuisse tractatum, nam discutientes continentias diuersorum, qui vel solum leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam iugiter exigebant; præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cuius æquissimum modum in duobus paximatijs constituerunt, quos paruulos panes vix vnius libræ pondus habere certissimum est. *Et infrà.*

Generalis tamen hic continentiæ modus est, vt secundum capacitatẽ virium, vel corporis, vel ætatis, tantum sibimet cibi vnusquisque concedat, quantum sustentatio carnis, non quantum desiderium satietatis exposcit. In vtraque enim parte sustinebit maximum detrimentum, quisquis inæqualitatem tenens, nũc ventrem ieiuniorum ariditate constringit, nunc escarum nimietate distendit. Vt enim mens cibi inanitate lassata, perdit orationum vigorem, dum carnis nimia lassitudine prægrauata condormitare compellitur; ita nimietate voracitatis oppressa, emittere ad Deũ preces puras leuesque non poterit. *In collationibus patrum, quas scripsit Cassianus collatione secunda, capitulis decimo-nono, vigesimo & vigesimo-tertio.*

Dixit Abbas Moyses: hæc est temperata æqualitas atque mensura, quæ Patrum quoque iudicio comprobatur, vt quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries, vno eodemque statu animam pariter & corpus conseruans; vt nec ieiunij fatigatione concidere, nec grauari mentem saturitate permittat. Et in tantum hoc non sine labore perficitur, vt mallent hi, qui perfectionem discretionis ignorant, etiam biduo protelare ieiunia: idque quod hodie sumpturi fuerant, in crastinũ reseruare; dummodo ad refectionem venientes, desiderata satietate potiãtur. Quod nuper Beniamin ciuem vestrum pertinaciter tenuisse cognoscitis, qui ne quotidie duo paximatia percipiens æquali castigatione continuam parcitatem iugiter recentaret, maluit viduana semper continuare ieiunia, dummodo ad refectionem veniens, duplicata mẽsura repleret ventris ingluuiem, id est, quatuor paximatia comedens, desiderata saturitate gauderet, qui obstinatione & pertinacia mentis suæ, definitionibus potius proprijs quam seniorum traditionibus acquiescens, relicta eremo rursus ad vanita-

V.

Parui panes sex fere buciarum.

vanitatem ſæculi deuolutus eſt. *Eadem collatione, & capitibus vigeſimo-quarto & vigeſimo-quinto.*

X. Dixit Abbas Moyſes: Plerumque hi, qui diſtrictionem abſtinentiæ ſe tenere credunt, totam refectionem ad veſperam differunt. Verum recens eſcæ perceptio, tam in veſpertinis quam in nocturnis orationibus, tenuem leuemque ſenſum non ſinit inueniri. Ideoque commodum ſatis & vtile, hora nona refectionis tempus indultum eſt: in quo reficiens monachus, non ſolum in nocturnis vigilijs leuis & vacuus, verum etiam in ipſis veſpertinis ſolemnitatibus, digeſto iam cibo, inuenitur aptiſſimus. *In collationibus patrum, quas ſcripſit Caſsianus, collatione ſecunda, capite vltimo.*

Y. Ad hos ſanctos Anachoretas, quoſdam ſummo deſiderio feſtinantes, vltra modum ſumus labores eorum, quos contemplatione virtutum & amore ſolitudinis tolerant, admirati. Nam ipſius aquæ tanta penuria conſtringuntur, vt tali eam diligẽtia ſcrupuloque diſpenſent, quali nemo frugaliſſimorum ſpeciẽ precioſiſſimi vini conſeruat & parcit: Tribus namque milibus vel eo amplius, de Nili fluminis alueo neceſſarijs vſibus aduehunt: quod tamen interuallum arenoſis diuiſum montibus, laboris difficultate grauiſsima duplicatur. *Ioannes Caſsianus de ſpiritu gaſtrimargiæ, libro quinto, capite trigeſimo ſexto.*

Z. Eubulus narrat apud Perſas, tria genera fuiſſe Magorum, quorum primos, qui ſunt doctiſſimi & eloquentiſſimi, excepta farina & olere, nihil aliud dicit in cibo ſumere. *Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, cap. 9*

A a. Euripides in Creta, Iouis Prophetas non ſolum carnibus, ſed & coctis cibis abſtinuiſſe refert. *Ibidem.*

Legimus quoſdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam & pauperes cibos redactos conualuiſſe. Caruerãt enim ſollicitudine diſpenſandæ domus & epularum largitate, quæ & corpus frangunt, & animum. Irridet Horatius appetitum ciborum, qui conſumpti relinquunt pœnitentiam. A b.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. *Ibidem cap.* 8. *Horatius*

Dicæarchus in libris Antiquitatum & deſcriptione Græciæ, refert ſub Saturno & in aureo ſæculo, cum omnia humus funderet, nullum comediſſe carnes, & vniuerſos vixiſſe frugibus & pomis, quæ ſponte terra gignebat. *Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. cap. 9.* A c.

Ioſephus tria deſcribit dogmata Iudæorum, Phariſæos, Saducæos, & Eſſæos: quorum nouiſſimos miris effert laudibus, quod & vxoribus, vino, & carnibus ſemper abſtinuerint, & quotidianum ieiunium verterint in naturam. *Hieronymus contra Iouinianum cap. 9. libro 2. ex Ioſ. 18. antiq. & contra Appionem.* A d.

Bardeſanes vir Babylonius, in duo diuidit dogmata apud Indos Gymnoſophiſtas, quorum vnum appellant Brachmanos, alterum Samanæos, qui tantæ continentiæ ſint, vt vel pomis arborum iuxta Gangem fluuium: vel publico orizæ & farinæ alantur cibo. Et cum Rex ad eos venerit, adorare illos ſolitus ſit, pacemque prouinciæ ſuæ in eorum precibus arbitrari ſitam. *Hieronymus ibidem, cap. 9.* A e.

Xenocrates philoſophus de Triptolemi legibus apud Atheniẽſes, tria tantum prçcepta in templo Eleuſinæ A f.

reſide-

residere scribit: honorandos parentes, venerandos Deos, & carnibus non vescendum. Orpheus in carmine suo, esum carnium penitus detestatur. Pythagoræ, Socratis, Antisthemis, & reliquorum frugalitaté referrem in confusionem nostram, nisi & longum esset, & proprij operis indigeret. *Ibidem.*

Ag. Apud eos S. Monachos & Eremitas, de quibus ibi loquitur, tanta abstinentia vigebat, vt propter multa ieiunia, dentes eorum vermibus ebullirent. *Sozomenius in Tripartita historia, libro octauo, capite primo.*

Ah. Ferunt Galenum decimæ semper diei astinentiam, sibi loco efficacissimæ & saluberrimæ medicinæ induxisse: nec facile posse, nisi corruptioris naturæ fuerit, grauioribus morbis subiacere eum, qui decima quaque die ab omni cibo abstinet, aut simplicissima diæta transigit vitam. Sunt etiam, qui sextam feriam in ieiunio sine cibo transigant, vel eo vtantur minimo; quod quidem & religioni & incolumitati, sicut experti loquuntur, certissimè seruit. *In Polycratico, libro octauo, capite sexto. Et quasi simile Petrus Blesensis in epistola 85. vbi multa hanc in rem congerit.*

Ai. Aquilarum dicitur esse natura, vt cum stomachum pleniori refectione ingurgitauerint, in decimũ quintum diem, vel (vt alijs placet) in quartumdecimum suspendant esuriem, oblatorumque ciborum copiam aspernentur. *Ioannes Saresbo in Polycratico, libro tertio, capite septimo.*

Ak. Timotheum, clarum hominem Athenis, & principem ciuitatis ferunt, cum cænasset apud Platonem, eoque conuiuio delectatus esset, vidissetque Platonem postridie dixisse, quia vestræ quidem cænæ non solum in præsentia, sed etiam postero die iucundæ sunt. Quasi diceret, ex vestris cænis non fiunt homines grauati crapula, nec mente impediti. *Tullius libro quinto Tusculanarũ Quæstionum.*

Fuit illa simplicitas antiquorum in sumendo cibo, humanitatis simul & continentiæ certissimus index. Nam maximis viris prandere & cænare in propatulo verecundiæ non erat, nec sane vllas epulas habebant, quas populi oculis subijcere erubescerent. Erant adeo continenter attenti, vt frequentior apud eos vsus esset pultis quam panis, bonæq; valetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriæ epulis & aliena nimiæ vini abũdantiæ, ab immoderato Veneris vsu auersa. *Valerius Maximus libro secundo, capite 5. Pli. l. 18. c. 8.* Al. *Hiuatica*

Idem sensit proxima maiorum nostrorum grauitati Spartana ciuitas, id est Lacædemoniæ: quæ seuerissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquamdiu ciuium suorum oculos à contemplanda Asia retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Audierant enim inde lætitiam & immoderatos sumptus, & omnia non necessariæ voluptatis fluxisse genera. Ac minime mirum est, quod homines labore & patientia gaudentes, tenacissimos patriæ neruos externarum deliciarum contagione solui & hæbetari noluerunt. Cum aliquanto faciliorem virtutis ad luxuriam, quam luxuriæ ad virtutem viderent transitum. Quo eos non frustra timuisse dux eorum Pausanias patefecit, qui maximis operibus editis, vt primum se Asiæ moribus permisit, fortitudinem suam effæminato eius cultu mollire non erubuit. *Valer. Max. l. 2. c. 6. Cicero pro Flacco. Thucyd. 1.* Am.

Mala-

An. Malasar præpositus Eunuchorum, tollebat cibaria & vinum eorum (scilicet quatuor puerorum Danielis & sociorum eius,) & dabat eis legumina; propter hoc animæ eorum erant limpidæ nō hebetes, pro multitudine ciborum: nec confusæ, pro varietate, & corpora eorum laboribus aptiora. *In historia scholastica, parte tertia, capite, de Daniele, & cap. 1. Danielis prophet.*

Ao. Sanctus Franciscus omni studio præcauebat, ne sāctæ & summæ paupertatis metas transiliens, ad superflua quoquo modo deflueret. Cum & rarissimè coctis vtens, ea cineribus vel aqua frigida commisceret, & de ipsa sufficienter aquam non biberet. Difficillimum enim asserebat, necessitati satisfacere, & voluptati non obedire. *Vincentius in Speculo Historiali, libro trigesimo-primo, cap. 201.*

Ap. Quidam Abbas grossus & pinguis, abstinentia regulari postposita, splēdide viuens & laute, tandem dolebat stomachum, vt puta repletum malis & crudis humoribus: nec inueniebat saporem in cibis, licet delicatis & varijs vteretur. Non inueniens autem in sua regione medicum, qui posset eum à suo languore sanare, recepta secum magna pecunia, versus Montem Pessulanum iter arripuit. Vbi tunc temporis studium Medicinæ florebat. Quadam vero die dum esset in via, contigit eum in castro cuiusdam militis hospitari; qui quidem miles sui itineris cognita causa, dixit ei. Domine Abbas, non est opus vos vltra vexari, ego noui medicinam vobis necessariam. Incontinenti fecit eum in custodia firma reponi, assignato sibi custode, cui præcepit obnixus, vt nihil daretur sibi nisi panis & legumina; & hoc in certa & modica quantitate. Transacto mense venit miles ad Abbatem dicens: Domine quomodo est vobis, estis vos sanati? Cui Abbas respondit: Benedictus Deus, nunquam extiti ita sanus, sicuti sum in hac hora. Habeo optimum appetitū comedendi omnem cibum, lapsis iam septem diebus nihil sensi doloris in stomacho. Tunc ait miles: Domine vos portatis magnam pecuniā ad Montem Pessulanum pro expensis faciendis in Medicos, & ego ita vos bene sanaui, sicut omnes medici Montis Pessulani fecissent, quapropter ego retinebo illam pecuniam. Et si de cætero infirmitatem consimilem habeatis, veniatis ad me cum pecunia, & ego sanabo vos libenter. *Hæc ego author audiui narrari.*

In eadem vrbe hodieque visitur collegiū ingens Vrbani 5. pontificis erectum in gratiā eorū qui medicinæ operā daturi essēt. Pap. Masson. in vita Vrbani 5.

Aq. Audiui de Hippocrate, quod conseruabat diætas, pro quibus debilitatem corporis sustinebat. Cui dixit suus discipulus. Doctor egregiè, si velles bene comedere, non sustineres tantam corporis debilitatē. Respondit Hippocrates: Fili, ego volo comedere, vt viuam: non viuere, vt comedam. *Et infra:* Multos sanè noui, qui diminuerunt de alimento, & comestione, abstinentes se à suis appetitibus, parcētes gulæ, & viuentes temperate per diætas. Qui fuerunt per hoc sanissimi corporis, melioris operationis, longioris vitæ, boni appetitus, & leuioris motus, Et hoc est manifestum in Arabibus, & sæpe eūtibus per deserta & itinera longa. Hoc est quoq; manifestum argumētū, quod abstinere à nimia comestione & superfluitate purgare, est sūma medicina. *Auctor libri de secretis secretorum, seu de regimine Principum, qui reputatur Aristotelis. Quia pro maiori parte continet documenta seu sententias, quas dedit siue scripsit Aristoteles Alexandro.*

Item, Vide Antonius. 1. Augustus Cæsar. e. Brachmani. a. Cibus. c. d. Comestio. c. f. Confessio. a. Discretio. l. Esseï. a. Iactantia. c. Ieiuniũ. a. b. c. d. Ira. a. b. g. Persæ. a. Religio. b. Sacerdos. f. Singularitas. a. b. Socrates. d. f.

ACADEMICI.

A. ACademici, in eo modestiores sunt, quod defectum suum minimè diffitentur; & in rerum ignorantia positi, ferè de singulis dubitant. Quod quidem longè tutius est, quam incerta temerè diffinire. Academicorum quoque iuuat opinionem, quod non modo Heraclides Ponticus & Cicero noster, in sũma ingeniosorum virorum laude recepti, tandem ad eos transierunt: Sed & alij plures, quos percurrere longum est. Nonne ergo præferẽdi sunt alijs, quos & asserendi modestia, & tantorum virorum commendat authoritas? *In Polycratico, libro septimo, capite primo.*

B. Non tamen omnes, qui Academicorum censentur nomine, hanc dico modestię regulam tenuisse; cum & professio scissa sit, & pro parte tam risui pateat, quam errori. Quid enim ineptius quam fluctuare in singulis, & nullius rei habere certitudinem & nomen Philosophi profiteri. *Et infrà*: Aduersus illos, qui de singulis dubitant, magnus Doctor Augustinus, sed & Cicero validis rationibus copiosius disputant. Veruntamẽ ad illos, qui de singulis dubitant, quæ sapienti faciant quæstionem, Cicero seipso teste transiuit. Nec eos noster Augustinus persequitur, cum & ipse in operibus suis Academico temperamento vtatur frequentius. Sunt autem dubitabilia sapienti, quæ nec sensus aut rationis manifestè persuadet authoritas, & quæ suis in vtrinsque partem nituntur firmamentis. *Eodem libro, capite secundo.*

Aug. l. 4. de ciuit. c. 30. & lib. 11. c. 26

C. Varro veteres Academicos à Platone institutos vsque ad Polemonem (qui ab illo quartus eius scholã tenuit, quæ Academia dicta est habuisse certa dogmata) vult videri: & ob hoc distinguit ab Academicis nouis, quibus incerta sunt omnia, quod Philosophiæ genus ab Archesila cœpit successore Polemonis, eamque sectam veterum Academicorum sicut dubitatione, ita omni errore carere arbitratur. *Augustinus de ciuitate Dei, libro decimo nono, capite 1. Et de hoc Salesberiensis in Polycrat. libro septimo, cap. secundo. Seneca epist. 88*

ACCEPTIO PERSONARVM.

Vide Martinus. R.

ACEDIA.

A. CVm incipiens in eremo commorari, abbati Moysi omnium sanctorum summo, dixissem me ægritudine Acediæ hesterno die grauissime fuisse confectum, nec ab ea potuisse aliàs liberari, nisi ad abbatem Paulũ protinus concurrissem: ille (ait:) Non te ab ea liberasti, sed magis ei deditum & subditum præbuisti. Grauius enim te vt desertorem ac fugitiuum deinceps aduersarius impugnabit, quem de conflictu superatum protinus aufugisse conspexit: nisi de cætero commissa congressione, non desertione cellæ vel somni torpore ingruentes æstus eius ad horam euaporare malueris. Sed temperantia potius, & conflictu didiceris triumphare. Vnde experimento probatum est acediæ impugnationem, non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.

Ioãnes

Ioannes Cassianus de institutis monachorum, libro 10. *capite vigesimo-quinto.*
Item vide Pusillanimitas. A.

ACCVSATIO.

A*. De beato Macario Ægyptio genere (qui discipulus fuit beati Antonij) ferunt, quod cum homicidij crimen impingeretur innocenti cuidam, interrogauit vbi sepultus esset, qui dicebatur occisus; & designato loco perrexit ad sepulchrũ & fixis ibi genibus inuocato Christi nomine, & eleuata voce ex nomine clamans defunctum, ait ad eum: Per fidem Christi te obtestor vt dicas, si ab hoc, qui pro te insimulatur, occisus es? Tum ille de sepulchro clara voce respondit, non se esse ab eo occisum. Et cum stupefacti omnes, pedibus eius aduoluerentur, rogare cœperunt, vt interrogaret eum, á quo esset occisus? Tum ille inquit, Ego non interrogabo, sufficit enim mihi, vt innocens liberetur, non est autem meum, vt reus prodatur. *In vitis Patrum, sub titulo de duobus Macarijs.*

B. Quidam senex habens vnicam paruam filiam, commendauit eam cuidam parenti suo, & ingressus est monasterium. Qui cum aliquando recordaretur filiæ suæ, contristari cœpit intra se. Quod percipiens Abbas dixit ei: Quid habes Frater, quod ita tristis ambulas? Qui procidens ad pedes eius, dixit ei cum lachrymis: habeo vnum filium in ciuitate, quẽ reliqui paruulum, & recordatus affligor propter eum, & non indicauit ei, quod puella esset. Vade inquit Abbas, adduc eum, & sit tecum. Quod cum fecisset, illam, quæ vocabatur *Marina*, vocauit *Marinum*, monuitq́; eam pater, ne aliquis cognosceret mysterium suum, & ab insidijs diaboli caueret. Dum autem esset septemdecim annorum, mortuus est pater suus, & ipsa sola relicta ab omnibus amabatur. Cui commissum est sequi currum monasterij, & frequẽter vrgente nocte in quodam pandochio pernoctabat. Pandox autem ille habebat filiam virginem, quæ á quodam milite est imprægnata, quæ dixit se à fratre Marino esse imprægnatam. Requisitus ergo Frater Marinus, vtrum hoc scelus perpetrasset, ingemiscens ait: Peccaui Pater, pœnitentiam ago, oraque pro me. Tũc iratus Abbas eam afflixit, & de monasterio eiecit. Quæ nulli mysteriũ suum confessa, iactauit se ante fores monasterij, iacensque super terram, & in pænitentia se affligens, ingredientibus fratribus postulabat sibi buccellam panis dari. Pandochis vero filia peperit filium, & ablactauit, quem mater puellæ ad Marinum attulit, ibique reliquit. Quem virgo suscipiens, de buccella panis, quam ab ingredientibus templum accipiebat, alienum filium tanquam suum nutriuit. Postea Fratres compuncti vix impetrauerunt, vt Abbas fratrem Marinum susciperet, qui iam quinque annis ante ianuam iacuerat. Cui præcepit Abbas, vt omnia vilia officia faceret, & omnibus seruiret: quæ omnia deuote implens, post modicum dormiuit in Domino. Quod Abbas audiens, ait. Videte quale peccatum suum fuit, quod veniam non meruit: Ipsum tamen lauate, & longè à monasterio sepelite. Cumque lauarent eum, cognito quod mulier esset, arguentes se & dolentes exclamabant, quod talis pænitẽtiæ & conuersationis mulier iniustẽ fuit ab eis afflicta. Abbas quoque videns, quod mulier esset, cecidit in terram,

terram, & percutiebat caput suum, postulans ab ea veniā. Eiusque corpus iussit in Ecclesia in oratorio reponi. Eadem die puella à dæmonio arrepta venit ad monasterium, confitebaturque de quo conceperat, septima autem die liberata est à dæmonio in oratorio, vbi vsq; modo meritis virginis Deus multa miracula operatur. *In vitis Patrum, sub titulo de sancta Marina.*

C. Sancta *Eugenia*, Filia Philippi nobilissimi Romani, præfecti Alexandriæ, sumpta veste virili, cum Protho & Hiacintho eunuchis suis *in monasterio, cui sāctus Helenus præerat, habitum monasticum suscepit, & se fratrem Eugenium fecit ab omnibus appellari. Postmodum recitatur, quod quædam mulier eam de oppressione sua falsò accusauit, & equaliter falsitas accusationis fuit ostensa. *In aurea Legenda, sub titulo, de Sanctis Proto & Hiacintho.*

D *. Filia cuiusdam Ducis ex fornicatione filium parturiens, quendam sanctum Diaconum infamauit, quod ex ipso conceperit. Cum autem parentes puellæ vellent Diaconum occidere, Sancti Apostoli Simon & Iudas aduenerunt: infantemque, qui eadem die natus erat, atque Diaconum adduci fecerunt. Quibus adductis, dixerunt infanti: Dic in nomine Domini, si iste Diaconus hoc præsumpsit. Ad hæc infans: Iste, inquit Diaconus castus est, nec vnquā carnem suam inquinauit. Cum autem parentes instarent, vt inquirerent, quis auctor huius sceleris fuisset, responderunt Apostoli: Nos innocentes decet absoluere, nocentes non decet prodere. *In aurea legenda, sub titulo de Sanctis Simone & Iuda. Simile quid in vita Brixij. Itē, vide Patientia. y, Scriptura. a. Accusatio. a.*

ACTIVA VITA.

Vide, Contemplatio. c. d.

ADAMAS.

Vide, Mirabile. a. r.

ADDISCERE.

Senex à iuuene, & Episcopus tot annorum à collega necdum anniculo, paratus sum doceri. *Augustinus ad Auxilium Episcopum, Epist 75. Et ponitur, vigesima quarta quæstione, tertio capitulo, si habes. Item, vide Diogenes. d. Discere per totum Genesis. a.* A.

ADVERSITAS.

Narrauit quædā virgo ætate prouecta valde, dicens: Mihi, cum adhuc essem paruula, pater erat modestus & mā suetus moribus; debilis vero & infirmus corpore: qui terram suam operabatur assiduè. Ibidem semper occupans vitam suam. Si quando forsan fuisset sanus, fructus culturæ suæ domi portabat, plurimum vero temporis in lecto suo & languoribus detinebatur. Tanta ei erat taciturnitas, vt ignorantibus eū, sine voce crederetur esse. Mater vero erat curiosa absque modo, & litigiosa, ebriosa, & luxuriosa; sermones eius ita ad vniuersos mouebantur, vt putaretur omne corpus illius lingua: dispensabat etiam ea, quæ domi erant, tanquam meretrix pessima, nūquam corpori eius morbus occurrit, neque dolorem aliquem sensit, vel aliquantum. Inter hæc contigit, vt pater meus longa ægritudine fatigatus moreretur, & continuo aer commotus est, & pluuiæ & coruscationes & tonitrua aerem conturbabant, & neque nocte neque die imber cessando triduo super lectum sine sepultura fecit eum manere, vt homines vici illius mouentes capita, admirarē- A.

tur

tundicentes: Sic Dei erat inimicus, vt nec terra eum recipiat ad sepulturam. Sed tamen ne intra domum membra eius dissoluta ingressum habitantibus prohiberent, imminente aere turbido & pluuia descendente, vix aliquo modo eum sepulturæ tradidimus. At vero mater mea post hæc plurima, accepta licentia, & prostibulum deinceps faciens domum nostram, in magna luxuria vixit & delicijs. Et dum adhuc paruula essem, vix aliquando cum timore, sicut mihi videtur, sensit mortem sibi aduenientem, & tantam meruit prosperitatem funeris, vt etiam putaretur aer simul in exequijs deducere funus eius. Deinde diffuse narrauit, qualiter sibi in visione fuerit reuelatum patrem suum ad gloriam, & matrem suam ad æterna supplicia transiuisse. *In vitis Patrum, libro decimo octauo, parte sexta.*

B *. Quadã vice cum beatus Ambrosius Romam pergeret, & in quadam villa Tuscię apud quendam diuitem hospitatus fuisset, eum de statu suo requisiuit. Cui ille respondit: Status meus, Domine, semper felix fuit & gloriosus. Nam diuitias, seruos, filios, nepotes possideo quam plures, & omnia ad votum semper habui, nec aliquid aduersus mihi vnquam euenit. Quo audito Ambrosius vehementer obstupuit, & socijs suis dixit: Surgite eamus, quia Dominus non est in loco isto. Festinate, ne nos diuina vltio apprehendat. Cum igitur fugerent, & aliquantulum processissent, subito se terra aperuit, & hominem illum cum vniuersis ad se pertinentibus ita absorbuit, vt nullum vestigium inde remaneret. Quod cernens Ambrosius, dixit: Ecce, fratres, quam misericorditer Deus parcit, cui hic aduersa tribuit; & quam seuerè irascitur, cui semper prospera elargitur. In eodem autem loco fouea quædam profundissima remansisse dicitur, quæ vsque nunc in huius testimonium perseuerat. *In aurea legenda, sub titulo de sancto Ambrosio. Petrus de natalibus lib. secundo, cap. 36.*

Item, vide Afflictio. a. Amicitia. n. Blasius. a. Dæmoniacus. e. Homo. c. d. Infirmitas. b. c. d. m. Infortunium. a. Iudiciũ Dei. a. b. c. Patientia. k. Persequutio. a. Prosperitas. a. b. Samaritanus. a. Tribulatio. a.

ADVLATIO.

A. Diogenes Syracusis, cum ei lauanti olera Aristippus dixisset: Si Dionysio adulari velles, ista non esses. Immo inquit, si tu ista esse velles, non adulares Dionysium, per hoc innuens, melius esse oleribus viuere, & verum dicere, quam epulis regijs saginari, & eidem adulari. *Valerius Maximus, libro quarto, capite tertio, & Diogenes Laertius in Aristippo.*

B. Athenienses Timagoram inter officium salutationis, Darium Regem more gentis illius scilicet Persarum adulatum, capitali supplicio affecerunt, vnius ciuis blanditijs humilibus totius vrbis suę decus, Persicæ dominationi submissum grauiter ferentes. *Idem libro sexto capite tertio.*

C. Duo homines, vnus verax & alius mẽdax, venerũt in regionẽ Simiorũ, quos Simius superior inter alios sedens super sellam sibi paratã multis simijs astantibus interrogauit. Quis sum ego, & qui sunt, qui mecum sunt? mendax respondit. Tu es Imperator, & hi sunt Duces, Comites, & Barones tui: quo dicto, iussus est præmiari. Verax autem intra

intra se dixit: Si iste mendax sic remuneratus est, quanto magis ego si veritatem dixero? Interrogatus ergo à Simio dixit. Tu simius es, & omnes isti simij sunt similes tui. Quo dicto, iussus est, dentibus & vnguibus lacerari. *Aesopus in fabulis.*

D*. Cum bellum Graeciæ indiceret Xerxes, scilicet Rex Medorum, animum suum seque oblitum, quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius, scilicet familiaris, aiebat Græcos non laturos, id est expectaturos nuncium belli, sed ad primam aduentus famã terga versuros. Alius, nihil esse dubij, quin illa mole, scilicet tanti exercitus Xerxis, non solum vinci sed obrui Græcia possit, magis verendum ne vacuas vrbes inuenirent. Alius, vix illi naturam rerum sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copijs campestria vix patere; nec cælum satis ad emittenda omni manu tela. Cum in hunc modum multa vndique iactarentur, qui hominem nimia æstimatione sui furentem concitarent, Demaratus Lacedæmonius solus, qui apud Xerxem exulabat (vt dicit *Iustinus* libro secundo) dixit ipsam illam, qua sibi placeret, multitudinem indigestam & grauem metuendam esse ducenti, non enim vires habere, sed pondus: immodica Regi non posse: nec diu durare, quod regi non potest: multo ante vinceris, quam victum esse te sentias. Cæterum nihil tam magnum est, quod perire non possit. Acciderunt autem, quæ Demaratus prædixerat. Itaque Xerxes pudore quam damno miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, & permisit petere, quod vellet. *Et infrà:* Quam miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret Regi. *Seneca libro sexto de beneficijs. Herodotus libro septimo.*

Memini me audisse Romanum Pontificem solitum deridere Lombardos, dicendo eos pileum omnibus colloquentibus facere: eo quod in exordio dictionis beneuolentiam captent, & eorum, cum quibus agitur, capita quodam demulceant adulationis oleo. *Ioannes Salesberiensis in Polycratico, libro tertio, capite sexto.* E.

Si dolus dedit causam contractui, rescinditur, & reuocantur omnia, quæ ex eo, vel ob id profecta sunt. Hæredes quoque defuncti, in solidũ & in perpetuũ tenentur de eo, quod ad eos constiterit peruenisse. Sed quid adulatore dolosius? Quidquid ergo ex ea causa acquiritur, etiam ab hærede iustè potest auelli. Nec credo, quod possit petitoribus obuiari, si vẽdicare audeant, quod adulatoribus contulerunt. *In Polycratico libro tertio, capite decimo-tertio.* F.

Speusippus Philosophus nepos Platonis, cuidam adulanti sibi legitur dixisse: Adulator, desine, nihil proficis, cum te intelligam. *Ioannes Galensis libro de 4. virtutibus Cardinalibus, parte secunda, capite quarto.* G.

Alexander cum in India, in obsidione cuiusdam vrbis sagitta ictus esset, & represso sanguine sicci vulneris dolor cresceret, & crus paulatim obtorpuisset: Omnes, inquit, iurant me esse filium Iouis Ammonis, sed vulnus hoc hominem me esse clamat. Idem nos quoque faciamus. Pro sua enim quemque portione infatuat adulatio. Dicamus: Vos quidem dicitis me esse prudentem, ego autem video, quod multa inutilia concupiscam, nocitura optem. *Seneca, epistola 59. ad Lucilium. Item, vide Augustus Cæsar. A. Martinus e. Patientia. O. Tiberius. A.* H*.

ADVL-

ADVLTERIVM.

A. AVdiuimus, quod eleemosynis intentus furta & rapinam prohibes, pacem diligis, & defensor pauperum & viduarum es, & inde Deo gratias agimus. Quod vero legitimum matrimonium spernis, si pro castitate faceres, esset laudabile, sed quia in luxuria, & in adulterio, & sanctimonialibus voluptaris, est vituperabile atque damnabile. Audiuimus praeterea, quod optimates gentis tuae, paene omnes vitiorum tuorum exemplo, legitimas vxores deserant, & adulteras & sanctimoniales constuprent; quod quam sit ab honestate peregrinum, docet nos alienae gentis institutio. Nam in antiqua Saxonia, vbi nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo vel maritata sub coniuge fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremãt, & super fossam sepultae corruptorem suspendunt, aut cingulotenus vestibus abscissis flagellant eam castae matronae, etiam cultellis pungunt: & de villa in villam missae occurrunt nouae flagellantes, donec interimant. Si ergo gentes Deum ignorantes, zelum castimoniae habent, quid tibi conuenit, fili charissime, qui Christianus es & Rex? Parce ergo animae tuae, parce multitudini populi, tuo pereuntis exemplo, de quorum animabus rationem redditurus es. Recogita quaeso, quam terribilem vindictam Deus in anteriores Reges exercuit, eius culpae, quam in te arguimus, conscios. Nam Celredum tuum praedecessorem, stupratorem sanctimonialium, Ecclesiasticorum priuilegiorum fractorem, splendide cum suis comitibus epulantem, spiritus malignus arripuit, & sine confessione & viatico cum diabolo sermocinanti, & legem Dei detestanti animam extorsit. Hefredum quoque Regem Deirorum & Berniciorum, earundem culparum reum ita effraenem egit, vt & regnum & iuuenilem aetatem cõtemptibili morte amitteret. Obtestamur ergo & obsecramus te, vt recorderis, quam fugitiua sit praesens vita, & delectatio spurcae carnis, per quam aeterni cruciatus emuntur; & quum ignominiosum sit, vt breuis huius vitae mala exempla, posteris in perpetuũ relinquas. *Sanctus Bonifacius Moguntiae Archiepiscopus, in epistola 19. ad Ethelbaldum Regem Angliae, & ponitur in speculo historiali, libro trigesimo-quarto, capite centesimo quinquagesimo-septimo.*

B. In curia cuiusdam militis, nidus erat Ciconiarum, maris scilicet & foeminae. Illa, absente masculo, adulterum frequenter admittens, paludi, quae proxima erat domui, se immergebat. Quae cum miles vidisset, caussam scire volens, fossam sepibus operiri praecepit. Cum ergo illa admisso scelere intrare aquam peteret, nec ei ingressus pateret, interim masculus venit, crimen cognouit, adulteram rostro impetiuit. Ad cuius interfectionem cum solus non sufficeret, cum furore volãs & post horã rediẽs multis Ciconijs sibi associatis, in oculis omnium, qui in curia aderãt, miseram interfecit. *Caesarius in l. 10. c. 50. miraculorum, & Alexander Necham, in libro suo de naturis rerum.*

C. Deus impediuit desiderium Pharaonis, ne tangeret Saram aegritudine & tumultu caussarum. Cumque pro salute Regis sacrificarent Sacerdotes, per iram Dei hoc accidisse significauerunt, quod vxori peregrini iniuriam inferre voluisset. *In historia scholastica super Genesim, capit. de descensu* c. 12. Gẽ.

Abra-

Abrahæ in Aegyptum. Et sumitur à Iosepho, libro primo Antiquitatum, capite decimo-quarto.

Item, Vide Pudicitia. a.b.c. Stuprum. a.

ADVOCATVS.

A*. Qvidam reprobus aduocatus, cú in lecto ægritudinis iaceret, oblata ei Eucharistia dixit, sicut sanus dicere solebat in causis: Volo, quod prius iudicetur, vtrum illam recipere debeam, an non. Cui cum astantes dicerent, Iustum est, vt recipias, & hoc iudicamus. Ipse respondit: Cum sitis pares mihi, non habetis me iudicare. Cumque appellaret quasi ab iniqua sententia, infælicem spiritum exhalauit. *Iacobus de Vitriaco, & parte 7. Speculi spiritualium cap. de aduocatis.*

B. Quidam magnus Aduocatus ordinem Cisterciensem intrauit, qui pro causis abbatiæ defendendis frequenter mittebatur, & semper succumbebat. Cui Abbas & monachi dixerunt: Quomodo tu semper in causis nostris succumbis, qui in seculo existens semper obtinebas in causis aliorum? Quibus ille respondit: Cum essem secularis, semper mentiri non timebam; sed per mendacia & fraudes, aduersarios superabam, nunc autem quia non audeo dicere nisi verum, semper accidit mihi cótrarium: Ita permissus est in claustro. *Idem & author sermo. conuiualiũ.*

C. Demosthenes cum Aristodemum authorem fabularum interrogasset, quantum mercedis vti ageret, id est aduocaret, accepisset: Et respondisset talentum. Et ego, ait Demosthenes, plus accepi, vt taceeem. Ita Causidicorum lingua damnifica est, nec eá, vt dici solet, funibus argenteis vincias. Apud aduocatos igitur, etiam silentium ipsum venale est. *Helinandus in Chronicis, libro quinto. Et Ioannes Salesberiensis in suo Polycratico, libro quinto, capite decimo.*

D. Visum est cuidam, quod viderit Neronem balneantem se apud inferos in auro feruenti & bullienti. Et cum videret Aduocatos venientes illuc: Huc, inquit, venale genus hominum, ô amici mei Aduocati, accedite, vobis mecum locus reseruatur. *Seneca in quadam Tragædia.*

E. Quidam adolescens Euallus nomine, eloquentiæ discendæ causa, perorandi gratia, disciplinæ Pithagoræ se tradidit, promittens certam grandem pecuniam ei se daturum, quo primum die apud Iudices perorasset, & vicisset. Cumque iam abundè in eloquentia profecisset, & causas non reciperet, vt putabatur, ne doctori mercedem solueret, Pythagoras coram Iudicibus eum conueniens ait. Disce scelestissime adolescens vtroque modo id fore, vti reddas mihi, quod peto siue pro te pronunciatum fuerit, siue contra te. Nã si pro te, merces mihi debetur ex pacto, quia tu viceris; si contra te, merces mihi debetur ex sententia, quia vicero. Ad hæc adolescens: Disce, inquit, magister sapientissime, vtroque modo fore vti non reddam quod petis. Nam si pro me pronunciatum fuerit, nihil tibi debetur ex sententia quia ego vicero, si autem contra me, nihil debeo ex pacto, quia non vicero. Quod iudices inexplicabile iudicantes, rem iniudicatam reliquerunt, causam in diem longissimum protelantes, nec multum refert Pythagoras an Protagoras, sicut Quintiliano & Agellio placet ligauerit. Neque enim est vis in nomine, dum constet rem ambiguam sine temeritate diffiniri non posse. *Ioãnes Saresb-*

Saresb. in Polycratico, libro quinto, capite duodecimo. Agellius lib. 5. Noctiũ Atticar. cap. 10. & 11. de Protagora & Euathlo.

F. Demosthenes, antequam virtus eloquij eius innotuisset, cultus operosioris dicitur appetiſſe nitorem, sciens quia purpura Cauſidicũ vendit. At poſtquam notitiam & famam aſſequutus eſt eloquentiæ, toga contentus eſt, dicens ſe velle ſibi à ſe potius, quam à nitore veſtium aut cultu exquiſito conſtare gloriam. *In Polycratico, libro octauo, capite 14. Item, vide Iudex. i. Promiſsio. a.*

ÆDIFICIVM.

A. Legitur de B. Bernardo, quod fleuerit, cum videret tuguria paſtorũ, tecta culmo ſimilia caſis antiquis (Ciſterciẽſes autẽ tunc incipiebant habitare in magnis ædificijs.) quia pulchritudines iſtæ forenſes eneruant propoſitũ, & animum maſculinum effæminant. *Guilielmus Peralta Lugdunenſis, in ſumma Vitiorũ tractatu de ſuperbia, rubrica 67.*

ÆGIDIVS.

A. Ægidius Athenis ex regia ſtirpe progenitus, & ſacris litteris ab infantia eruditus, dum quadam die ad Eccleſiam pergeret, cuidam ęgro petenti, tunicam ſuam tribuit; qua indutus mox ſanitati reſtitutus eſt. *In aurea legenda Iac. de Vor.*

B. Dum vbique miraculis corruſcaret, humanæ laudis timens periculum, penetrauit eremum: vbi antrum & fontem reperiens, ceruam diuinitus immiſſam in nutricem habuit: quæ cunctis diebus lactis alimoniam Sancto præbebat. *Ibidem.*

C. Rex Franciæ feris, & ſiluæ incolis, bellum inferens, forte fortuna Diui inuenit nutricem, quam cum neque ſerui, neque canes ſequi poſſent: telis & miſſilibus aſſequi putans, iaculos in feram iecit, ſed pro fera manum Sancti traiecit, cui vulneri medicinam adhibere noluit; quin potius idem orauit, ne quamdiu viueret, ſanitati priſtinæ redderetur. *Ibidem.*

ÆGYPTVS.

Abundauit aliquãdo idolorũ cultus in Ægypto ſicut nuſquã in vllis gentibus. Canes enim & ſimias adorauerũt, & alia portẽta olim venerati ſunt, allia & cepas: deos eſſe credentes, ſed ipſo Apollonio narrãte didicimus, cauſas priſcæ ſuperſtitionis nobis hoc modo exponente. Bouem, Aprum Deum crediderunt Ægyptij, pro eo quod per ipſum rura excolentes victum cibumque capiebant. Sed & aquã Nili, quod vniuerſas regiones rigabat, venerabantur. Colebant & terram, vtpote cæteris elementis vberiorem. Item olera eo quod occaſionẽ ſibi ſalutis per hęc veniſſe arbitrarentur tẽporibus Pharaonis &c. *In vitis Patrũ, in vita S. Apollonij paululũ ante medium vel ex Philiſtrato ſit in vita Apollonij Tyanei.* A.

Cicero 1. de natura Deorum. Diodorus Biblioth. ſua 2.

Extãt adhuc certiſſima monumẽta geſtorũ, ſcilicet Pharaonis & Ægyptiorum ſubmerſorũ in mari. Nã tractus curruũ & orbitæ rotarũ, non ſolum in littore, ſed etiã in profundo nũc quouſque viſus admittit, cõſpiciuntur, vt quiſquis non docetur timorem Dei propalato religionis ſtudio: iræ eius trãſactæ, vltioniſque terrentur exemplo. *Pau. Croſius lib. 1. c. 10. Item vide mirabile. a. l.* B.

ÆTHIOPIA.

Vt traditur in hiſtorijs, per Eunuchũ miſerat multa dona tẽplo in Ieruſalẽ, Cãdacis regina Æthiopum, & nota quod omnes reginæ Æthiopũ Candaces dicebantur, ſicut Romani Imperatores, Cæſares, nec habebat regimen illa regio, niſi á fæminis. *Scholaſtica hiſtoria parte 8. c. 42.* A.

AER.

A. OLympus vsque ad liquidum aera euadit super quem litteræ inscriptæ in puluere per annum stetisse repertæ sunt immobiles. Vbi pro nimia aeris raritate, nec aues viuere possunt, nec Philosophi ascendentes absque spongijs plenis aqua, aliquantulum ibi manere potuerũt, quas naribus apponentes crassiorem inde aerem attrahebant. Hic Macedoniam diuidit à Thracia. *Comestor in historia scholastica. De hoc Augustinus lib. 15. de Ciuitate, cap. 27.*
Item, vide Alexander. g.

AFFLICTIO.

A. CVm Mauritius Imperator Gregorium & Ecclesiam Dei persequeretur, inter cætera sic ei rescripsit Gregorius. Quia peccator sum, credo, quod Deum tanto nobis amplius placatis, quanto me ei male seruientem affligitis. *In vita sancti Gregorij, libro quarto, cap. 17.*

AFRICANVS.

A. COmmodius Scipio Africanus est cognominatus, quod virtute Africam vicerit: quam si hostes donis placasset, vt parcerent, scilicet tam Scipio Africanus superior, qui vicit Afros in secundo bello punico, quam Scipio Africanus posterior, qui etiã vicit Afros, & etiam caput Africæ Carthaginem omnino deleuit. *Augustinus de ciuitate Dei, libro decimo, capite vigesimo-primo.*

AGRICVLTVRA.

A. VOluptatibus Agricolarum incredibiliter delector, quæ nec vlla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis vitam proximè videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nec vnquam sine vsura reddit, quæ excipit. Deinde prosequitur de mirabili productione terræ nascentium herbarum, scilicet vitium & arborum, cuius consideratio cum admiratione delectat. *Et sequitur infra:* In hac vita Manius Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis. *Et infra.* Aranti Lucio Quintio Cincinnato nunciatum est, eum Dictatorem esse factum: à villa accersebatur & Curius, & cæteri senes. Num ergo horum senectus miserabilis fuit qui se agri cultione oblectabãt? Mea quidem sententia haud scio, an vlla beatior possit esse. *Et infra.* Agro bene culto nihil potest esse nec vsu vberius, nec specie ornatius; ad quem fruendum non modo tardat, verum etiam inuitat atque allectat senectus. *Tullius in libro de senectute: & loquitur in persona Marci Catonis. Liuius l. 3.*

Ferunt Cyrum minorem Persarũ Regem, præstantem ingenio atque imperij gloria, cum Lysander Lacedæmonius vir summæ virtutis ad eum venisset, ei quendam conseptum agrum diligenter consitũ ostẽdisse. Cum autem admiraretur Lysander & proceritates arborum & diuersos ordines, & humum subactam, atque purã, & suauitatem odorum, qui afflarentur ex floribus, tum eum dixisse: Mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam eius, à quo essent ista dimensa & descripta, & Cyrum respondisse: Atqui ego ista sum omnia dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam arborum manu mea sunt sitæ. Tum Lysandrum intuentem purpuram eius, B.

eius, & nitorem corporis, ornatumque Persicum multo auro, multisque gemmis dixisse: Vere te, Cyre, beatũ ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta est. *Idem Cicero.*

ALCVINVS.

A. Alcuinus de Britannia scilicet maiori oriundus, Carolum Regem instituit in Dialectica, & Rhetorica, & præcipuè in Astronomia. Hic omnium Anglorum post beatum Bedam & Adelinum doctissimus fuit. Prælatus est autem à Carolo, *Monasterio beati Martini Turonensis. Helinandus in Chronicis & Sigeb. ad annum* 790.

Plura pete ex Arnoldo Vuionligni vi-ta p. 2. l. 5. c. 92.

ALEXANDER.

A. Saxea grando de nubibus descendens, veris terram lapidibus verberauit quinquaginta duobus diebus, quibus diebus etiam Alexander Magnus ille gurges miseriarum atque atrocissimus turbo totius Orientis est natus. *Orosius libro tertio de Orchestra mundi.*

B. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum Regem, & moribus, & incessu, Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitijs, quibus adhuc puerulus erat infectus. *Hieronymus in epistola ad Athletam.*

C. Alexander cum scire vellet, qui Darium interfecerant, ait: Gaudeo me magnum hostem subiugasse: & licet ipse exequutus non sim, habeo gratiam condignam rependere his, qui beneuolentiam erga me protestati sunt. Hortor ergo, vt se prodant. Iuro igitur patris matrisque meæ maiestatem, sublimes illos & notissimos me facturum. Quo audito, Bersas & Ariobarsanes se produ͂t: quos Alexander iussit in loco altissimo crucifigi, dicens: Non se reum esse periurij, quia sublimes eos ac notissimos omnibus fecit. *Iustinus libro tertio & duodecimo, qui Alexandri occisores vocat Artabanum & Bessum. Arrianus libro tertio, de gestis Alex.*

D. Dicebat Alexander falli eos, qui proditionis præmium à se expectarent; imo violatæ fidei neminem acriorem iudicem vltoremque se esse. *Quintus Curtius.*

E. De Alexandro narratur ab eis, qui opera eius admirantur, quia ei, dum per inaquosa loca properaret, cum Macedonibus diligens quidam miles aquam inueniens hausit & obtulit, ille vero non bibit, sed coram omnibus effudit. *In Tripartita historia, libro primo, capite primo.*

F. Fertur de Alexandro, quod cum virgo eximiæ pulchritudinis finitimæ gentis Principi desponsata, inter captiuas adesse nunciaretur, ei abstinentia summa pepercit, vt ne illam quidem aspexerit. Qua mox ad spõsum remissa vniuersæ gentis per hoc beneficium mentes conciliauit. *In Polycratico, libro quinto, capite septimo. Simile infra. Vide Continentia. d. Maximus ser.* 3.

G. Quando Alexander subiugauit sibi Persas & captiuauit Magnates, direxit suam epistolam ad Aristotelem in hæc verba: Doctor egregie, rector iustitiæ, significo tuæ prudentiæ me inuenisse in terra, Perses quasdam gentes abundantes ratione & intellectu penetrabili, studentes super alios dominari & regnum acquirere, vnde nos proposuimus occidere vniuersos, quid super his decreueris, tuis scriptis nobis significa. Cui Aristoteles ita respõdit. Si potes mutare terræ illius aerem & aquã, insuper & dispositionem ciuitatum imple tuum pro-

propositum; sin autem, dominare super eos cum bonitate, & exaudies eos cum benignitate. Quod si feceris, fiduciam habeas, quod cum Dei adiutorio omnes erunt subiecti. Alexāder ergo accepta epistola suum impleuit consilium diligenter, & erant Persæ magis obedientes eius imperio quam aliæ nationes. In quodā prologo libri *de secretis secretorum, seu de regimine Principum.*

H. Alexander Macedo huic vitio, scilicet inuidiæ mancipatus, præsentiēs mortē, constituit duodecim successores. Vnico enim inuidens, maluit plures successores relinquere, quā parem sibi substituere aliquem. Hęc tamen institutio non tenuit, nam quatuor ex ijs tantum regnauerunt: vt plenius habetur in *historia scholastica, parte quinta, capite de reclusione 10. tribuum l. 1. Machabæ. cap. primo.*

I. Dixit Alexandro quidam ex suis maximus natu. Si dij habitū corporis tui auiditati animi tui parē esse voluissent, orbis te nō caperet, vna manu Orientem, altera contingens Occidentem. Quid tu ignoras arbores magnas diu crescere, & vna extirpari hora? stultus est, qui fructus earum spectat, altitudines non metit. Vide ne dum ad cacumen peruenire contendis, in ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quandoque minimarū auium pabulum fuit. Nihil tam firmū est, cui periculū non sit ab inualido. Deniq; si Deus es, tribuere mortalibus deberes beneficia, non sua eis eripere; si autē homo es, illud quod es, esse te semper cogita, stultum est eorū meminisse, propter quæ tui obliuiscaris. *Quintus Curtius.*

K. Alexander vir supra humanam potentiam animi magnitudine præditus, qui tantam fiduciam militibus suis fecerat, vt illo præsente nullius hostis arma ne inermes quidem timerent, cum nullo hoste congressus est, quem non vicerit; nullam vrbem obsedit, quam non expugnauerit, nullam gentem adijt, quam nō calcauerit, tamen ad extremum est non virtute hostili, sed insidijs suorum & fraude ciuili victus. *Iustinus libro 12.*

L. Alexandri vt infinitam gloriam bellica virtus, ita præcipuum amorē clementia meruit. Is dum omnes gētes infatigabili cursu percurreret, quodam loco niuali tempestate oppressus, senio iam confectum Macedonem militem, nimio frigore rigidum, ipse sublimi & propinqua igni sede sedens animaduertit, factaque non fortunæ sed ætatis vtriusque æstimatione descendit, & illis manibus, quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatum in suam sedem imposuit: id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capitale extitisset, solium regū occupasse. Quid ergo mirum est, si sub eo duce tot annis militare iocondum ducebant, cui gregarij militis incolumitas proprio fastigio carior erat? *Valerius Maximus libro quinto, capite primo. Iulius Fronsinus libro quarto capite 6. Stratagematum.*

M. Alexander Dario iam vno & altero prælio virtutem eius experto, atque ideo partem regni Taurotenus mōtem, & filiam in matrimonium, cum decies centum milibus talentis pollicente, cum Parmenion dixisset, si ipse Alexander esset, vsurum se hac conditione. Respondit. Et ego vterer si Parmenion essem: tacitè consiliarij timiditatem arguens vocem duabus victorijs respondentem, dignamque cui tertia, sicut euenit, tribueretur. *Idem Val. libro sexto, capite quarto, & in Polycratico, libro septimo in fine.*

N. Alexādri pectus insatiabile laudis, & inuidiæ plenum, in tantū vt ferret mole-

molestiſſimè laudes Patris, Cui Anaxarcho comiti ſuo, ex authoritate Demetrij præceptoris, innumerabiles eſſe mundos referenti: Heu me, inquit miſerum, qui nec quidẽ vno adhuc ſum potitus. *Idem Valer. libro octauo, capite decimo-quarto. Iuuenal. Sa-tyr. 10. Plutar. de tranquillit. animi.*

Demo-criti.

O. Dixit Ioſephus (ſcilicet libro tertio antiquitatum) quod Alexandro Macedoni & exercitui eius Darium inſequenti, mare Pamphilicum dicitur & legitur eſſe diuiſum, Deo volente, qui per eum regnum Perſarum delere volebat. *In hiſtoria eccleſiaſtica ſuper Exodũ, capite, de trãſitu maris rubri.*

P. Cum veniſſet Alexander ad montes Caſpios, miſerunt ad eum filij captiuitatis decem tribuum, (ex edicto autem tenebantur egredi non licere) poſtulantes ab eo egrediendi licentiam: Cumque quæſiuiſſet cauſam captiuitatis, audiuit eos receſſiſſe apertè à Deo, Ieruſalem vitulis aureis immolando: & Prophetas Dei prædixiſſe eos, à captiuitate non redituros. Tunc reſpondit, quod arctius eos includeret. Cumque anguſta viarum obſtrueret molibus bituminatis, videns laborem humanum non ſufficere, orauit Deum Iſrael, vt opus illud compleret. Et acceſſerunt ad inuicem prærupta montium, & factus eſt locus immeabilis. Ex quo liquidò apparet non eſſe Dei voluntatem, vt exeant; egredientur, cum circa mundi finem magnam ſtragem facturi, & vt ait Ioſephus: Deus quid facturus eſt pro fidelibus ſuis, ſi tantum fecit pro infideli? *In hiſtoria ſcholaſtica parte quinta, capite de recluſione decem tribuum. Hoc factum de Iudæis incluſis, quibuſdam dubium eſt, vt patet in Speculo hiſtoriali, tit. 30. cap. 81.*

Q. Alexãder cum Oceani littora peragraret, in expugnatione cuiuſdam ciuitatis magnam partem exercitus ſagittis hoſtium veneno illitis amiſit, ac poſt herba ſibi per ſomnum oſtenſa & in potum ſaucijs data, cum reliquis ſubueniretur, vrbem expugnauit & cœpit. *Oroſius de orcheſtra mũdi, libro ſecundo. De hac herba habes infra: vide ceruus. a. Item, vide Adulatio. h. Patientia. a. m. Rex. f. Regnum. b.*

ALEXIVS.

A. ALexius filius cuiuſdam nobiliſſimi Romani, parentes & patriã relinquens, cum ad Edeſſam ciuitatem Syriæ perueniſſet, omnia quæ ſecum detulerat, pauperibus diſtribuit, & veſtimentis vilibus ſe induens cum cæteris pauperibus in atrio Dei genitricis Marię ſedere cœpit, de eleemoſynis vero quantum ſibi poterat ſufficere retinens, cætera pauperibus alijs erogabat. Cum autem quidam eorum, per quos pater ſuus eum per diuerſas mundi partes faciebat inquiri, ad dictã ciuitatem veniſſent, per dictum atrium tranſeuntes, eidem non cognito cum cæteris pauperibus eleemoſynam tribuunt, quos ipſe agnoſcens ait: Ago tibi gratias, Domine, quia eleemoſynam à ſeruis meis feciſti me recipere: Deinde diffuſe narratur, qualiter poſt decem & octo annos Romã rediens, tanquam pauper extraneus, decem & ſeptem annis in domo parentum fuit nutritus, tam eis quam alijs cunctis ignotus, vbi ieiunijs & vigilijs corpus macerans, tandem in Domino feliciter obdormiuit. *In aurea legenda, ſub titulo de ſancto Alexio. Sigebertus anno 405.*

Alea.

A. Lvdum aleæ & tesserarum legitur Attalus Asiaticus inuenisse, quem longè melius est ignorare quàm scire. Thilon Lacedæmonius causa ineundę societatis & amicitiæ missus est Corinthum, inuenitque duces & seniores populi ludentes alea. Infecto itaque negotio rediit dicens gloriam Spartanorum, id est Lacedæmoniorum, quorum virtus nouiter constructo Bysantio clarescebat, nō esse hac infamia maculandam, vt dicerentur societatem contraxisse cum aleatoribus. *Petrus Bles. epistola 74. & Ioannes Salesberiensis in Polycratico, libro primo, capite quinto.*

B. Regi Demetrio à Rege Parthorum tali aurei dati sunt, vt notaretur in eo leuitas puerilis, qui in maiestate regali leuibus intendebat. *Pet. Bles. eadem epistola, & Ioannes Salesberiensis, vbi prius.*

C. Dici solet, quia aleator, quanto in arte doctior, tanto nequior. *In Polycratico libro octauo, capite sexto.*

Amandvs.

A. Extat ad S. Amandum epistola decretalis Martini Papæ, in qua significatur eundem Amandum voluisse pastorale officium deponere pro eorum inobedientia: qui Presbyteri vel Diaconi post suas ordinationes in lapsum inquinabantur, à qua voluntate illum dehortatur idem beatissimus Papa persuadens eum ad patientiam & commouens, vt nullam eis in delicto compassionem exhibeat, sed lapsos omnes ab officio deponat, & eos in iugem pænitentiam mittat. *In speculo historiali Vincentij, libro 34. cap. 113.*

Amazones.

A. Medio tempore, scilicet inter annum 430. & 440. ante vrbem conditam, apud Scythas, duo Reges iuuenes Plenius & Scolopetius, per factionem Optimatum domo pulsi, ingentem iuuentutem secū traxere, & in Cappadociæ pontibus hora iuxta amnem Thermodoontē cōsederunt, campis Themisserijs sibi subiectis, vbi diu proxima quæque populati, conspiratione finitimorum per insidias trucidantur. Horū vxores exilio ac viduitate permotæ arma sumunt, & vt omnibus par ex simili conditione animus fieret, viros qui superfuerant interficiunt, atque accenso in hostē sanguine suo, vltionem cæsorum coniugum finitimorum excidio consequuntur. Tūc pace armis quæsita, externos concubitus ineunt, editos mares mox enecant, fæminas studiose nutriunt, inustis infantium dextris mammillis, ne iactu sagittarum impedirentur, vnde Amazones dictæ sunt. Harum duæ fuere Reginæ, Marpesia & Lampeto: quę agmine in duas partes diuiso, vicissim curam belli & domus custodiam sortiebantur. Ergo cum Europam maxima ex parte domuissent. Asiæ vero aliquantis ciuitatibus captis, ipsæ autē Ephesum aliasque vrbes condidissent, præcipuā exercitus sui partem onustam opulentissima præda domum reuocant, reliquę ad tuendum Asię imperium relictæ cum Marpesia Regina, concursu hostium trucidantur, cuius locum Synope filia capessit, quæ singularem virtutis gloriam virginitate perpetua cumulauit. Hac fama excitatas gentes, tanta admiratio & formido inuaserat, vt Hercules quoque

A Iustino & Orosio, Plynos & Scolopythus.

Strabo l. 11. ait conditas ab Amazonibus Ephesum Smyrnā Paphen & Myrhinam.

que, cum iussus fuisset á Domino suo exhibere arma Reginæ, quasi ad ineuitabile periculum destinatus, vniuersam Græciæ lectam ac nobilem iuuentutem contraxit: nec tamen contentus examine virium ex improuiso aggredi atque insperatas circumuenire maluerit. *Et infra*: Duæ tunc sorores regno præerant Antiope & Orythia, post Orythiam Penthesilea, quæ scilicet alio nomine dicta est *Camilla*, regno potita est, cuius Troiano bello clarissima inter viros documenta virtutis accepimus. *Et infra cap.* 16. Proh dolor, pudet erroris humani. Mulieres patriæ profugæ Europam atque Asiam, id est, plurimas fortissimasque mundi partes intrauerunt, peruagatæ sunt, deleuerunt, centum pæne annis euertendo vrbes plurimas, atque alias extruendo, tenuerunt. *Orosius de ormesta mundi, libro primo, cap.* 15. *Iustinus libro secundo, ex quo hæc deprompta. Diod. l. 2. Plutar. in Theseo.*

Iacobus à Vuriaco c. 92. l. 1. hist. orient.

AMBITIO.

A. PLutarchus Traiano salutem dicit. Modestiam tuam noueram non appetere principatum, quem tamen semper morum elegantia meruisti: quo quidem tanto dignior iudicaris, quanto á crimine ambitionis videris esse remotior. Tuæ itaque virtuti ita congratulor & fortunæ meæ, si tamen ratione gesseris, quæ probè meruisti. Alioquin periculis te & me detrahentium linguis subiectum iri non dubito, cum & ignauiam Imperatorum Roma non ferat, & sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores. Sic Seneca Neronis sui merito detrahentium carpitur linguis, adolescentium suorum temeritas in Quintilianum refunditur: & Socrates in pupillum suum fuisse clementior criminatur. *Hæc in libello Plutarchi de institutione Traiani (sed non est in Græco, vt ab interprete Nicolao Saguntino putetur, confictum) & recitatur in Polycratico libro quinto, capite primo.*

B. Dixit senex quidam: Non habeas notitiam cum Abbate, neque frequenter adiungas te ei; quoniam ex hoc fiduciam sumes, & desiderare incipies, vt teneas etiam ipse primatum. *In vitis Patrum, libro decimo-quinto, parte octaua.*

C. Fabius Maximus, cum à se quinquies, & à patre, auo, & proauo, maioribusque suis sæpenumero consulatum gestum animaduerteret, comitijs, quibus filius summo consensu consul creabatur, quam potuit cōstanter cum populo egit, vt aliquando vacationem huius honoris Fabiæ genti darent. Non quod filij virtutibus diffideret (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur. *Valerius Maximus libro quarto, capite primo.*

D. Non defuit maioribus grata mēs, ad præmia superiori Africano exoluenda, siquidem maxima eius merita, paribus ornamentis decorare conati sunt. Voluerunt illi statuas in curia, in comitio, in rostris, in ipsa denique Iouis Optimi cella ponere. Voluerunt imaginem eius triumphali ornatu indutam, capitolinis puluinaribus applicare. Voluerunt ei continuum per omnes vitæ annos consulatum, perpetuamque dictaturam tribuere, quorum nullum sibi neque plebis-scito dari, neque Senatusconsulto decerni patiendo, pæné tantum se in recusandis honoribus gessit, quantum egerat in gerendis. *Ibidem Val. Maxim. & lib. 8. cap. 15. Liuius lib. 38.*

Item

Item, vide Electio. b. Episcopus. c. Grauitas. B. Moderatio b. c. Papa. M. Principatus. m. Roma. a. f. Monachus. a. i.

AMBROSIVS.

A. TAntæ abstinentiæ fuit beatus Ambrosius, quod quotidie, nisi in sabbato & dominico die & festis præcipuis, ieiunabat. Tantæ etiam largitatis, quod omnia, quæ habere poterat, ecclesiis & pauperibus, nihil sibi retinens, tribuebat. Tantæ compassionis, vt cum aliquis sibi lapsum suum confitebatur, sic amarissimè flebat, vt etiā ipsum flere compelleret. *In aurea legenda, sub titulo de sancto Ambrosio.*

B*. Cum apud Thessalonicam vrbem, orta seditione quidam Iudices fuissent á populo lapidati, Theodosius Imperator indignatus, iussit omnes interimi, nocentes ab innocentibus non secernens: vbi fere septem milia hominum sunt occisa.

C. Cum igitur Imperator Mediolanū venisset, & Ecclesiam intrare vellet, occurrit ei Ambrosius ad ianuam, eique aditum prohibuit, dicens: Cur, Imperator, post causam tanti furoris, non agnoscis molem tuæ præsumptionis? Sed forte recognitionē peccati prohibet potestas imperialis, decet tamen, vt vincat ratio potestatem: Princeps es, ô Imperator, sed conseruorum. Quibus ergo oculis conspicies communis Domini templum? Quibus pedibus calcabis sanctum pauimentum? Quo modo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? Qua præsumptione ore tuo poculū sanguinis eius percipies, cum furore tuorum sermonum tantus iniustè sit sanguis effusus? Recede ergo, ne secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Suscipe vinculum, quo te Dominus ligauit, est enim medicina salutaris. His sermonibus Imperator obediens, gemens & flens, ad regalia remeauit. Ipso ergo in fletu perseuerante, & cum magnis suspiriis & singultibus quotidie dicente: Templa seruis & mendicantibus aperta, & mihi sunt clausa? Rufinus magister militum clamosus Ambrosium adiit, vt Imperatorem absolueret: quem, vt vidit, dixit: O Rufine tantæ necis actor existens, & nunc pudorem de fronte detergens, non erubescis contra maiestatem latrare diuinam? Cumque Rufinus pro Imperatore supplicaret? Ambrosius ait: Ego tibi prædico, quoniam eum sacra limina ingredi prohibeo, si vero potestatem in tyrannidem mutauerit, necem libenter suscipio. Quod cum Rufinus Imperatori nunciasset. Pergam, inquit, ad eum, vt iustas in faciem contumelias percipiam. Cūque venisset, & solui sua vincula postulasset, occurrens Ambrosius ingressumque prohibens ait: Quam pænitentiam ostendisti post tantas iniquitates? Et ille. Tuum est imponere, & meum obtemperare. Verum cū Imperator allegaret Dauid adulterium & homicidium perpetrasse, ait Ambrosius. Qui sequutus es errantem, sequere corrigentem, quod ita gratāter Imperator recepit, quod publicam agere pænitētiam non recusauit. *In aurea legenda, & sumitur ex historia Tripartita, libro nono, capite trigesimo. August. libro quinto, de Ciuit. cap. vigesimo-sexto.*

D. Cum apud Thessalonicam seditione exorta, quidam militariū fuisset impetu populi furentis extinctus, repentini nūncii atrocitate succensus, ad ludos Circensens inuitari populum, eique ex improuiso circūfundi mili-

milites atque obtruncari, vt passim quisque occurrisset, gladio iubet scilicet Theodosius Imp. & vindictam dare non crimini sed furori. Ob hoc cum á Sacerdotibus Italiæ argueretur, agnouit delictum culpamq́ cũ lachrymis professus, publicam pænitentiam in conspectu Ecclesiæ exegit, & in hoc sibi tempus ascriptum, absque regali fastu patienter impleuit. Quibus omnibus illud quoque mirabiliter adiecit, legem enim sanxit in posterum (scilicet admonente vel potius iniungente Ambrosio) vt sententiæ Principum super animaduersione prolatæ necis vel proscriptionis, in diem trigesimum ab executoribus differrentur; quo locus misericordiæ, vel, si res tulisset, pænitentiæ non periret. *In historia Ecclesiastica libro vndecimo, capite decimo-octauo, & plenius in Tripartita historia, libro nono, capite trigesimo.*

E*. Cum Theodosius Imperator intra cancellos Ecclesiæ staret, requirit Ambrosius, quid ibi expectaret? Cui cum diceret, se sacrorum mysteriorum perceptionem expectare, ait Ambrosius. O Imperator, interiora loca Sacerdotibus sunt collata. Egredere ergo, & expectationem hanc cum cæteris communem habe; purpura namque Imperatores facit, non Sacerdotes. Cui Imperator protinus obediuit. Cum ergo reuersus Constantinopolim extra cancellos staret, mandauit ei Episcopus, vt intraret, & ille ait. Vix discere potui, quæ differentia sit Sacerdotis & Imperatoris. Vix enim veritatis inueni magistrum. Ambrosium namque solum noui vocari Pontificem. *In aurea legenda, & etiam in Tripartita historia, libro nono, capite trigesimo.*

Item, vide Ecclesia. g. Auaritia. a. Mors. d.

AMICITIA.

A. Audierat Plato Xenocratem discipulum suum de se multa impiè locutum, sine vlla cunctatione criminationem respuit. Instabat erecto vultu iudex, causam quærens, cur sibi fides non adhiberetur, adiecit non esse credibile, vt quem tãtopere amaret, ab eo inuicem non diligeretur. Postremo, cum ad iusiurandum inimicitias serentis malignitas confugisset, ne de periurio eius disputaret, affirmauit illa Xenocratem nunquam dicturum fuisse, nisi ea dici expedire sibi iudicasset. *Valerius Max. libro quarto, capite primo.*

B. Syracusanus Dionysius quibusdã monentibus, vt aduersus Heraclidem & Calippum, quorũ fidei multum credebat, tanquam insidias ei nectentes cautior esset, respondit: vita se malle excedere, quam in violentæ mortis metu amicos inimicosque iuxta ponere. *Idem libro tertio, capite octauo, & Plutar. in vita Dion.*

C. Alexander Macedonum Rex inclyta iam pugna excellẽtissimus, opibus Darij contusis, ęstu & itineris feruore in Cilicia percalefactus, Cydno qui aquæ liquore cõspicuus Tarsum interfluit, corpus suum immersit subito: deinde ex nimio haustu frigoris obstupefactis neruis, ac torpore hebetatis artubus, maxima cum exanimatione totius exercitus, in oppidum castris propinquum defertur. Iacebat ergo Tarsi, inq́ valetudine eius aduersa, instantis victoriæ spes fluctuabat. Itaque conuocati medici, attentissimo consilio salutis remedia circumspiciebãt. Qui cum ad vnam potionem sententiam direxisset, atq; eã Philippus medicus manibus suis temperatam Alexãdro

(erat autē amicus ipsius & Comes) porrexisset; à Parmenione missæ litteræ superueniunt, admonentes vt Rex insidias Philippi, perinde ac pecunia corrupti à Dario, caueret, quas cum legisset, sine vlla cunctatione medicamentum hausit, ac tum legendas Philippo tradidit: pro quo tā constanti erga amicum iudicio dignissimam à dijs immortalibus mercedem recepit; quia incolumitatis eius præsidium, falso interpellari indicio noluerunt. *Ibidem Valerius Max. P. Blesf. opusc. de amicitia.*

Seneca l. 2. de ira, non Parmenonij, sed matri Alexandri id tribuit.

D. Tenacius eorum nomina posteritatis memoria apprehēdit, qui aduersum amicorum nō deseruerunt, quā qui vitæ prosperum cursum comitati sunt. Nemo de Sardanapali familiaribus loquitur. Orestes Pylade amico, quam Agamemnone patre, pænè notior est. Siquidem illorum amicitia in consortione delitiarum & luxuriæ contribuit. Horum duræ atque asperæ conditionis solatium ipsarum miseriarum experimento enituit. *Valerius Max. libro quarto, capite septimo. De hoc Ambrosius libro secundo de Virginibus.*

E. Damon & Pythias Pythagoricæ prudentię sacris initiati, tam fideliter inter se amicitiam iunxerunt, vt cum alterum ex ijs Dionysius Syracusanus interficere vellet; & is tempus ab eo, quo priusquam periret, domum profectus res suas ordinaret, impetrasset, alter vadem se pro reditu eius dare non dubitauit. Omnes ergo, & imprimis Dionysius, nouæ & ancipitis rei exitum speculabantur. Appropinquātedemum definita die nec illo redeunte, vnusquisque stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabat. At is nihil se de amici constantia metuere prædicabat. Eodem autem momento & hora à Dionysio constituta, qui eam acceperat, superuenit. Admiratus amborum animum Tyrannus, supplicium fidei remisit; insuperque eos rogauit, vt se in societatem amicitiæ tertium gradum sodalitij vna culturum beneuolentia reciperent. *Idem Val. Max. libro quarto, capite septimo. Tullius Tusc. 5. & Offic. 3.*

F. Rex Alexander Darij castris, in quibus omnes necessarij eius erant, potitus Hephęstione gratissimo sibi latus suum tegente, ad eos alloquendos venit. Cuius aduentu mater Darij recreata, humi prostrata caput erexit: Hephæstionem, quia forma & statura ei præstabat, more Persarum adulata tanquam Alexandrum salutauit. Admonita deinde erroris, per summam trepidationem excusationis verba quęrebat. Cui Alexander: nihil est, inquit, quod hoc nomine confundaris, nam & hic Alexander est. Vtri prius gratulemur ei, qui hoc dicere noluit, an cui audire contigit? Maximi enim animi Rex, & iam totum terrarum orbem aut victorijs aut spe complexus, tam paucis verbis se cum comite suo partitus est. *Idem libro 4. c. a. b. Diod. Sicul. in vita Alex. Plut. in Alex.*

G. Rutilij verba prius an facta æstimē nescio, nam vtrisque æquè admirabile inest robur. Cum amici cuiusdā iniustæ rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixisset: *Quid ergo mihi est opus amicitia tua, si, quod rogo, non facias?* Respondit. *Immo, quid mihi tua, si propter te aliquid inhonestum facturus sum?* Huic voci consentanea illa opera, quod magis ordinum dissensione quam vlla sua culpa reus factus: nec absoletam vestem induit, nec Senatoris insignia deposuit, nec supplices ad genua Iudicum manus tetendit, nec dixit quic-

quicquam splendore præteritorum annorum humilius, effecitque vt periculum non impedimentum grauitatis eius esset, sed experimentum. Atque etiam cum ei reditum in patriam Syllana victoria præstaret, in exilio, ne quid aduersus leges faceret, remansit. *Valerius Maxim. libro sexto, capite quarto. Cicero in Bruto & de Orat. 1.*

H. Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas. Hæc verba dixisse Platonem referunt expositores, super illo verbo primi Ethicorum Aristotelis, capite septimo: *Ambobus existentibus amicis, sanctum est prehonorare veritatem.*

I. Age Philippi quam probabilis epistola, in qua Alexandrum quorundam Macedonum beneuolentiam, largitione scilicet prodiga, ad se attrahere conatum, sic increpuit. *Quæ tibi, Fili, ratio, in hanc tam vanam spem induxit, vt eos tibi fideles futuros esse existimares, quos pecunia ad amorem tui cõpulisses.* A caritate illud præstatur. At vero ante Philippus maiore ex parte mercator Græciæ, quam victor fuit. *Valerius Max. libro septimo, capite secundo, ex Cicerone lib. 2. Officiorum.*

K. Refert autem Ioannes Salesberiẽsis, Philippum in eadem epistola addidisse hæc verba: *Largitiones immoderatas rapinæ sequuntur.* Cum enim dando egere cœperis, bonis alienis cogeris manus inferre. Itaque cum beneuolentiæ captãdæ causa sis prodigus, non tanta studia assequeris eorum, quibus dederis quanta odia eorum, quibus ademeris. Et quidem eleganter siue Philippus, siue alius popularis, profusionis huius immoderationem cohibuit. Quæ quidem gloriam videtur afferre, sed more meretricio, cum res defecerit, euanescit. Nam gratiæ, quam non virtus sed fortuna conciliat, amor meretricius rectissimè comparatur. *Hic dictus Ioannes in Polycratico libro octauo, capite secundo.*

L. Bias, cuius sapientia etiam nunc spirat, ita aiebat: oportere homines in vsu amicitiæ versari, vt meminissent eam ad grauissimas inimicitias posse conuerti. Quod quidem præceptum prima specie nimis fortè callidum videtur inimicumque simplicitati, qua præcipuè familiaritas gaudet. Sed si altior animi cogitatio demissa fuerit, perquam vtile reperietur. *Idem Valerius Max. libro septimo, capite tertio. Aristoteles lib. 2. Rhetoric. ad Theodecten. Aliter enim Cic. in Lælio.*

M. Similes sunt mundi amatores homini, qui tres habuit amicos, quorũ duos præcordialiter honorabat, & ad eos afficiebatur vehementer, vsque ad mortem pro ipsis agonizans & periclitari desiderans, tertium vero quasi nihil dilexit. Quadam vero die à Rege citatus est, rationem redditurus de debito decem milium talentorum. In magno itaque periculo constitutus, quærens auxilium venit ad primum amicum, quem prę omnibus dilexerat, ab eo petens auxilium. Cui ille: Nescio, quis sis: habeo alios amicos, cum quibus hodie lætari me oportet, præbeo tibi tantum duo ciliciola, vt habeas, quibus in via, qua ambulas, possis operiri. Confusus ergo, ad secundum abiens, postulauit eius auxilium. Cui ille: Non vacat mihi tecum subire agonem, curis etenim multis circũdor, modo tamen te vsque ad ostium palatij comitabor, & statim reuertar proprijs vacaturus negotijs. Tristis ergo & quasi desperans ad tertium perrexit amicum, sibique facie dimissa dixit: Non habeo os loquendi ad te, quoniam vt debui, non amaui

te, sed in tribulatione circundatus & ab amicis destitutus, rogo, vt mihi veniam præbeas, opem feras. At ille hilari vultu respondit: Certe amicũ certissimum fateor te esse, & tui licet modici beneficij nõ immemor, præcedam te, & apud Regem interueniam, & in manus inimicorum non tradet te. Primus itaque amicus est diuitiarum possessio, pro quibus homo multis subiacet periculis, in morte vero nihil ex õnibus his auferet nisi viles panniculos. Secundus amicus est vxor, filij, & parentes, qui tantum vsque ad monumẽtum secũ pergentes, reuertuntur suis vacaturi negotijs. Tertius amicus est, fides, spes, charitas, eleemosyna, & cætera bona, quæ nos, cum eximus de corpore, præcedere possunt, & pro nobis apud Deũ interuenire, & ab inimicis nos liberare dæmonibus. *Ex historia de Barlaam, c. 13. quam scripsit Damascenus; & plenius in Speculo historiali, libro decimo-sexto, capite decimo-sexto.*

N. Quidam necromanticus habuit discipulum, qui se eum multũ diligere simulabat, & multa promittebat, si foret diues. Magister volens probare, si verum diceret, fecit per quandã incantationẽ ei videri, quod esset Imperator. Cum autem multæ terræ vacãtes denunciarentur ei, magister rogabat vt esset memor sui promissi dando aliquam terrã. Cum autem ille respõderet se nescire, quis esset, intulit magister. Ego sum, qui dedi vobis hæc omnia quę habetis: & nunc vobis omnia aufero, & exsufflata incantatione nihil inuenit de omnibus, quæ sibi ante videbantur. Sic faciet Deus diuitibus. *Hubertus in libro de dono timoris.*

O. Tarquinium vltimũ Romanorum Regẽ exulantẽm dixisse ferunt, tunc primũ se intellexisse, quos fidos habuisset amicos, cum iam neutris gratiã referre posset. *Tull. in li. de Amicitia.*

P. Scripsit Theophrastus librum de amicitia, in quo amicitiam in rebus humanis raram esse contestatur. *Vincentius in speculo historiali lib. 6. cap. 2.* *Item, vide Cautela. a. Hæresis. a. Hæredes. a. Socrates. e. Patientia. bd. be.*

AMOR.

Vide Magia. d. Parentes. n.

ANDREAS.

A. CVidam Episcopo, beato Andreæ Apostolo plurimũ deuoto apparuit diabolus in forma puellæ pulcherrimæ, se ei confiteri velle dicens, & nulli alij. Annuit Episcopus, licet inuitus. Ait illa: Iuuenis sum & pulcra, vt videtis, & filia Regis; qui quia volebat me dare in vxorẽ cuidã magno Principi, ego qui virginitatẽ CHRISTO meo deuoui, audiens de sanctitate vestra, sub alas vestras confugi. Admirans Episcopus pulcritudinem, nobilitatẽ, & facũdiam illius, dixit. Esto secura filia, me & mea tibi offero, & hodie mecum prandebis. Cui illa: Noli pater de hoc me rogare, ne fortè ex hoc mali suspicio oriatur, & fama tua denigretur. Ad quam Episcopus: Non erimus soli, & ideo nulla poterit suspicio oriri. In mensa igitur Episcopus & illa ex opposito consederunt. Episcopus autem faciem eius non desijt intueri, & pulcritudinem admirari. Illa autem hoc percipiens, pulcritudinẽ suam magis augebat, & cor Episcopi graui iaculo vulnerauit. Iamque proximus erat cõsensui, vt illã de opere illicito requireret. Tunc peregrino quodã ad ostiũ pulsante, & clamante, vt sibi aperiretur, ad rogatum puellæ proposita est ei quæstio, quod esset maius miraculũ, quod vnquam Deus in re parua fecerit. Peregrinus ergo interrogatus per nuncium respondit, diuersitas

uersitas & excellẽtia facierum. Inter tot enim homines, qui fuerũt ab initio, & futuri sunt vsque in finem, nõ inueniuntur duo, qui habeant facies omnino similes: & in tã minima facie, Deus omnes sensus corporis collocauit. Videntes quod sapienter respondisset, proposuerunt ei aliã, videlicet: Vbi terra altior cælo est. Ille autem respondit: In cælo empyreo, vbi est corpus CHRISTI. Tertio etiã ad rogatum dictæ puellæ proposuerunt aliam difficiliorem præsentibus, scilicet quantũ spatij est à cælo vsque ad terram? Tunc ille respondit: Ille, qui te misit, melius scit, quam ego. Ego autem nunquã de cælo cecidi, sed ipse de cælo cecidit in abyssum, & illud spatium mensurauit: nam diabolus est, qui se posuit in specie mulieris. Nuncius hæc audiens, vehementer expauit; & ea, quæ audierat, recitauit. Mirantibus itaque omnibus & stupentibus, diabolus è medio euanuit: Quæsitus autem peregrinus, non est inuentus. Episcopus autem ad se rediens, & de culpa contritus, accepit per reuelationem, quod peregrinus ille fuerat S. Andreas, & ex hoc, maiorẽ deuotionem ad Apostolum cœpit habere. *In aurea legenda, sub tit. De S. Andrea, cui ferè simile scribitur in legenda S. Barthol. Item, vide Patronus. 4.*

ANGELVS.

A. IN eadem scriptura, vbi dicti sunt dilexisse filias hominũ *filij Dei*. Genesis 6. idẽ dicti sunt etiam *Angeli Dei*. Vnde illos putant multi nõ homines fuisse, sed Angelos. Quã quæstionem nos transeuntes, cõmemoratam in tertio huius operis libro reliquimus insolutam: vtrum possint Angeli, cũ spiritus sint, coire corporaliter cum fæminis. Scriptũ est. *Qui facit Angelos suos Spiritus*, id est eos, qui natura spiritus sunt, facit esse angelos suos, iniungendo eis officium nunciandi. Sed vtrũ eorum corpora consequenter adiunxerit dicendo, *& ministros suos ignem ardentem*: an quod charitate tanquã igne spiritali feruere ministri eius debeant, ambiguum est. Apparuisse tamẽ hominibus Angelos in talibus corporibus, vt nõ solum videri, verũ etiã tangi possent, eadẽ verissima Scriptura testatur. Et quoniam creberrima fama est, multiq; se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorũ fide dubitandũ nõ esset, audisse confirmãt; Syluanos, & Faunos, Panes, quos vulgo Incubos vocãt, improbos sæpe extitisse mulieribus, ac earum appetisse ac peregisse concubitũ; & quosdã dæmones, quos *Dusios* Galli nuncupant, assiduè hãc immunditiã & tẽtare & efficere plures, talesque asseuerãt, vt hoc negare impudẽtiæ videatur, nõ hinc audeo aliqua definire, vtrũ aliqui spiritus elemẽto aereo corporati, (nã hoc elementũ etiã cum agitatur flagello, sensu corporis tactuq; sentitur) possint etiã hanc pati libidinẽ, vt quomodo possint, sentiẽtibus fæminis misceãtur. Dei tamen Angelos sanctos nullo modo illo tẽpore sic labi posse crediderim, nec de ijs dixisse Apostolũ Petrũ. Si enim Deus angelis peccãtibus non pepercit, & cætera, secũdæ Petri secundo. *Et infra.* Angelos etiam Dei homines nuncupatos eadẽ scriptura sancta testis est. Hoc idem declarat *Aug. lib. 15. De ciuitate Dei, cap. 21. & 22.*

Psalm. 103. 4.

B*. Dicebat Antonius. Non est difficilis bonorum spirituum & malorum discretio: quæ sic Deo tribuente panditur. Sanctorũ Angelorum amabilis est & tranquillus aspectus, quia non cõtendunt, neque clamãt, verũ tacitè leuiterq; properãtes gaudiũ, & exultationem & fiduciam pectoribus infundũt. Pessimorũ vero vultus truces soni-

sonitus horridi, sordidi cogitatus plaususque motusque adolescētium vel latronum, è quibus timor animæ sensibus incutitur, metus mortis, lassitudo virtutis, cordis hebetatio. Si ergo pòst timorem horrori concepto successit gaudium & ad Deum fiducia & ineffabilis charitas venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est. Si autem formido incussa permāserit, hostis est qui videtur. quoniam nec fouere nouit, vt Gabriel pauentem virginem. *Et infra.* Cum aliqua se vobis obtulerit visio, audacter requirite quis sit ille, & vnde venerit, ac sine mora si sanctoru[m] fuerit reuelatio, angelica consolatione timor reuertitur in gaudium; si vero diaboli fuerit oblata tentatio, fidelis animæ percunctatione euanescit: quia maximum est securitatis indicium interrogare quis nam sit, & vnde sit. Et Naue filius auxiliatorem suum interrogando cognouit, Iosue cap. 6. nec Danielem percunctantem latere potuit inimicus. *Athanasius, in vita sancti Antony.*

C. Credunt Hebræi quod hoc die scilicet secundo, Angelus factus est diabolus: quibus consentire videntur qui in secunda feria missam de Angelis cantare consueuerunt, quasi in laudem stantium Angelorum. *In historia scholastica super Genesim, capite de opere secundæ diei.*

Item, vide Humilitas. r. s. Incubus. b. peccatum. b.

ANGLIA.

A. ANno Domini millesimo ducentesimo decimo-tertio, Ioannes Rex Angliæ spontaneè de consilio Baronum suorum obtulit, ac liberè concessit Deo & Apostolis eius Petro & Paulo, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Domino Papæ Innocentio tertio, eiusque successoribus, totum regnum Angliæ, & Hiberniæ cum omni iure ac pertinentijs, pro remissione peccatorum suorum, totiusque generis sui viuorum & mortuorum; & fecit & iurauit homagiū pro prædictis regnis Deo & prædictis Apostolis, & Innocentio Papæ, vt ea de cætero tanquam feudatarius reciperet ac teneret ab ipso Papa, eiusque successoribus, ad cuius iudicium statuit, vt de proprijs reditibus prædictorum regnorum pro omni seruitio ac consuetudine, saluo per omnia donario beati Petri, ecclesia Romana mille marcas recipiat annuatim, septingentas pro regno Angliæ ac trecentas pro regno Hiberniæ, saluis sibi & hæredibus suis iustitijs, & libertatibus, ac regalibus. *In speculo historiali libro trigesimo-primo, capite septimo. Idem præstitit S. Ina rex Angliæ & Casimirus rex Poloniæ vt ostendit Arnol. Vvion p. 2. lig. vitæ l. 5. cap. 64. & 65. Mathæus Paris in Ioanne eodem anno.* *Lege epi. 46. Petri Blesensis.*

Beatus Eugenius gentem Anglorum ad quæcumque vellet applicari, dixit esse idoneam, & præferendam alijs, nisi leuitas impediret: sed sicut Hannibal posse vinci Romanos negabat nisi in patria sua, ita & hæc dū peregrinatur inuincibilis est. Nam in sedibus suis facilius expugnatur. Hoc autem forte commune habent cum gentibus cæteris incolæ Britanniarū atque Italiæ. *In Polycratico libro sexto, capite decimo-nono.* B.

Quadam die beatus Gregorius per forum vrbis Romæ transiens, cernit quosdam pueros forma pulcherrimos, & vultu venustos, capillorumque nitore perspicuos esse venales. Interrogat igitur mercatorē de qua patria illos attulisset. Ille respondit: C.

De

De Britannia, cuius incolæ simili candore refulgent. Interrogat ergo si Christiani essent, cui mercator: Nõ, sed paganicis erroribus implicantur. Tunc Gregorius acriter ingemiscés: Proh dolor, inquit, quam splendidas facies possidet Princeps tenebrarum! Insuper rogat quod esset vocabulum illius gentis? Cui ille, Anglici vocantur ait. Gregorius: *bene Anglici*, inquit, *quasi Angelici* quoniã Angelicos vultus habent. *In aurea legenda sub titulo de beato Gregorio. Beda lib. secundo, capite primo. Hist. Angl. & lib. 1. c. 21. vita S. Greg. apud Ioannem Diaconum.*

D. Adulphus Rex Angliæ qui primus totius Angliæ obtinuit monarchiã, deuotionis causa venit Romam, & coram Leone Papa quinto obtulit tributum sancto Petro de vnaquaque domo argenteum nummum in anno, & hoc tributum vsque hodie perseuerat. *Martinus Polonus in Chronicis.*

Item, vide Lupus. a.

ANIMA.

A. IN libro decimo de Republica disseruit Plato, quò anima post corpus euadat, vel vnde in corpus adueniat per illam quam narrat de quodam natione Pamphylo Eri nomine, & milite officio: qui cũ multis vulneribus in prælio acceptis videretur mortuus & inter mortuos iaceret, duodecima demum die (vt ait Macrobius super somnium Scipionis) cum inter cæteros peremptos vltimo esset igne honorandus, subito seu recepta seu retenta anima, quidquid emensis inter vtramque vitam diebus egerat, videratúe, tanquam publicum professus humano generi enunciauit. Hunc dicit Cicero excitatum fuisse non reuixisse. *Valerius Maximus libro primo, capite octauo de Miraculis.* sic ait. Plato scribit Pamphylum decem diebus inter eos qui in acie ceciderant, iacuisse, postea positum in rogo reuixisse. *Eadem Helinandus in Chronicis. Et in Speculo historiali libro quarto.*

Platonem animas hominum post mortem reuolui vsque ad corpora bestiarum scripsisse certissimum est. Hanc sententiam Porphyrij tenuit Doctor eius Plotinus: Porphyrio tamen iure displicuit, in hominum non sua quæ dimiserant, sed alia noua redire corpora humanas animas arbitratus est. Puduit nempe illud credere, ne mater fortè filium in mulam reuoluta vectaret, & non puduit hoc credere vbi reuoluta mater in puellam filio forsitan nuberet. Quanto creditur honestius animas reuerti ad corpora propria semel, quam reuerti toties ad diuersa. Veruntamen, vt dixi, ex parte magna correctus est in hac opinione Porphyrius, saltem vt in solos homines humanas animas præcipitari posse sentiret: beluinos autem carceres euertere non dubitaret. *Augustinus de Ciuitate Dei, libro decimo cap. 30.* B. *In Tymaeo & Phaedro.*

Ita animas mortalium nec in suis corporibus semper esse posse existimat Plato, sed mortis necessitate dissolui, nec sine corporibus durare perpetuo, sed alternantibus vicibus indesinenter viuos ex mortuis, & mortuos ex viuis fieri putat: vt a cæteris hominibus hoc videantur differre sapientes quod post mortem ferantur ad sidera, vt aliquanto diutius in astro sibi congruo vnusquisque requiescat, atque inde rursus miseriæ pristinæ oblitus, & cupiditate habendi corpus victus redeat ad labores ærumnasque mortalium. Illi vero qui stultam duxerunt vitam, C. *In Phaedro.*

ad cor-

ad corpora suis meritis debita siue hominum siue bestiarum de proximo reuoluantur. *Idem libro decimo-tertio, capite decimo-nono.*

D. Aristoteles quintum corpus Animam dixit esse, & Plato nullum. *Idē libro vigesimo-secundo, capite vndecimo. Tullius 1. Tuscul.*

E. Credibile est hoc tempore Augustini opinatum fuisse de Aristotele, nondum translatis & diuulgatis sufficienter libris ipsius, vt dicit Thomas expositor, super prędictis verbis Augustini. *Consule scholia, Lud. Viues in c. 11. August. de ciuit. lib. 22. Item vide Iulianus Apostata. f. Pharisæi. a. Resurrectio. c. Saducæus. a.*

ANIMAL.

A. ANimalibus quibusdam naturaliter inditum est, vt tegmen, quo corpus omne vestitur, si quid in quocunque loco eius senserint abigendum, ibi tantum moueāt, vbi sentiunt, nec solum insidentes muscas, verum etiam hærentes hastas cutis tremore discutiant. *Augustinus de ciuitate Dei, libro decimo-nono, capite vigesimo-quarto.*
Item, vide Asinus. a.

ANNVS.

A. PErhibentur Ægyptij quondam tam breues annos habuisse, vt quaternis mensibus finirentur; vnde annus plenior & verior, qualis nunc & nobis & illis est, tres eorum annos complectebatur antiquos. *Augustinus de ciuitate Dei, libro duodecimo, capite decimo.*

B. Alij, inquit Plinius secundus, æstate determinabant annum, & alterum hyeme, alij quadripartitis temporibus, sicut Arcades, inquit, quorum anni trimenses fuerunt. Adiecit etiam aliquando Ægyptios (quorū paruos annos quaternorum mensium fuisse supra diximus) lunæ fine limitasse annum. *Idem libro decimo-quinto, capite duodecimo.*

lib. 7. ca. 48. hist. nat.

C. Tam magnos annos vixerunt illi antiqui vsque amplius quam nongentos, quantos postea vixit Abraham centum septuaginta, & quantos etiam viuunt homines, septuaginta, vel nō multo amplius, de quibus dictum est: *Et amplius eorum labor & dolor, Hoc probat idem libro decimo-quinto, capite decimo-quarto.* *Psal. 89. num. 10.*

ANSER.

A. GAllorum ascensus in Capitolio, anseris clangore deprehēsus est. Nullum enim animal ita odorem hominis sentit, vt anser. *Isidorus libro duodecimo Etymolog. Plinius libro decimo, cap. vigesimo-secundo, hist. nat.*

B. Vsus inuenit vt acerrimos & sagacissimos canes in turribus nutriāt, qui aduentum hostium ad muros turris vel ciuitatis de nocte odore præsentiunt, latratuque testantur. Anseres quoque non minore solertia nocturnos superuentus clamoribus indicant. Nam ingressi Capitolium Galli Romanum nomen eruissent, ni clamoribus anserum excitatus Manlius restitisset mira diligentia, siue fortuna viros, qui vniuersum orbem erant missuri sub iugum, auis vna seruauit. *Vegetius de re militari libro quarto, capite vigesimo-sexto. Liuius libro quinto, Florus libro primo, capite decimo-septimo. Tullius pro sexto Flscio.*

ANTIPODES.

Vide Terra. d.

ANTONIVS.

A. 2. Thess. 3. num. 10. OPerabatur Antonius manibus suis sciens scriptũ esse, *Qui non operatur, non manducet*, mercedẽ sanè operis sui, pretio panis excepto, largiebatur egentibus. *Athanasius in in vita S. Antonij.*

B. Consueta aduersus adolescentes arma diabolus arripiens nocturnis eum inquietabat illecebris. Ille cogitationes sordidas conabatur inserere, & hic orationibus eas assiduis amouebat. Et dum ille titillabat sensus naturali carnis ardore, hic fide & ieiunijs omne corpus vallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuiæ; hic vltricis gehẽnæ flammas & dolorem vermium recordans, cogitationi libidinum obijciebat. *Ibidem vt supra.*

C. Cum se videret diabolus semper ab eius cogitationibus repelli, vt puer horridus atque niger ad eius genua se prouoluens apparuit, & interrogatus, Quis esset, respondit: Ego multimoda turpitudinis aduersus omnes adolescentes arma suscepi: exinde spiritus fornicationis vocor, Ego, qui teipsum sępius vexaui & sẽper repulsus sum. Cum hoc Christi miles audisset, dixit. Multum ergo despectibilis es, nam & obscuritas tua & ætas infirmarum signa sunt rerum, nulla mihi iam de te cura est. *Ibidem vt supra.*

D. Metuens diabolus ne accessu temporis eremum quoque faceret Antonius habitari, ita eum aggregatis satellitibus suis varia cæde lacerauit, vt doloris magnitudo etiam motum auferret & vocem. Alia autem die frater aduenit cibos deferens assuetos, inueniensque eum quasi mortuum proprijs humeris ad villulam deportauit, & ecce iam media nocte transacta Antonius anima paululum redeunte suspirans, eleuauit caput, & postquam cæteris alta somni quiete prostratis, qui conuenerant ad funeris faciendum officium, eum, à quo delatus fuerat, vigilare conspexit, nutu aduocans obsecrauit, vt nullo penitus excitato ad pristinum se referret habitaculum. Relatus ergo solus iterum permanebat, & orans prostratus post orationem clara voce dicebat. Ecce ego hic sum Antonius: non fugio vestra certamina. Nullus me separabit à caritate CHRISTI. Talia ergo dicente sonus repentinus interfuit, ita, vt loco funditus agitato, & parietibus patefactis multifaria dęmonum turba exinde se effunderet. Nam & bestiarum, & serpentum formam induẽtes omnẽ protinus locum repleuere fantasijs leonum, taurorum, aspidum, & hæc singula secundum naturam suam fremebant. Antonius vero flagellatus atque confossus, sentiebat quidem asperiores dolores corporis, sed interiùs durabat mente peruigili. Denique cum eleuaret oculos, vidit culmen aperiri, & radium ad se lucis influere: post cuius splendoris aduentum nec dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor ex templo deletus est: & ilico præsentiam Domini intelligens loquebatur Domino: Vbi eras, bone Iesu; vbi eras. Quare non á principio affuisti? Et facta vox ad eum. Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum, nunc quia non cessisti dimicando viriliter, semper auxiliabor tibi & faciam te in omni orbe nominari. *Ibidem.*

E. Hora circiter nona cum ante cibũ orare cœpisset, raptum se sensit in spiritu, & ab Angelis in sublime ferri, prohibentibus autem transitum aereis dæmonibus, cæperunt sancti Angeli contradicentes dicere: quæ esset causa contradicendi, nullis existentibus in Antonio criminibus, illis vero ab exordio replicare peccata nitentibus, calumniosa Angeli clauserunt ora dicentes; non debere eos a natiuitate eius debita narrare, quæ iam CHRISTI essent bonitate sopita, si qua autem scirent ex eo tẽpore quo factus esset monachus, licere proferre, accusabant dæmones multa procaciter mentientes, & cum deessent probamenta fallacibus, liber Antonio conscensus aperitur, & statim rediens in se in eo loco in quo stare cœperat, hoc se rursum esse vidit quod fuerat. *Ibidem.*

F. Habebat autem in vultu magnam gratiam, & mirabile hoc à Saluatore munus acceperat. Si quis enim ignarus eius inter multitudinem monachorum eum videre desiderasset, nullo indicante cæteris prætermissis ad Antonium currebat, & animę puritatem cognoscebat ex vultu, & per speculum corporis, gratiam sanctæ mentis intuebatur. Nam semper Hilarem faciem gerens liquidò ostendebat se de cælestibus cogitare. *Ibidem vt supra.*

G. Erat autem Antonius valde sapiẽs, & hoc in se mirabile habens, quia cũ literas non didicisset, ingeniosissimus & prudentissimus erat. Aliquãdo enim duo gentiles Philosophi venerunt ad eum, putantes Antonium se posse decipere. Quos cum vidisset, paganos intellexit ex vultu, & procedẽs ad eos per interpretem ita cœpit: Quare tam longe ad stultum hominem sapiẽtes se vexare voluerũt? Illis dicentibus non esse illum stultum, sed nimium sapientem, respõdit: Si ad stultum venistis, superfluus est labor vester: si sapientem me esse putatis, bonum est. Imitamini quæ probatis, quia bona conuenit imitari. Si ego ad vos venissem, vos imitarer, sed quia ad me venistis quasi ad sapientem venistis, estote sicuti ego, Christiani, abscesserunt philosophi vtrumque mirantes, & acumen ingenij, & dæmonum expulsiones. Alios quoque mundi sapientes, qui eũ irridere cupiebant, quia literas nesciebat, tali disputatione colligauit. Respondete mihi quod prius est, sensus an literæ? Et quid cuius exordiũ est, sensus ex litteris, an literæ oriãtur ex sensu? Asserentibus illis, quia sensus est author & inuentor literarum, ait: Ergo cuius sensus incolumis est, hic literas non requirit. *Athanasius ibidem.*

H. Si qui maiore potestate premebãtur, nec poterant obtinere iustitiam, ita eos obnixè defendebat, vt ipse pro illis pati videretur iniuriam. *Ibidem.*

I. Antonius maximus monachorũ. Is puer relictus orphanus paternos agros donauit conuicaneis suis: aliam vero substantiam disponens pretiũ pauperibus erogauit, studiosi æstimans esse philosophi, non solum seipsum spoliare pecunijs, sed eas dispensare proficuè &c. Eius esca erat panis, & sal, potus aqua, prandij tẽpus solis occasus. *In Tripartita historia libro primo, capite duodecimo. Socrates libro sexto, capite octauo. Nicephor. libro decimo-tertio, capite octauo.*

Item, vide Honor. d. Liber. b. Sepultura. c.

ANTI-

ANTIPHONA.

A. DIcendum vnde sumpsit initium, vt in ecclesia Antiphonæ decātentur. Ignatius Antiochiæ Siriæ (tertius post Petrum Apostolum Episcopus, qui etiam cum ipsis degebat Apostolis) vidit Angelorum visionem, quomodo per Antiphonas sāctæ Trinitati dicebant hymnos, isque modum visionis Antiochiæ tradidisse probatur Ecclesiæ, & ex hoc ad cunctas transiuit Ecclesias. *In Tripartita historia libro decimo, capite nono.*

ANTI-CHRISTVS.

A. ANno Imperatoris Mauritij decimo-primo, in Gallia quidam in sylua cædens ligna, adeo à muscis infestatus est, vt per biennium amens fieret. Deinde sub Religionis habitu exhibebat se Pseudoprophetā, deinde Magum, deinde etiā sanitates super infirmos faciēs se CHRISTVM esse dicebat, & pro Christo se adorari iubebat. Nolentes se adorare, cum populo, qui multus ei adhærebat, impetebat hostiliter: qui postea à quodam fideli occisus est, & ita sequaces eius dispersi sunt. *Sigebertus Gemblacensis in Chronicis. Anno Christi* 593.

B. Præsentia Antichristi erit secundum operationem Sathanæ in omni virtute, signis & prodigijs mendacij, & in omni seductione iniquitatis. Tunc enim soluetur Sathanas, & per Antichristum in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mēdaciter, operabitur, quæ solent ambigi, vtrū propterea dicta sint signa & prodigia mendacij, quia mortales sensus per phantasmata decepturus est: vt quod non facit, facere videatur, an quia illa ipsa etiam si erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros non ea potuisse nisi diuinitus fieri, virtutem diaboli nescientes, maximè quando tantam, quantam nūquam habuit, acceperit potestatem. Non enim quando ignis de cælo decidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum sancti Iob vno impetu absumpsit, & turbo irruens & domum quatiens filios eius occidit, phantasmata fuerunt: quæ tamen opera fuerunt Sathanæ, cui Deus dederat hāc potestatem. Propter quod horum ergo dicta sunt prodigia & signa mendacij, tunc potius apparebit. *Augustinus de ciuitate Dei, libro vigesimo, capite decimo-nono.* *2. ad Thessal. cap. 2.*

APIS.

A. PRo hoc peccato, scilicet submersionis paruulorum filiorum Israel, creditur Deus Ægyptios tradidisse in hunc errorem, vt Apim pro Deo colerent. Erat autem Apis, vt ait Plinius (qui & testatur se eum vidisse) quidā taurus qui ex improuiso egrediebatur de flumine habens in humero dextero signum candidū, ad instar lunæ corniculatæ, ad quem cum statim confluerēt Ægyptij omni genere Musicorum psallentes, leuabatur in aera, & super eos tanquā psallens ferebatur, & ad motum vel stationem ipsius ipsi in terra mouebantur vel stabant & eadem die euanescebat. In historia scholastica super Exodum capite de submersione paruulorum. *Aug. lib.* 18. *c.* 5. *de ciuit.* *Item vide Mirabile. a. l.* *Hist. nat. lib. 8. c. 46.*

APOLLONIA.

A. CVm Apolloniam longæ ætatis virginem persequutores rapuissent,

rent, dentes ei primo omnes effoderunt, congestis deinde linguis extruxerunt rogum, comminantes se eam incensuros, nisi cum ipsis pariter impia verba proferret, scilicet contra Christum. At illa vt rogum vidit incensum, paululũ quid in semetipsa molitur, repentè se à manibus prorupit impiorum, atque in ignem sponte prosiliuit, ita vt perterrerẽtur etiam crudelitatis authores, quod promptior inuenta est ad mortẽ fœmina quam persequutor ad pœnam. *Euseb. in Eccles. historia lib. 6. cap.* 31.

AQVA BENEDICTA.

A. g. ANno Domini 856. vt in Chronico legitur in parochia Maguntina malignus spiritus lapides iaciendo & parietes domorum quasi malleis pulsando inde manifestè loquendo & discordias seminando homines infestabat, denique animos omnium contra vnum hominem commouit, quasi propter eius peccata cæteri talia paterentur, cuius fruges in vnum coaceruatas incendit, qui vbicũque intrasset statim domus exurebatur, vt iam ei nisi in agris nullus manendi locus esset. Propter hoc presbyteris litanias agentibus & aquam benedictam spargẽtibus, inimicus lapides iactabat, & multos cruentabat. Tandem aliquando conquiescens, confessus est se quãdo aqua spargebatur sub cappa Sacerdotis talis, qui sibi esset familiaris latuisse, accusans quod cum filia procuratoris in peccatum lapsus fuerit. Sic per triennium institit donec ibidem omnia ędificia incendio consumeret. *In aurea legenda sub titulo de sancto Pelagio Papa, & plenius in Speculo historiali, libro vigesimo-quinto, capite trigesimo-septimo.*

AQVA.

A. ✱. APud Veronam fluuius Athesis excrescens ad beati Zenonis Ecclesiam venit, cuius ecclesiæ dũ essent ianuæ apertæ, aqua in eam minimè introiuit, quæ paulisper crescẽs vsque ad fenestras Ecclesiæ tectis proximas peruenit: sicque stans aqua Ecclesiæ ianuã clausit, ac si illud elemẽtum in soliditatem parietis fuisset immutatũ. Cũq; essẽt multi interiùs inuenti sed aquarum magnitudine Ecclesia omni circundata, qua possent egredi non haberent, ibique siti & fame deficere formidarent, ad Ecclesiæ ianuam veniebant, ad bibendum hauriebant aquam, quæ, vt dixi, vsque ad fenestras excreuerat, tamen intra ecclesiam nullo modo defluebat. *Gregorius in dialogis libro tertio, capite decimo-nono.*

Item, vide Abundantia. a. p. Mirabile. g. Obedientia. n.

AQVILA.

Vide Abstinentia. a. g.

ARBOR.

Vide Mirabile. b. k.

ARGENTVM.

Vide Lex. c.

ARISTOBVLVS.

A. ... ARistobulus filius Ioannis Hyrcani impatiens materni dominij, matrem cum tribus fratribus minoribus vinculauit in carcere, & Antigonum fratrem suum quẽ diligebat secundum à se cõstituit, imposuitque sibi diadema, estque restitutũ regnum Iudææ. *Et infra.* Nec tamen regnauit Aristobulus nisi per annú eo quod matrem peremerat in vinculis. *In historia scholastica parte sexta, capite tertio. Ioseph. lib. vigesimo anti.*

ARISTOTELES.

A. FVerunt qui eum incubi dæmonis filium crederent, propter agilitatem corporis, perspicaciam ingenij, & gloriæ appetitum, quam multiplici industria omnibus præripere consueuerat. *In Polycrat. l. 7. c. 6.*

B. Ænigmata Aristotelis (imò Pythagoræ potius) recitat Hieronymus cōtra Rufinum, quorum quædam sunt hæc. Ignem gladio ne foueas, id est iratum & tumidum animum verbis maledicis ne lacessas, cor non comedendum, id est tumorem de animo proijciendum, hirūdinem in domo non suscipiendam, id est garrulos & verbosos homines sub eodem tecto non habendos. *Ioannes Galensis in cōpendiloquio de dictis & vita philosophorum illustrium.*

C. Aristotelis in capessenda laude sitim subnectā. Is namque Theodecti discipulo oratoriæ artis libros quos vt ederet, donauerat, molesteq́ postea ferens titulū eorū sic alij cessisse, proprio volumine, quibusdam rebus insistens, planius sibi de his in Theodecti libris dictū esse adiecit. Nisi me tantæ & tam latepatentis sciētiæ verecundia teneret, dicerem dignum philosophum, cuius stabiliendi mores altioris animi philosopho traderentur. *Valerius Max. lib. 8. cap. 14.*

Extāt verba eius in princip. Rhetoricos ad Alex.

Item, vide Patria. m. Rex. f.

ARMA.

A. NVnquam credo potuisse dubitari armis rusticam plebem, quæ sub dio & labore nutritur, solis patiens & vmbræ negligens, balneorum nescia, delitiarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, cibo duratis ad omnem laboris tolerantiam membris. Cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est; interdum tamen necessitas exigit etiam vrbanos ad arma compelli. Qui vbi nomen dedere militiæ, primum laborare, decurrere, portare pondus & solem pulueremque ferre condiscant, parco victu vtantur & rustico. Interdum sub dio, interdum sub papilionibus commorentur. Tunc demum ad vsum erudiantur armorum, & si longior expeditio emergit, in angarijs detinendi sunt, proculque habēdi à ciuitatis illecebris, vt & eo modo & corporibus eorum robur accedat & animus. Nec inficiendum est post vrbem conditam Romanos ex ciuitate profectos semper ad bellum. Sed tunc nullis delicijs fungebantur, sudorem cursu & campestri exercitio collectum natans iuuentus abluebat in Tiberi. Idem bellator, idem Agricola, genera tantum mutabat armorum. Quod vsque adeo verum est, vt aranti Quintio Cincinnato dictaturam constet oblatam. Ex agris ergo supplendum robur, præcipuè videtur exercitus, nescio enim quomodo minus mortem timet qui minus deliciarum nouit in vita. *Vegetius de re militari, libro primo, capite tertio.*

Item, vide Defensio. a. b.

ARIVS.

A. ARius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. *In decreto 24. quæstione vltima, capite Resecandæ.*

B. Arius ad Ecclesiam pergens Episcoporum, & populorum errori suo fauentium frequentia constipatus, vt Alexandro Alexandriæ Episcopo vim faceret, humanæ necessitatis causa

causa ad publicum declinat locum, vbi cum sederet, intestina eius & omnia viscera in secessus cumulum defluxere, ita tali in loco dignam mortem blasphemiæ & fœtidæ mentis exoluit. *In Ecclesiastica historia libro tertio, capite decimo. Athan. epistola ad Serap.*

C. Fertur hanc gratiam ciuitati suæ Vercellensi Eusebius à Domino impetrasse, vt nullus Arianus ibidem viuere possit. *In aurea legenda sub titulo de sancto Eusebio.*

ARSENIVS.

A*. Abbas Arsenius cum esset in palatio Theodosij maioris, orauit ad Dominum dicens: Domine dirige me ad salutem, & venit ei vox dicens. *Arseni, fuge homines & saluaberis.* Idem ipse descendens ad monasticam vitam rursus orauit vt prius, audiuitque vocem dicentem sibi: *Arseni, fuge, tace, quiesce.* Hæ enim sunt radices non peccandi. *In vitis Patrum libro secundo, parte prima.*

B. Venit aliquando beatæ memoriæ Theophilus Archiepiscopus ad Abbatem Arsenium cum quodam Iudice, & interrogabat senem, volens ab eo audire sermonem. Paulisper autem tacens senex, postea respondit dicens: Et si dixero vobis, custodietis? Illi autem promiserunt se custodire, & ait senex. Vbicunque audieritis Arsenium, approximare nolite. Alia vice volens Archiepiscopus videre eum, misit prius videre si aperiret. Ipse autem mandauit ei dicens. Si veneris aperiam tibi, sed si tibi aperuero omnibus aperiam, & tunc iam hic vltra non sedeo. *Vide supra.*

C*. Sedente eodem, aliquando in Canopo, virgo vna de Roma venit diues valde & timens Deum, & suscepit eam Theophilus. Illa autem rogauit eum vt ageret cum sene, vt videret eum. Qui abiens ad eum rogauit dicens. Aliqua matrona venit de Roma, & vult videre te. Senex vero non acquieuit vt veniret ad eum. Cum ergo hæc renunciata fuissent prædictæ matronæ, iussit sterni animalia dicens. Credo in Deo quia videbo illum. Sunt enim & in ciuitate nostra multi homines, sed ego veni Prophetas videre. Et cum peruenisset ad cellam eiusdem senis, iuxta Dei ordinationem inuentus est opportunè foris prope Ecclesiam. Quem vt vidit prostrauit se ad pedes eius. Ille autem leuauit eam cum indignatione, & intuens in eam dixit: Si faciē meam videre vis, ecce vide. Illa autem præ verecundia non considerauit faciem eius. Et dixit ei senex, nō audisti opera mea? Me enim videre quid necesse est? Quomodo autem præsumpsisti tantam nauigationem suscipere? nescis quia mulier es? & non debes exire quòquam? An idcircò venisti vt vadas Romam, & dicas alijs mulieribus quia vidi Arsenium, & faciant mare viam mulierum venientium ad me. Illa autem dixit: Si Deus voluerit me reuerti Romam non permitto aliquā venire huc, sed ora pro me, & memor esto mei semper. Ille autem dixit: Oro Deum vt deleat memoriam tui de corde meo. Quæ audiens hæc egressa est turbata. Et cum venisset in ciuitatem, præ tristitia febricitari cœpit. Et nunciatum est Archiepiscopo quia infirmaretur & venit ad eandem consolari, interrogans quid haberet. Illa autem dixit ei. Vtinam non peruenissem huc, dixi enim seni: memor esto mei, & dixit mihi: Oro Deum, vt deleatur memoria tui de corde meo, & ecce ego ipsa tristi-

tia

tia morior. Et dixit ei Archiepiscopus. Nescis quia mulier es? & diabolus per mulieres viros sanctos impugnat? propterea hoc dixit senex, nam pro anima tua semper orat, & ita curata est mens eius & discessit cum gaudio ad propria. *Eodem libro parte prima.*

D. Abbas Arsenius nisi semel in anno non mutabat aquam palmarum, sed tantum adjiciebat, faciebat plectam de ipsis palmis & cusabat ad horam vsque sextam. Interrogauerunt ergo eum Seniores, cur non mutaret aquam palmarum quæ fœtebat? & dixit eis: Pro thymiamate & odoribus vnguentorum, quibus in seculo vsus sum, vti me opus est hoc fœtore. *In vitis patrum libro quarto prima parte.*

E. Narrauit Abbas Daniel de Abbate Arsenio, quia venit aliquando Magisterianus, deferens ei testamentum cuiusdam Senatoris parentis eius qui reliquerat ei hæreditatem magnam valde, & accipiens voluit illud scindere. Sed ille cecidit ad pedes eius dicens. Deprecor non scindas illud, quia incidetur caput meum. Et dicit ei Abbas Arsenius. Ego prius mortuus sum quam ille, ipse autem modo mortuus est, quomodo me fecit hæredem? Et remisit testamentum nihil accipiens. *In vitis patrum, libro sexto, prima parte.*

F. Ægrotauit quandoque idem Arsenius, & habuit opus in necessitate sua vsque ad vnam siliquam nummi, & cum non inueniret, accepit á quodam velut eleemosynam, & dixit Gratias tibi ago, Domine, quia me dignum fecisti pro tuo nomine ad hoc peruenire, vt egens eleemosynam postularem. *Eodem libro parte prima.*

G. Dicebant senes de Abbate Arsenio, quia sicut dum esset in palatio nemo eo melioribus vestibus vsus esset; ita & dum in conuersatione moraretur, nemo eo vilius tegebatur. *In vitis patrum.*

Dicebant senes quia dederat quidam in Scythi fratribus paucas caricas, id est ficus, & pro hoc quod paucæ erant, non transmiserunt ex eis Arsenio, ne velut iniuriam pateretur. Ille autem cum hoc audisset, non est egressus iuxta morem ad opus Dei cum fratribus celebrandum, dicens: Excommunicastis me vt non mihi daretis de eulogia quam transmisit Dominus fratribus, ex qua ego non fui dignus accipere. Quod cum audissent omnes ædificati sunt, in senis humilitate, & vadens presbyter portauit illi de caricis illis, & adduxit eum in congregationem gaudentem. *Ibidem.* H.

Quædam puella Æthiopissa veniens ad Arsenium tetigit melotem eius. Senex autem increpauit eam. Illa vero dixit. Si monachus es, vade in montem, scilicet vbi erat habitatio monachorum. Compunctus in hoc verbo senex, dicebat in seipso. Arseni si monachus es vade in montem. *Ibidem.* I.

Cum moreretur Arsenius, discipuli eius turbati sunt valde & dixit eis. Nondum venit hora mea, cum autem venerit, dicam vobis. Iudicari habeo vobiscum ante tribunal Christi, si permiseritis cuiquam de corpore meo aliquid facere. Et illi dixerunt. Quid ergo faciemus? quia nescimus mortuum vestire vel sepelire? Et dixit senex: Nescitis mittere funem in pedes meos & trahere me in montem? *Ibidem.* K.

Cum autem traditurus esset spiritum, viderunt eum fratres flentem & dixerunt. In veritate & tu times mortem Pater? Et dixit eis. In veritate L.

ritate timeo, Timor enim qui in hac hora mihi est, semper fuit in me, ex quo factus sum monachus, & timeo valde, & ita dormiuit in pace. *Ibidē.*

M. Narrauit Abbas Daniel de Abbate Arsenio, quia nunquam voluerit loqui de aliqua quæstione Scripturarum cum posset magnificè, si vellet: Sed neque cito epistolam scripserit ad aliquem. *Ibidem.*

ARCTVRVS.

A. IVxta Merlini vaticinium Arcturus duorum habet exitum, quia vtrum viuat aut mortuus fuerit, nemini certum est. *In historia Britonum, & Vincentius in Speculo historiali, lib. 21. cap. 56. & libro 22. cap. 74. De hoc Arcturo ita loquitur P. Blesensis epist. 51. Promissam expecto gratiam, fortasse sicut Arcturum Britannia, sicut Iudæa Messiā. & Epist. 57. Quibus si credideris, expectare poteris Arcturum cum Britonibus. Alludit Blesensis ad ea figmenta de Arcturo euulgata, quæ sanè fabulosa esse liquet ex hist. Eccles. Venerab. Bedæ. Sigeb. ipse ac Nauclerus omnis certæ authoritatis expertia esse fatentur. Consule Neubrig. rerum Angl. lib. 3. cap. 7. Nauclerum generat. 16. & 17. Polyd. Virg. l. 1. hist. Angl. ad annum 492.*

ASCENSIO CHRISTI.

A. DE loco Ascensionis dicit Sulpitius Episcopus, quia ibi cum postea ædificata ecclesia esset, locus ille in quo exstiterunt vestigia Christi ascendentis, nunquam sterni potuit pauimento, imo resiliebant marmora in ora collocantium, calcati etiam pulueris à Domino hoc dicit esse documentum quia vestigia impressa cernuntur, & eandem adhuc speciem velut pressis vestigijs terra custodit. *In historia scholastica parte septima, capite quinto. Beda libro quinto, capite decimo-octauo. Hist. Angl. ex Adamanno Monacho. S. Paulinus Nolanus epist. 11. ad Seuerum.*

Item, vide Papa. p.

ASYLVM.

ROmulus & Remus asylū quoddam, scilicet templum constituisse perhibentur, quo quisquis confugeret, ab omni noxa liber esset, augere quærentes creandæ multitudinem ciuitatis. *Augustinus de ciuitate Dei, libro primo, capite trigesimo-quarto.* A.

ASINVS.

HEbræi tradunt ob hoc dictum: *Non arabis in boue & asino*, quia noluit Dominus seruili iumento, id est asino Regem iumentorum copulari. Quatuor enim quasi regia animalia ostendit Dominus Ezechiel: Homo enim Rex est omnium animalium: sub quo leo est Rex ferarum. Aquila Rex auium, bos iumentorum, Quidam Hebræi puerilius exponunt, quia scilicet si bos ruminat, putaret asinus, ipsum comedere & fame afficeretur & deficeret. *Super Deuteronomiū in historia scholastica, capite de suscitatione seminis.* A.

ASPECTVS.

PEricles Atheniensium Princeps cùm Tragædiarum scriptorem Sophoclem collegam haberet in Prætura, atque is publico officio vna districtus pueri ingenui prætereuntis formam impensioribus verbis laudasset, intemperantiam eius increpans dixit: Prætori, non solum A*.

manus

manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere. *Valerius Max. libro quarto, capite tertio, è Cic. 1. offic. Plutarch. in Periclis vita. Stobæus sermone 15. & in Polycratico Ioan. Salesberiensis, libro sexto, capite primo.*

ASTROLOGIA.

A. ANno Domini 1147. Astrologi orientales & occidentales, Iudæi & Sarraceni & Christiani, miserunt literas per diuersas mūdi partes prędicantes & asserentes in Septembri futuram validorum ventorū tempestatem, terræ motum, ac mortalitatem hominum, seditiones, & discordias, regnorum mutationes, & alia multa comminantes in hunc modum, sed aliter quam diuinando prædixerant, manifestè rerum subsequens probauit euentus. *In speculo historiali, libro tertio, cap.* 41.

B. Super illud Genesis cap. nono. *Impleti sunt dies Noe nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est:* dicit Iosephus, quod nemo putet falsa quæ de antiquorum longæuitate scripta sunt, quia propter virtutes & gloriosas vtilitates, quas iugiter perscrutabantur, id est, Astrologiam, Geometriam, Deus eis amplius viuendi spatia condonauit, quia aliter ediscere non potuissent, nisi sexcentos viuerent annos. Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. *In historia scholastica super Genesin capite de ebrietate Noe, & Petrus Mexius Hispanus, in Sylua variarum lectionum, capite primo & secundo.*

C. Arithmeticam sanè, & quæ de Astrologia sunt Ægyptijs tradidit Abrahā ante eis ignota, à quibus post peruenerunt ad Græcos. *In historia scholastica super Genesin capite de descensu Abrahæ in Aegyptum.*

Exprobrantibus quibusdam Thaleti milesio Philosopho propter paupertatem, quasi inutili philosophia existente, aiunt ipsum considerasse oliuarum vbertatem futuram ex Astrologia adhucque hyeme existente dedisse oliuarum cultoribus in Mileto & Chio arrhabones, id est arras, pro fructu anni sequentis. Quando autem tempus venit, multis quærētibus simul & subito oliuas, pretium taxans quomodo voluit cum multas collegisset demonstrauit, quoniā facilè est philosophis ditari si volunt, sed non est id circa quod student. *Aristot. primo politici capite* 14. D.

Item, vide Fatum. c. Mathesis. a. b. Moyses. a.

ASTVTIA.

Vide Calliditas. a. Excellentia. a. Hannibal. c. d. Miraculum. x.

ATHANASIVS.

VIrginem quandam in Alexandria septuaginta annorum vidi, de qua dicebant illic omnes clerici, quod olim cum esset iuuenis pulchra valde, conspectus omnium vitare consueuerat, ne qua propter miraculum vultus sui suspicione vel macula notaretur. Tunc Arianis sub Imperatore Constantio B. Athanasio calumnias excitātibus, ille corruptum iudicium declinans non amico vel præsenti vel clerico se subdidit, sed cū apparitores subito domū eius intrassent, tunica birroque vestitus media nocte fugiens ad hanc virginē venit, cui tā inopinatæ rei perterritæ nouitate ait. Ab Arianis quæror & criminibus calūniosis incusor. Ne ergo & ego irrationabili nota deformer, & qui ad pænā meam parati iniquè sūt propter me ruāt in peccatū A.

al. credidit.

ritate timeo, Timor enim qui in hac hora mihi est, semper fuit in me, ex quo factus sum monachus, & timeo valde, & ita dormiuit in pace. *Ibidẽ.*

M. Narrauit Abbas Daniel de Abbate Arsenio, quia nunquam voluerit loqui de aliqua quæstione Scripturarum cum posset magnificè, si vellet: Sed neque cito epistolam scripserit ad aliquem. *Ibidem.*

ARCTVRVS.

A. IVxta Merlini vaticinium Arcturus duorum habet exitum, quia vtrum viuat aut mortuus fuerit, nemini certum est. *In historia Britonum, & Vincentius in Speculo historiali, lib. 21. cap. 56. & libro 22. cap. 74. De hoc Arcturo ita loquitur P. Blesensis epist. 51. Promissam expecto gratiam, fortasse sicut Arcturum Britannia, sicut Iudæa Messiã. & Epist. 57. Quibus si credideris, expectare poteris Arcturum cum Britonibus. Alludit Blesensis ad ea figmenta de Arcturo euulgata, quæ sanè fabulosa esse liquet ex hist. Eccles. Venerab. Bedæ. Sigeb. ipse ac Nauclerus omnis certæ authoritatis expertia esse fatentur. Consule Neubrig. rerum Angl. lib. 3. cap. 7. Nauclerum generat. 16. & 17. Polyd. Virg. l. 1. hist. Angl. ad annum 492.*

ASCENSIO CHRISTI.

A. DE loco Ascensionis dicit Sulpitius Episcopus, quia ibi cum postea ædificata ecclesia esset, locus ille in quo exstiterunt vestigia Christi ascendentis, nunquam sterni potuit pauimento, imo resiliebant marmora in ora collocantium, calcati etiam pulueris à Domino hoc dicit esse documentum quia vestigia impressa cernuntur, & eandem adhuc speciem velut pressis vestigijs terra custodit. *In historia scholastica parte septima, capite quinto. Beda libro quinto, capite decimo-octauo. Hist. Angl. ex Adamanno Monacho. S. Paulinus Nolanus epist. 11. ad Seuerum.*
Item, vide Papa. p.

ASYLVM.

A. ROmulus & Remus asylũ quoddam, scilicet templum constituisse perhibentur, quo quisquis confugeret, ab omni noxa liber esset, augere quærentes creandæ multitudinem ciuitatis. *Augustinus de ciuitate Dei, libro primo, capite trigesimo-quarto.*

ASINVS.

A. HEbræi tradunt ob hoc dictum: *Non arabis in boue & asino*, quia noluit Dominus seruili iumento, id est asino Regem iumentorum copulari. Quatuor enim quasi regia animalia ostendit Dominus Ezechiel: Homo enim Rex est omnium animalium: sub quo leo est Rex ferarum. Aquila Rex auium, bos iumentorum, Quidam Hebræi puerilius exponunt, quia scilicet si bos ruminat, putaret asinus, ipsum comedere & fame afficeretur & deficeret. *Super Deuteronomiũ in historia scholastica, capite de suscitatione seminis.*

ASPECTVS.

A*. PEricles Atheniensium Princeps cùm Tragædiarum scriptorem Sophoclem collegam haberet in Prætura, atque is publico officio vna districtus pueri ingenui prætereuntis formam impensioribus verbis laudasset, intemperantiam eius increpans dixit: Prætori, non solum manus

manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere. *Valerius Max. libro quarto, capite tertio, è Cic. 1. offic. Plutarch. in Periclis vita. Stobæus sermone 15. & in Polycratico Ioan. Salesberiensis, libro sexto, capite primo.*

ASTROLOGIA.

A. ANno Domini 1147. Astrologi orientales & occidentales, Iudæi & Sarraceni & Christiani, miserunt literas per diuersas mūdi partes prędicantes & asserentes in Septembri futuram validorum ventorū tempestatem, terræ motum, ac mortalitatem hominum, seditiones, & discordias, regnorum mutationes, & alia multa comminantes in hunc modum, sed aliter quam diuinando prædixerant, manifestè rerum subsequens probauit euentus. *In speculo historiali, libro tertio, cap. 41.*

B. Super illud Genesis cap. nono. *Impleti sunt dies Noe nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est:* dicit Iosephus, quod nemo putet falsa quæ de antiquorum longæuitate scripta sunt, quia propter virtutes & gloriosas vtilitates, quas iugiter perscrutabantur, id est, Astrologiam, Geometriam, Deus eis amplius viuendi spatia condonauit, quia aliter ediscere non potuissent, nisi sexcentos viuerent annos. Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. *In historia scholastica super Genesin capite de ebrietate Noe, & Petrus Mexius Hispanus, in Sylua variarum lectionum, capite primo & secundo.*

C. Arithmeticam sanè, & quæ de Astrologia sunt Ægyptijs tradidit Abrahā ante eis ignota, à quibus post peruenerunt ad Græcos. *In historia scholastica super Genesin capite de descensu Abrahæ in Aegyptum.*

D. Exprobrantibus quibusdam Thaleti milesio Philosopho propter paupertatem, quasi inutili philosophia existente, aiunt ipsum considerasse oliuarum vbertatem futuram ex Astrologia adhucque hyeme existente dedisse oliuarum cultoribus in Mileto & Chio arrhabones, id est arras, pro fructu anni sequentis. Quando autem tempus venit, multis quærētibus simul & subito oliuas, pretium taxans quomodo voluit cum multas collegisset demonstrauit, quoniā facilè est philosophis ditari si volunt, sed non est id circa quod student. *Aristot. primo politici capite 14.*

Item, vide Fatum. c. Mathesis. a. b. Moyses. a.

ASTVTIA.

Vide Calliditas. a. Excellentia. a. Hannibal. c. d. Miraculum. x.

ATHANASIVS.

A. VIrginem quandam in Alexandria septuaginta annorum vidi, de qua dicebant illic omnes clerici, quod olim cum esset iuuenis pulchra valde, conspectus omnium vitare consueuerat, ne qua propter miraculum vultus sui suspicione vel macula notaretur. Tunc Arianis sub Imperatore Constantio B. Athanasio calumnias excitātibus, ille corruptum iudicium declinans non amico vel præsenti vel clerico se subdidit, sed cū apparitores subito domū eius intrassent, tunica birroque vestitus media nocte fugiens ad hanc virginē venit, cui tā inopinatæ rei perterritæ nouitate ait. Ab Arianis quæror & criminibus calūniosis incusor. Ne ergo & ego irrationabili nota deformer, & qui ad pœnā meam parati iniquè sūt propter me ruāt in peccatū *al. credidit.*

F magis

magis credidi fugiendum. Deus autem hac nocte reuelauit mihi, quod apud nullum ita vt apud te, possem saluari. Tunc illa congaudens in Domino proiectis cogitationibus vanis, sanctum illum per sex annos intra cellæ suæ secreta celauit, quamdiu Constantius vixit, ipsa ei pedes abluens, & omnia necessaria præparans, & ministrans, libros quos ille quærebat mutuo sumens eique legendos præbens. Nullus tamen in vrbe quò degeret inuenire potuit, donec Constantio mortuo rursus nocte proprijs vestibus indutus in ecclesia subito cunctis stupentibus apparuit. Amicis autem suis intimis satisfaciebat dicens: Idcirco me ad latebras vestras non contuli, vt tutè iurare possetis, quod vbi degerem nesciretis, & quia necesse erat vbique me quæri, in cella illius virginis latui. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus siue Lausiaca historia. Palladij olim Heraclidi monacho ascripta.*

Item, vide Baptismus. d.

ATTILA.

A. ATtila Rex Hunnorum, tanquam leo insaniens infinitas strages per Gallias dedit. Cum autem ventum esset ad Trecas, sanctus Lupus obuiam venit Attilæ & ait: Tu quis es, qui nostras terras vastas, & gentem nostram perturbas? Cui ille. Ego sum Attila, *flagellum Dei*. Ad quā vocem lupus iussit portas aperiri, dicens. Bene venit flagellum Dei, & induxit eum in ciuitatem. Miro autem modo Hunni cæcitate percussi transierunt per mediam ciuitatem à porta in portam, neminem lædentes. *In vita sancti Seruatij, & ponitur in Speculo historiali libro vigesimo-primo, capite trigesimo-nono: & plenius in Policratico Ioannis Salesb. libro quarto, capite primo. Surius tom. 4.*

Tamerlanes se iram Dei vocabat, vt refert Æneas Sylvius in Asiâ descriptione cap. 31.

AVARITIA.

A. CVm Ambrosius radicem omniū malorum Auaritiam magis ac magis in hominibus crescere videret, & maximè in his qui erant in potestatibus constituti, apud quos omnia pretio vendebantur, nec non in his qui erant in sacris mysterijs deputati, vehementer ingemuit, & se de huius sæculi ærumna liberari instantiùs exorauit. *In aurea legenda, titulo de Ambrosio.*

B. Hilarion fratrem quendam in quinto milliario à se manētem, quia compererat eum hortuli sui nimis cautum timidumq; fore custodem, & quia pusillum haberet nummorū, ab oculis suis abiecerat, qui volens sibi reconciliari senem sæpe veniebat ad fratres, & maximè ad Hesychum, quo ille vehementissimè delectabatur. Quadam ergo die ciceris fascem virentis sicut in herbis erat detulit, quem cum ad vesperam posuisset Hesychius in mensa, exclamauit senex se putorem eius ferre non posse, simulque vnde esset, interrogauit. Respondente Hesychio, quod frater quidam primitias agelli sui detulisset fratribus: non sentis, inquit, putorem teterrimum, & in cicere fætere Auaritiam? Mitte bobus, & vide an comedant. Quod cum ille in præsepe posuisset, exterriti boues ruptis vinculis in diuersa fugerunt. Habebat enim hanc senex gratiam, vt ex odore corporum vestiumque & earum rerum quas quis tetigerat, sciret cui dæmoni vel vitio subiaceret. *Hieronymus in vita Hilarionis.*

C. In illa obsidione facta per Hannibalem & fide erga Romanos, cū trecenti

centi Prænestini permanerent, euenit vt ex ijs quidam murem captum ducentis potius denarijs vẽdere quã ipse leniendæ famis gratia consumere mallet. Sed credo Deorum prouidentia & venditori & emptori quem vterq; merebatur, exitum attribuit. Auaro enim fame consumpto manubijs sordium suarum frui non licuit: & æqui animi vir ad salutarẽ impensam faciendam carè quidem, verùm necessariè cibo comparato vixit. *Valerius Max. libro septimo, capite sexto. T. Liuius libro vigesimo-tertio. Iulius Frontinus libro quarto, capite quinto Stratagemat. Plinius libro octauo, capite 57. Strabo libro quinto Geograph.*

D. Auaritia ante omnes L. Septimulij prçcordia possedit, qui cũ C. Graccho familiaris fuisset, caput eius abscindere, & per vrbem pilo fixum ferre sustinuit: quia Opimius Consul auro id fit repensurum edixerat. Sunt qui scribant liquato plumbo eum partem cauatam capitis, quo ponderosius esset, explesse. *Idem Val. Maximus libro nono, capite quarto Cicero 2. de Oratore, Plutarc. in Gracchis, Auctor de Viris illustribus, capite 66. Plinius libro trigesimo-tertio, cap. tertio.*

E. Auaritia Ptolemæi, Regis Cypriorum risu persequenda est. Nam cum anxijs sordibus magnas opes corripuisset, propterque eas periturum se videret, & ideo omni pecunia imposita nauibus in altum processisset, vt classe perforata arbitrio suo periret, & hostes præda carerent, non sustinuit mergere aurum & argentum, sed futurum necis suæ præmium domum reuexit. Procul dubio hic non possedit diuitias, sed á diuitijs possessus est, titulo Rex Insulæ, animo autem pecuniæ miserabile mancipium. *Ibidem libro nono, capite quarto. Plutarc. in Catone.*

Item, vide Conniuium. c. Cupiditas. a. Diuitiæ. f. g. Fraus. a. Episcopus. b. Hospitalitas. g. Libido. c. Punitio. d.

AVTHORITAS.

Vide Pythagoras. b.

AVCVPIVM.

HVius aucupij genus, quod scilicet per accipitres vel aues eiusmodi exercetur, laboriosum est, sumptusque quos exigit suorum successuum commoditate non redimit. Cum Marcellus nepos Augusti sollicitè versaretur in auibus capiẽdis, quæsiuit ab eo Virgilius vtrum mallet armari in auium prædationem, aut muscam in exterminationem muscarum? Qui relata ad auũculum quæstione prælegit muscam, quæ à Neapoli muscas abigeret vniuersas: cuius petitionem effectus impleuit. *Pet. Bles. epistola 81. & Ioannes Salesberiensis in libro de Nugis curialium & vestigijs philosophorum libro primo, capite quarto.* A.

Iuxta veteres historias Vlysses aues armatas intulit Græciæ, ad eorum solatium, quorum parentes in acie Troiana ceciderant. Noluit tamen vir prudens, hac vanitate filiũ suum Telemachum occupari. *Et infra.* Raro inuenitur quisquam eorũ (scilicet venatorum) modestus aut grauis, raro continens, & vt credo, sobrius nunquam. *Ibidem.* B.

Deterior sexus (supple femella) in auium venatione potior est; in qua poteras naturam arguere, nisi nosceres quia deteriora semper proniora sunt ad rapinam. *In Polycratico libro primo, capite quarto.* C.

Lombardus dicit nolo habere accipitrem, qui capiat alaudam, & comedat gallinam. *G. Lugdunensis in summa vitiorum in tractatu Auaritiæ rubri-*

rubrica sexta.
Item, vide Auis. a.

AVDACIA.

A. PLerique rei militaris ignari pleniorem victoriam credunt, si aduersarios à locorum angustijs aut armatorum multitudine circumdederint, vt non inueniant aditū abscedendi, sed clausis ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est sumet arma formido, libenter cupit commori, qui sine dubio scit se esse moriturum. Ideo Scipionis laudata sententia est qui dixit, viam hostibus qua fugerent, innuendam. Et sic: Hosti fugiēti pons est vel aureus sternēdus. Simile illud 2. Reg. c. 2. ver. 26. *An ignoras quod periculosa sit desperatio? Vegetius de re militari lib. 3. cap. 22.*

B. Priuerno capto, interfectisque qui id oppidum ad rebellandum incitauerant, Senatus indignatione accensus consilium agitabat, quidnam sibi de reliquis oppidanis esset faciendum. Eodem tempore Princeps eorum interrogatus, quam pœnā mererentur, respondit: Quam merentur qui dignos se libertate iudicant. Verbis arma sumpserat: exasperatosque patrum conscriptorum animos verbis inflammauerat, sed Plausius Consul fauens Priuernatium causæ, regressum animoso eius dicto obtulit, quæsiuitque qualem cum eis pacem Romani habituri essent cum eis impunitate donata. Constantissimo vultu inquit. Si bonā dederitis, perpetuam; si malam non diuturnam. Qua voce perfectum est vt victis non solum venia, sed etiam ius & beneficium nostræ ciuitatis daretur. *Valer. Max. lib. 6. cap. 2. T. Liuius libro 8.*

C. Mulier á Philippo Rege temulento immerenter damnata. Prouocarem, inquit, ad Philippum sed sobrium. Excussit crapulam oscitanti, [*aliter excitanti*] ac præsenti animo ebrium resipiscere, causaque diligentius inspecta iustiorem sententiam ferre coegit. Ergo æquitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit: potius præsidium à libertate quam ab innocentia mutuata. *Ibidem, & Plutarc. in Apophthegm.*

Senectutis vltimæ quædam mulier Syracusanis omnibus Dionysij Tyranni exitum, propter nimiā morum acerbitatem, & intolerabilia onera votis expetētibus, sola quotidie matutino tēpore Deos, vt incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quod vbi is cognouit, indebitā sibi admiratus beneuolentiā accersijt eā, & cur hoc, aut quo suo merito hoc faceret, interrogauit. Tū illa: Certa, inquit, est ratio propositi mei. Puella enim, cum grauem Tyrannum haberemus, carere eo cupiebam: Quo interfecto aliquando tætrior arcem occupauit; eius quoq; finiri dominationē magni æstimabam; tertium te importuniorem superioribus habere cœpimus rectorem. Timens ergo ne si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat; caput meum pro salute tua deuoueo. Tam facetam audaciam punire Dionysius erubuit. *Ibidem libro 6. cap. 2. in externis.* D.

Marcus Brutus suarum prius virtutum quam patriæ parētis Iulij Cæsaris parricida, (vno enim facto & illas in profundū præcipitauit, & omnem nominis sui memoriā inexpiabili detestatione perfudit) vltimum prælium initurus, negantibus quibusdam id oportere committi. Fidēter, inquit, in aciē descendo. Hodie, enim aut rectē erit, aut nihil curabo. Præsumpserat enim neque viuere se sine victoria, neque mori sine securi- E.

tate:

tate posse. *Idem libro sexto capite quarto. Plutarchus in Bruti vita. Ita vide Cæcitas. a. Fiducia. a. e.*

AVDITVS.

A. Rvsticus quidam, qui nunquam volebat audire aliquid de Deo, mortuus est. Cum ad ecclesiã esset delatus, & Sacerdos & alij clerici officia legendo & cantãdo circa corpus peragerent, imago crucifixi cœpit obturare aures suas, manibus á cruce separatis. Quod cum omnes astantes aspicerent, mirabantur. Tunc Sacerdos ait: Scitis quale signum est hoc? Vos scitis quod iste qui hic iacet, nunquam voluit audire verbum Dei, & ideo est modo in manu diaboli. Idcirco sic Christus obturauit aures suas ne audiat preces quas pro eo fundimus, & cessauerunt omnes orare. *Iacobus de Vitriaco, qui fuit Episc. Aconensis, & post Cardinalis ser. 190.*

B. Frater interrogauit senem dicens: Ecce rogo senes, & dicunt mihi de salute animæ meæ, & nihil retineo de verbis eorum. Quid ergo rogo eos nihil proficiens? totus enim sum in immunditia. Erant autẽ ibi duo vasa vacua, & dixit ei senex. Vade, & adfer vnum ex vasis istis, & mitte in eo oleum, & accende intus stuppam, & refunde oleum, & pone vas in locum suum, & fecit sic. Et dixit ei: Fac iterũ sic, & cum fecisset hoc sæpius, dixit ei senex: Affer modò vtraque vasa, & vide quod eorum mundius sit. Et respondit, illud vbi oleũ misi. Cui senex dixit. Sic est anima de his quæ interrogat. Quamuis enim nihil retineat eorum quæ audit, tamen ipsa plus mundabitur quã illa quæ omnino nec interrogat quenquam. *In vitis Patrum libro decimo, parte decima.*

AVGVRIVM.

Vide, Diuinatio. b.

AVGVSTINVS.

A. Augustinus libros Aristotelis Prædicamentorum & omnes libros liberalium artium, quoscunque legere potuerat, per se didicit, & intellexit. *Vt in libris Confessionũ ait, libro quarto, capite decimo-sexto.*

B. Cum autem esset annorum decem & nouem, & Hortensium librũ philosophi Ciceronis in quo vanitas mundi contemnẽda, & philosophia appetenda dicebatur, perlegeret, liber plurimum placuit, sed quia nomen Iesu Christi quod á matre imbiberat, ibi non erat, dolere cœpit. *August. lib. 3. Confess. cap. 4. & lib. 8. c. 7. & initio libri. De vita beata.*

C. Mater vero eius pro eo plurimum flebat & ipsum ad fidem adducere nitebatur. Rogabat ergo sedula mater quasi importuna Ambrosiũ Episcopum (sicut in eodem libro Confessionum testatur) vt pro filio intercedere dignaretur. Cui prophetica voce respondit: Vade secura, quia impossibile est vt filius tantarũ lachrymarum pereat. *Ibidem.*

D. Cum autem vita Christi sibi placeret, sed per ipsius angustias adhuc ire pigeret, horum exemplis nempe Victorini à Simpliciano, & magni Antonij à Pontiano sibi narratis, vehementer exarsit, & ad socium suum Alypium exclamauit. *Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris in infernum demergimur sine corde: Ecce vbi volutamur in carne & sanguine. Ibidem libro octauo, capite octauo.*

E. Interim autem dum suam tarditatem veniendi ad Christi fidem plangeret, vehemẽtissimo dentiũ dolore tor-

torqueri cœpit, vt ferè (sicut ipse ait) ad credendum opinionem Cornelij Philosophi duceretur, qui summum bonum animæ in sapientia, summum vero corporis in nullum sentiendo dolorem posuerat. *Ibidem libro nono, capite quarto.*

F. Cum esset annorum triginta, meritis matris & prædicatione sancti Ambrosij sacrum baptisma suscepit, & tūc fertur (sicut testatur Honorius in suo Speculo ecclesiæ) Ambrosius dixisse. *Te Deum laudamus*, & Augustinus. *Te Dominum confitemur*, respōdit, & sic hi duo hunc hymnum alternatim composuerunt & vsque in finem decantauerunt. *In aurea legenda de sancto Augustino.*

Card. Baron. ad annum 788. & in notis martyrol. ad 5. Maij probat Aug. 24. annos natum fuiße, cū baptismate fuit expiatus.

G. Augustinus dum quadam die legeret, vidit ante se transire dæmonem, librum humeris baiulantem. Qui ab eo protinus adiuratur, vt quæ ibi scripta sunt sibi pandat, qui ibidem peccata hominum scripta esse asserit, moxque præcepit, vt si aliquod peccatorum suorum ibi esset, sibi legendum manifestaret. Ostenso libro Augustinus nihil inuenit scriptum, nisi quod quadam vice cōpletorium ex obliuione dimisit, præcipiensque diabolo vt suum præstoletur aduentum, Ecclesiam est ingressus & Completorium deuotè dixit & solitas orationes peregit. Reuersus imperat, vt locum prædictū iterum sibi ostendat: qui cum crebro reuolueret & eundem locum vacuū inuenisset, iratus dixit. Turpiter me decepisti, pænitet me quod librum ostendi tibi, quia peccatum tuum orationum tuarum virtute delesti, & his dictis confusus euanuit. *In aurea legenda.*

H. Vestimenta eius, calceamenta, & ornamenta alia nec nitida nimium nec abiecta, sed ex moderato & cōpetenti habitu erant. Ipse enim dixisse legitur: Fateor, de pretiosa veste erubesco, & ideò cum datur mihi, vendo eam; vt quia vestis non potest esse communis, commune sit pretium. *Ibi & Possidius apud Surium 28. Aug.*

Mensa frugali & parca semper vsus est, & inter olera & legumina propter hospites & infirmos, plurimùm carnes habebat. *Ibidem.* I.

In ipsa mensa magis disputationē vel lectionem, quam epulationem diligebat, & contra pestem detractionis in ea sic scriptum habebat. *Quisquis amat dictis absentum rodere vitam, Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.* Nam & aliquando cum quidam sibi familiarissimi Coepiscopi ad detractionem linguam laxassent, adeo eos durè redarguit, vt diceret quod aut desisterent, aut versus ipsos deleret, aut à mensa recederet. *Ibidem & Possidius cap. 22.* K.

Tria à beato Ambrosio se didicisse ait: Primum est, quod vxorem cuiquam nunquam peteret: secundum est, quod militare nolentem ad hoc non commendaret: tertium quod inuitatus ad conuiuium non iret. Causa primi est, ne illi inter se conueniant & sibi maledicant; causa secundi, ne militantes calumniam exerceant, & in eum alij culpam refundant. Causa tertij est, ne temperantiæ modum perdat. *Ibidem.* L.

Tantæ puritatis & humilitatis fuit, vt etiam minima peccata, quæ apud nos nulla reputantur, in libro Confessio. Deo confiteatur. Nam ibidem accusat se, quod cum puer esset, ludebat ad pilam dum ad scholas ire deberet. Item de ipsa modica delectatione, quam aliquando in comedendo sentiebat, dicens: Quis est, Domine, qui non aliquando rapiatur M.

tur

tur extra metas necessitatis? Quisquis ille est, magnus est, ego non sum talis. *Et infra:* Confestor etiam aliquando laudibus meis, cum ea laudantur in me, in quibus mihi ipsi displiceo vel etiam bona minora vel læuia pluris æstimantur quam æstimanda sunt. *Vbi supra.*

N. Eidem aliquò pergenti quidam hæretici in via posuerunt insidias: sed Dei prouidentia itineris errore seductum eum inuenire non potuerunt. *Ibidem.*

O. Multas hæreditates sibi dimissas respuit, eo quod mortuorum filijs vel propinquis potius ipsa deberi dicebat. *Ibidem & Possidius c. 24.*

P. Si quis irascitur filio suo, & moriens exhæredat eum, si viueret nõne eum placarem, nonne ei filium reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo pacem habeat, cuius appeto hæreditatem? Sed planè sic faciat, quod sepè hortatus sũ, vnum filium habet? putet Christum alterum, duos habet? putet Christum tertium, decem habet? vndecimum Christum faciat: & ita suscipio. Quicunque autem vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alium qui recipiat, non Augustinum, imo Deo propitio, neminem inueniet. *Augustinus de vita clericorum, & ponitur* 13. *quæstione* 2. *c. si quis. & partim* 17. *quæstione vltima; capite vltimo.*

Q. Consanguineis sic benefecit, non vt diuitias haberent, sed vt aut non, aut minus egerent. *In aurea legenda de eodem.*

R. Testamentum nullum fecit, quia vnde faceret pauper Christi non habuit. *Possidius in vita S. Augustini. Item vide studium A.*

AVGVSTVS CÆSAR.

Dominui appellationem vt maledictum & opprobrium semper exhorruit, nam cum spectante eo ludos, esset pronunciatum à Mimo *Dominum* æquum & bonum, & vniuersi, quasi de ipso dictum esset exultantes comprobassent, statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & sequenti die grauissimo corripuit edicto, *Dominumque* se postea appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis serio vel ioco passus est. *Suetonius libro de* 12. *Cæsaribus, c.* 52. *& Ioannes Salesberiensis in Polycratico libro tertio, capite decimo-quarto, & Eutropius in historia Romana libro septimo. Orosius in Ormesta mundi lib.* 6. *Domini appellationem, vt homo declinauit.* A.

Testem se in iudicijs & interrogari & refelli æquissimo animo patiebatur. *Ibid.* B.

Nunquam filios suos populo commendauit, vt non adijceret si merebuntur. *Suetonius cap.* 58. C.

Veste non alia quam domestica vsus est, à sorore & vxore & filia confecta. *Ibidem.* D.

Cibi minimi erat, vini quoque natura parcissimus; non amplius ter bibere super cænam solitus. *Ibidem Tranquillus, & Aurelius Victor. Sueto. cap.* 77. E.

Eloquentia studiaque liberalia ab ætate prima & cupidè & laboriosissimè exercuit. *Ibidem.* F.

Augusto tympanizante in cæna, à quodam militum probrosè dictum est, videsne vt cinœdus orbem digito temperet? Cuius ille verbi perculsus amaritudine, os, manus, & animum in æuum ab huiusmodi leuitate suspendit, habuitque semper gratiam corripienti. *In Polycratico* G.

libro primo, capite septimo, *Sueton. in vita August. cap.* 88.

H. Obseruatum est quoties ingrediebatur vrbem, ne supplicium de quoquam sumeretur. *In Policratico libro tertio, capite decimo-quarto.*

I. Augustus Cæsar iram citissimé remittebat, dum iniuriantis animũ videret immutatum: & sicut ipse dicebat, celerius quam asparagi coquantur. Hoc enim verbo rei festinatæ velocitatem solebat exprimere. *In Polycratico libro quinto, capite septimo.*

Item, vide Bellum. b. Ecclesia. d. Patientia. a. Alexander. a. k.

Avis.

A. Miles quidam in purgatorio erat, qui fuerat bonus hospitalis, & bonæ vitæ, sed ludo auium nimis deditus, hic de peccatis alijs erat iam in purgatorio purgatus, sed propter eiusmodi ludum habebat quasi auem manus eius comedentẽ, & mirabiliter affligentem. *Petrus Cluniacensis in libro Miraculorum. Simile refert collector magni Speculi Exemplorum, verbo Fusus.*

Avrvm.

Vide Lex. k. Piscis. a.

Avspicivm.

A. Apud antiquos non solum publicè, sed etiam priuatim nihil gerebatur nisi auspicio prius sũpto. *Val. Max. libro secundo, capite primo.*

Babylon.

A. Vrbem Babylonem fuisse potentissimam, & in campestribus per quadrum sitam, ab angulo vsque ad angulum muri sedecim milliaria tenuisse passuum, id est, simul per circuitum quadringenta octoginta stadia refert Herodotus, & alij multi, qui Græcas historias cõscripserunt. Arx autem, id est Capitoliũ vrbis, est turris; quæ ædificata post diluuium, in altitudine quatuor milia passuum dicitur tenere, templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus, auroque fulgentes, & alia multa, quæ pæne videntur incredibilia. Hoc totum narrauimus, vt ostenderemus, quod ad iram Dei, omnis populus, puluis fit & cineri & fauillæ comparetur. Si liceret introire Barbaras nationes, & videre huius vrbis vestigia, videremus possessionem Ericij & paludes aquarum, & verè completum esse quod vocibus Esaiæ canitur: *Scopabo eam in scopa terens. Hieronymus super Esaiam, libro quinto.* Esa.c.14

B. Cœpit hanc vrbem Cyrus, quam vel ab humano opere extrui potuisse, vel humana virtute destrui posse incredibile apud mortales erat. *Orosius de Orchestra mundi, libro secundo, capite sexto.*

Baptismvs.

A. Mendicum quendam podagrum in eadem vrbe scilicet Carthagine, qui cum dedisset nomen ad Baptismum, & pridie quam baptizaretur in somnis à pueris nigris cirratis, quos intelligebat dæmones, baptizari eodem anno prohibitus fuisset, eisque non obtemperans etiã conculcantibus pedes eius, in dolorem acerrimum, qualem nunquam expertus esset, magis quam eos vincens lauacro regenerationis, vt nouerat ablui non distulisset, in baptismate ipso non solum dolore, quo vltra solitum cruciabatur, verũ etiam poda-

podagra caruiſſe, nec amplius cum diu poſtea vixiſſet, pedes doluiſſe nouimus. *Auguſtinus de ciuitate Dei libro 22. cap. 8.*

B. Fuerunt hæretici qui dicerent ſolo die Epiphaniæ debere baptizari: nec dari Spiritum Sanctum, ſi quis alio die baptizaretur, ob quam hæreſim viuaciùs exſtirpandam, decreuerunt Patres eadem die neminem baptizari, niſi ſub neceſſitate. *In hiſtoria ſcholaſtica parte 7. cap 36. De iiſdem agit hæreticis eodemque decreto P. Bleſenſis ſer. 13.*

C. In primitiua Eccleſia, fere omnes aſcendentes de lauacro, loquebantur omnibus linguis. *In hiſtoria ſcholaſtica parte 8. cap. 17.*

D*. Tempore quo apud Alexandriam, Petri Martyris diem Alexāder Epiſcopus agebat, cum poſt ſolennia conuenturos ad conuiuium clericos expectaret, in loco mari vicino, vidit eminus puerorum ſuper oram maris ludum imitantium, vt fieri ſolet, Epiſcopum, & ea quæ geri mos eſt in eccleſijs. Sed cum intentiùs pueros ſpectaret, vidit ab eis geri quædam etiam ſecretiora. Perturbatus ilico, vocari clericos iubet, & comprehenſos pueros ad ſe adduci iubet, cumque adeſſent, quis eis ludus vel quid egiſſent, vel quomodo, rogat. Illi, vt talis habet ætas, pauidi negauere primo, dehinc rem geſtam per ordinem pandunt, & baptizatos á ſe eſſe quoſdam cathecumenos confitentur ſcilicet per Athanaſium; poſtmodum magnum doctorem Alexandrinum Epiſcopum, qui ludi illius puerilis Epiſcopus fuerat ſimilatus. Tum ille diligenter inquirens, ab ijs qui fuerant baptizati, quæ fuerant interrogati: quidue reſponderint: vbi videret iuxta religionis noſtrę ritum cuncta conſtare, collocutus cū concilio clericorum ſtatuiſſe traditur, illis quibus integris interrogationibus & reſpōſionibus aqua fuerat infuſa, iterari baptiſma non debere, ſed adimplere ea quæ à Sacerdotibus mos eſt. Athanaſiū vero atque eos quos ludus ille vel presbyteros habere viſus fuerat, vel miniſtros, cōuocatis parentibus ſub Dei obteſtatione tradit Eccleſiæ nutriēdos. *In hiſt. Eccleſ. lib. 10. c. 10. Simile in Prato Spirituali Sophronij, aut Ioannis Moſci Euirati.*

BARBA.

Vide Caſtitas. i.

BEATITVDO.

Fit in excelſis quiddam mirabile, quia non ſolum agnoſcunt tunc quos in hoc mundo nouerant, ſed velut viſos & cognitos recognoſcūt bonos, quos nunquam viderūt. Nam cū antiquos in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per viſionem non erunt, quos in opere ſemper viderūt. Quia enim illic omnes cōmuni claritate conſpiciunt Deum, quid eſt quod ibi neſciat vbi ſcientē omnia ſciunt? Nam noſter religioſus & vitæ valde laudabilis, cum ante quadrienniū moreretur in hora ſui exitus Ionam Prophetam, Ezechielē, & Danielem cœpit aſpicere, eoſque Dominos ſuos ex nomine clamare: quos cum ad ſe veniſſe diceret, & depreſſis luminibus obſequium eis reuerētiæ pręberet, ex carne eductus eſt. Qua in re apertè datur intelligi, quæ erit in illa incorruptibili vitæ notitia, ſi vir iſte adhuc in corpore poſitus Prophetas ſanctos, quos nunquam viderat, agnouit? *Gregorius Dialogorum libr. 4. cap. 34. 2. 3. 5.* A.

B*. Recitat Tullius libro primo Tuſculanarum quæſtionum de Dionyſio Tyranno, quod quum quidā amicus eius Democles nomine laudaret eius dominatū, maieſtatē, rerū abūdātiā, magni-

magnificētiam ædiū regiarum, negaretque aliquem vnquam beatiorem fuisse, respondit. Vis, inquit, experiri fortunam meam? Cumque ille se velle dixisset; iussit Dionysius eum collocari in lecto aureo, & mensam præparari opulentam, pueros ad ministrandum electos consistere præcepit: cumque adessent omnes deliciæ, iussit Tyrannus fulgentem gladium elimatū seta equina appensū dimitti vt impēderet capiti illius. Cum autē ille nec pulchros ministros aspiceret, nec ad mēsam manū porrigeret præ timore, ne gladius caderet super caput, dixit Tyrānus. Talis est semper vita mea, quam beatam putabas. Ille vero exorauit Tyrannum vt abire liceret. Vnde satis Dionysius videtur declarasse, nihil esse beatum, cui aliquis timor semper impendeat. *Ioannes Galen. in libro suo de quatuor virtutibus, parte secunda, capite quinto, & hoc idem factum narrat etiam Macrobius, libro primo, & Horatius libro tertio. Oda 1. & Persius in Satyra.*

C*. Expertus sortis suæ periculorum Tyrannus (Dionysius scilicet) Regni metus pendentis supra verticem gladij terrore simulauit, id est per simile ostendit. Quæ est ergo hæc potestas quæ sollicitudinum morsus expellere, quæ formidinum aculeos vitare nequit? *Boetius de consol. philosoph. lib. tertio, prosa 5.*

Item, vide Augustus. a.

Beda.

A. Venerabilis presbyter & monachus Beda circa annum Domini 687. in Anglia claruit: qui licet in sanctis computetur, tamen nō sanctus sed *Venerabilis* appellatur: & hoc duplici de causa, Prima est, quia dum caligassent oculi eius, lapides quibus prædicauerat, credens hominibus prædicare, deceptus à suo ductore, ipso per omnia sermonem concludente, & ducente, *Per omnia sæcula sæculorum*, Alta voce clamauerunt *Amen*, *venerabilis presbyter*: vel vt alij asserunt, ei Angeli responderunt: *Bene venerabilis pater dixisti.* Secunda causa est, propter versus angelica virtute super tumbam eius taliter scriptos: *Refellit Card. Baronius vt fabulam tomo 9. Annaliū Eccles. ad annum 721.*

Hac sunt in fossa Bedæ venerabilis ossa.

Opera S. Bedæ tanto in pretio fuere vt ex ordinatione Episcoporū Britaniæ in Ecclesiis legerentur. Cumque in lectione homiliarum, eius nomen ex more auctoris Venerabilis Bedæ præsbyteri præfigerēt, aliter eum, cum viueret prædicare non valentes, obtinuit vsque in hodiernum diem titulus semel à principio attributus, vt Beda Venerabilis potius dicatur quam Sanctus, cum viuentem aliter nuncupare, quāquam vitæ sanctitate clareret, fas non esset. De Beda illud etiam vulgatum constat esse figmentum fuisse oculis orbum. Nemo id veterum testatur, quod sanè tacendum non fuisset ob eximiā viri doctrinā, & inexhaustum in scribendo laborem: vt ait Card. Baronius in notis martyr. Rom. ad 27. Maij. Similiter fabellam de Epitaphio & versu hic citato meritò exsibilat. Trite. l. 2. de viris illustribus ord. S. Bened. c. 21. Nam aliter se habere dicit epithaphium tumulo ipsius inscriptum, quod recitat l. 3. c. 155. Arnoldus Vuion. de Beda Genuensi refellit historiam in notis ad 10. diem Aprilis Martyr. Benedictini.

Eius corpus apud Ianuam cum deuotione congrua colitur. In aurea legenda sub titulo de sancto Pelagio Papa.

Bellum.

A. Qvindecim millia Locrensium bellum inierunt contra centum millia Cremonēsium, qui pauci-

citatem suã considerãtes, & multitudinem hostiũ ex desperatione sumpserunt animum, putaueruntque se victores fore si non inulti morerẽtur. Itaque dum mori honestissimè quærunt, fæliciter vicerunt. *Iustinus libro vigesimo sub medium.*

B. Habebat exercitus Darij 400. milia peditum & centum milia equitũ. Tunc suos hortatur Alexander, vt spernant illam aciem auro argentoque fulgentem, in qua plus prædæ quam periculi sit. *Iustinus libro vndecimo.*

C. In certamine vbi Hannibal pugnauit contra Flamineum Consulem & Romanum exercitũ apud lacum Trasimenum, ita intentus fuit ardor pugnantium, vt grauissimum terræ motum, qui tunc forte tam vehemens factus est, vt vrbes diruisse, & montes transtulisse feratur, non senserint. *Orosius de orchestra mundi, libro quarto, capite, decimo-quinto, & in Speculo histo. libro 6. cap. 44.*

D*. Nunquam Dauid nisi lacessitus, nec nisi prius consulto Domino, bellum intulit, Prudentiam enim in bello comitem fortitudinis habuit, ideo in omnibus prælijs vsque ad senectutem manu promptus victor extitit. *Ambrosius libro primo de officijs, capite vigesimo-quinto.*

E*. Cum Valens Imp. Arianus Ecclesiæ persecutor, Traianum cum exercitu contra Barbaros destinasset, & ille deuictus remeasset, derogabat Valens ei mollitiem & causam timoris ascribens. At ille vsus fiducia virili: Non, inquit, Imperator ego sum victus, sed tu victoriam perdidisti dum Deo resistis. Dum enim à te oppugnatur, pro barbaris pugnat, & necesse est Deum sequi victoriam, An nescis, quos ab Ecclesijs expulisti Catholicos? quibus eas contradixisti? *In Tripartit. hist. libro octauo, capite decimo-tertio.*

F. Rex Francorum Philippus iuxta pontem Bouinum contra Othonem Imperatorem, electum initurus, antequam congrederetur, suos milites alloquitur in hunc modum. Otho cum suis à Domino Papa excommunicatus est, & hostis ac destructores Ecclesiæ sunt, & pecunia quæ in stipendia illis ministratur, de lachrymis pauperum & Ecclesiarum acquisita est: nos autem Christiani sumus, quamuis peccatores, tamẽ Ecclesiæ Dei consentimus, & cleri quãtum possumus, libertatem defendimus; vnde de Dei misericordia fiducialiter debemus præsumere, quia nobis dabit de suis & nostris hostibus triumphare, & ita factum est, *In Spec. hist. lib. 31. cap. 55.*

G. Anno 9. Leonis primi Imperatoris, Vterpendraghon, Rex Britonum, pater Arturi diuturna infirmitate vexatur, & Principes Saxonum, Octa & Gosa, quos tenebat in vinculis, cũ custodibus carceris fugerunt in Germaniam, & cum innumerabili armatorum manu reuersi sunt insulã vastaturi. Rex autem ex infirmitate decubans, ducem belli posuerat generum suum. Cumque dubia inter eos alternaret victoria, Rex, vt hostes sua præsentia deterreret se ferri ad prælium iussit: qui positus in vehiculo & ad bellum delatus, suos quidẽ animauit, sed hostibus risum fecit, quod semimortuus homo ad pugnam venisset. Congressu inito victoriam Britones obtinuerunt, Saxonumque duces interfecerunt. Tunc Rex ait: Vocabant me semimortuum Ambriones isti, sed malo semimortuus eos superare, quam incolumis superari. Est enim præstantius mori cum honore, quam cum

pudore viuere. *Sigebertus in Chronicis.*

H. In Rontionualle 30. milia Sarracenorum nostros inuaserũt, & percusserunt à maiori vsque ad minorem, quod ideo eis contigit quod præcedentibus noctibus vino Sarracenico ebrij plures eorũ cum vxoribus paganorum & Christianis etiam, quas multi secum de Gallia adduxerant, fornicati fuerant. *Turpinus in historia Caroli.*

I. Æmilianos & Liguros Galli derident; dicentes, eos testamenta conficere, viciniam conuocare, armorum implorare præsidia, si finibus eorum testudo immineat, quòd oporteat impugnari; quod ex eo componitur quod eos nunquam cuiuscũque certaminis casus inuenit imparatos. *In Polycratico lib. 1. cap. 4. Ioannes Saresb.*

K. Alexander exiguam manum militarem suscepit á patre sed doctã: qua assuefacta militiæ, orbem terrarum aggressus vniuersas hostium copias fudit. *In Polycrat. lib. 6. cap. 14.*

L. Xerxes à trecentis Lacedæmoniorum ad Thermopylas vexatus, in eo se deceptum dicebat, quod multos quidẽ homines haberet, viros autẽ militaris disciplinæ tenaces nullos. Hoc equidem dixit, quod & testatur illa fuga, qua apud Salaminã turpiter victus, qui tot gentes in bella trahebat, vt duces non possent facilè numerari, vix vna naue euasit. Fertur enim quod duces exercitus non consueuerit præ multitudine aliter numerare, quam singulis telis receptis à singulis, vt ex numero telorum ducum quoque numerus teneretur. *In Polycratico libro sexto, capite decimo-quarto.*

M. Miles subitus subito deserit ducẽ & laborem ferre non sustinet, quem continuus non exercuit labor. Cæsaris animum fiducia roborauit, quod ei res erat aduersus militem subitũ, ducemque emeritum, & qui longa pacis quiete didicerãt ducere. *Ibidem.* *al. Ducem dedidicerat.*

N. Romana narrat historia quod Cisalpinorum incolis animi ferarum corpora plus quam humana erant, sed experimento deprehensum est, quia virtus eorũ, sicut primo impetu maior quã virorum, ita sequens minor quam fœminarum est. Alpina enim corpora humente cælo educata habent aliquid simile niuibus suis, cum mox incaluerint pugna, statim in sudorẽ eunt & leui motu quasi sole laxantur. *In Polycrat. lib. 6. cap. 16.*

O. Crebrò compertum est in bellis militiæ lasciuientem & splendidum apparatum non tã ciuibus conferre victoriã quã hostes inuitare ad prædam. Vnde & Hannibal, cum apud Antiochum Regem moraretur causa profugij, facetissimè cauillatus est, Rege ostentante exercitum, insignibus aureis & argenteis florentem, & omnẽ equitatum frenis, ephippijs, monilibus, ac phaleris præfulgentẽ. Cum ergo Rex contemplatione tanti exercitus gloriabundus Hannibalẽ aspexisset: Putasne inquit, satis esse Romanis hæc omnia? Tunc Pœnus eludens ignauiam militum eius preciosè armatorum. Plane, inquit, satis esse credo, & si Romani amarissimi sunt, lepidè quidem, breuiter, & acerbè. Nam Rex de numero exercitus & æstimanda æquiparatione quæsiuerat, & illum respõdisse de præda. Vnde liquet milites oportere armis quã vestibus nitidiores esse. Machabæos constat clypeos inaurasse, & ex fulgore eorum fortitudinem gentiũ dissipatam, eos tamen verisimile est veste communi fuisse contentos &c. *In Polycratico lib. 8. cap. 19.*

P. Peccata delinquentium vires sũt Tyrannorũ, vnde Achior Dux omnium

niũ filiorum Amon, saluberrimum hoc dedit consilium Holoferni. Perquire inquit, nunc Domine mi, si est aliqua iniquitas populi in conspectu Dei eorum, & ascendamus ad illos, quoniã tradens tradet illos Deus eorum tibi, si autem non est offensio populi huius coram Deo suo, defendet illos. *Ibidem in Polyc. lib. 8. c. 20.*

Iudith. cap. 5.

Q. Legitur quod exercitus Alexandri victo Dario spolijs vltra modum ditatus est, paulò post iterum cum hostibus congressus deuictus est. Quod videns Alexander omnia spolia quæ sui acquisierant, iussit cõburi, dicens. Quamdiu fuerunt sine pecunia non fuit qui eis resisteret. *G. Lugdun. in Summa de Vitijs in Tractatu auaritiæ rubrica* 14.

R. Ad diuitias se tradentes filij Israel post mortẽ Iosuæ per epistolas & libidinem, iam imbelles facti, in conuersatione legum integri non erant. *In historia scholastica supra Iudicum, capite primo.*

S. Astrages Rex Medorum & Persarum, collecto exercitu congressus est aduersus Cyrum nepotem suũ, quem Persæ Regem sibi elegerant, & fugerunt Persæ, vxores autem eorum & matres egressæ sunt ad eos, & detectis posterioribus suis aiebant. Vultisne introire in vteros & renasci? Hoc pudore excitati Persæ acriter redierunt in hostes, & victus est Astrages. *In historia Scholastica parte tertia, cap. de ortu Cyri Regis Persarum, & in Polycratico libro sexto, capite decimo-sexto, ex Orosio de orchestra mundi libro primo. Simile est in argumento orationis Isocratis qui Archidamas inscribitur.*

T. Diocletianus & Maximianus in ira commoti contra Christianos per omnes prouincias literas miserunt, vt omnes prouinciæ bellicis armis apti Romã venirent, vt omnes rebelles Romano imperio subiugarẽt. Literæ autem Augustorum ad populũ Thebæorum delatæ sunt, qui populus secundum Dei præceptum, quæ Dei erant Deo, & quæ Cæsaris Cæsari reddebant. Congregantes ergo electam militũ legionem, eos ad Imperatores miserunt, vt in bellis iustis Imperatores iuuarent, non vt contra Christianos arma mouerent, sed eos potius defensarent. *In aurea legenda sub titulo de sancto Mauritio.*

V. Cæsar Augustus in rebus bellicis strenuissimus, bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cũ maior spes emolumenti quam damni metus ostẽderetur. Nam minima commoda non minimo sectantes discrimine similes aiebat aureo hamo piscãtibus, cuius abrupti dãnũ nulla potest piscium captura pensari. *Sueto. l. 2. in Aug.*

X. Alexander non iuuenes robustos, non primum florem ætatis, sed veteranos plerosque, etiam emeritæ militiæ, qui cum patre proauisque militauerant, elegit, vt non tam milites quam magistros militiæ electos putares. Ordines quoq; nemo nisi sexagenarius duxit, vt si principia castrorum cerneres Senatum te priscæ alicuius Reipublicæ videre te diceres. Itaque in prælio nemo fugam cogitauit, sed victoriã, nec in pedibus cuiquã spes, sed in lacertis fuit. *Quintus Curtius, & Iustinus lib.* 11.

X. In partibus Galliarum inter quẽdam Abbatem, & quẽdam sæculi potentem orta est magna contentio de possessione, ita quod vtriusque partis fautores post longa iurgia ad arma concurrerint. Potens ille turmis armatorum stipatus, campum præliaturus intrat. Abbas autem cunctis qui pro se dimicare venerãt, suũ prohibuit comitatũ, solosque monachos suos equis imponens, capita cucullis operi-

operiri præcepit, & sic armatus ad locum certaminis venit. Protinus hostes tanto horrore concussi sunt, vt mox equis desilirent, arma proijcerent, terræque humiliter se prosternerent, & indulgentiam flagitarent. *Petrus Damiani lib. 4. epist. 9.*

Y. Spartanæ, id est Lacedæmoniæ vrbis exercitus non prius ad pugnandum ascendere solebat, quam tibiæ concentu & anapæsti pedis modulo cohortationis calorem animo traxissent vegeto, & crebro ictus sono strennue hostem inuadere admoniti. Item ad dissimulandum & occultandum vulnerum suorum cruorem punicis in prælio tunicis vtebantur, non, ne ipsis aspectus eius terrorem, sed ne hoc hostibus fiduciæ aliquid afferret. *Valerius Max. libro secundo, capite sexto. Plut. in Lacon. instit.*

Z. Appium Claudium crebro solitũ dicere accepimus: Negotium populo Romano melius quam otium cõmitti: non quod ignoraret quod iucundus tranquillitatis status esset, sed quod videret præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolui. Et sanè negotium nomine horridum ciuitatis mores in statu suo continuit, blandæ appellationis quies plurimis vitijs respersit. *Idem libro septimo, capite secundo.*

Aa. Q. Metelli tum grauis tum etiam alta in Senatu sententia, qui deuicta Carthagine nescire se illa victoria plus bonine an mali Reipublicæ attulisset asseruit, quoniam vt pacem restituendo profuisset, ita Hannibalem submouendo nonnihil nocuisset. Eius enim transitu in Italiam, dormientem iã populi Romani virtutem excitatam, metuique debere ne acri æmulo liberata, in eundem somnum reuolueretur. In æquo igitur malorum posuit, vri tecta, vastari agros, exhauriri ærarium, & prisci roboris neruos hebetari. *Ibidem Valer. libro septimo, cap. 2.*

Scipio Africanus turpe esse aiebat in re militari dicere, *Non putaram*; videlicet quia explorato & excusso consilio, quæ ferro aguntur, administrari oportere arbitrabatur summa ratione. Inemendabilis namque est error qui violentiæ Martis committitur. *Idem Valer. lib. 7. cap 2. Seneca lib. 2. de ira cap. 31. Fabio attribuit.* Ab.

Idem negabat aliter cum hoste cõfligere debere, quam si aut occasio aduenisset, aut necessitas incidisset: æquè prudenter. Nam & prosperè gerendæ rei facultatẽ amittere maxima est dementia; & in angustias vtique pugnando compulsum abstinere se prælio, pestiferæ ignauiæ affert exitum, eorumque qui ista cõmittunt, alter beneficio fortunæ vti, alter iniuriæ nescit resistere. *Valer. Ibidem.* Ac.

Memorabilis consilij Q. Metellus, qui cum Proconsule bellum in Hispania aduersus Celtiberos gereret, vrbemque Contrebiam caput eius gentis viribus expugnare non posset, intra pectus suum multum ac diu consilijs agitatis, viam reperit, qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur. Deinde alias atque alias regiones petebat: modo hos obsidebat montes, paulo post ad illos transgrediebatur, cum interim tam suis omnibus quam hostibus ignota erat causa inopinatæ eius ac subitæ fluctuationis. Interrogatus quoque à quodam sibi amicissimo, quid ita sparsum & incertum militiæ genus sequeretur? Absiste, inquit, ista quærere, nam si huius consilij mei conscіam esse sensero tunicam interiorẽ, con- Ad.

continuo eam cremari iubebo. Postquam vero & exercitum suum ignorantia & totam Celtiberiam errore implicauit, cum alio cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit, eamque inopinatam atqu eattonitam oppressit. *Idem Valerius libro 7. c. 4. & Florus lib. 2. c. 17. sex. Iulius Fronstinus lib. 1. c. 1. Simile quid de Metello Pio habet Auctor de viris illustribus c. 61.*

A e. Tutissimum in expeditionibus creditur facienda nesciri. Ob hoc veteres, Minotauri signum in legionibus habuerunt, vt sicut in intimo & secretissimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper esset occultum. *Vegetius de re militari lib. 3. c. 6.*

A f. Agathocles Syracusanorum Rex audaciter callidus. Cum enim vrbem eius maiori ex parte Carthaginenses occupassent, exercitum in Africam traiecit, vt metum metu, vim vi discuteret, neque sine effectu, nam repentino eius aduentu Pœni perculsi, libenter incolumitatem suam salute hostium redemerunt, pactique sunt vt eodem tempore & Africa Siculis, & Sicilia Punicis armis liberaretur. Agathocles si Siracusanorum mœnia tueri perseuerasset, ille belli malis vrgeretur, bona pacis securè fruenda Carthagini reliquisset, nunc inferendo, quæ patiebatur dum alienas lacessit opes quam suas, tuetur. Quo æquiore animo regnum deseruit, eo tutius recepit. *Valerius Max. lib. 7. c. 4. Iustinus lib. 2. & Diodorus Siculus de rebus Alexandri Magni.*

A g Cum senatu Romano Hannibal sex millia Romanorum, quæ capta in castris habebat, redimendorum potestatem fecisset, conditionẽ spreuit, memor tantam multitudinem armatorum iuuenum, si honesto voluisset mori, turpiter capi non potuisse. *Idem Valer. Max. lib. 2. c. 2.*

Hannibal Cannensem populi Romani aciem, priusquam ad pugnam descenderet, pluribus astutiæ laqueis complicatam ad tam miserum exitum perduxit. Ante omnia enim prouidit, vt & solem & puluerem, qui ibi vento multus excitari solet, aduersum haberet. Deinde partem copiarum suarum inter ipsum prælij tempus de industria fugere iussit, quam cum à reliquo exercitu abruptam legio Romana insequeretur, trucidandam eam ab ijs, quos in insidijs collocauerat, curauit. Postremo trecentos equites subornauit, qui simulata transitione petierunt Consulem, á quo iussi more transfugarum depositis armis in vltimam pugnę partem secedere, districtis gladijs, quos inter tunicas & loricas abdiderant, poplites pugnantium Romanorum cæciderunt. Hæc fuit Punica virtus, dolis & insidijs & fallacia instructa. *Idem libro 7. cap. 4. T. Liuius lib. 22. Fronstinus lib. 2. c. 2,* A h.

Anno 30. ante vrbem conditam, Peloponnensium Atheniensiumque maximum totis viribus armisque commissum est bellum: in quo mutuis cædibus ad hoc coacti sunt, vt veluti victi ab alterutro se subtraherent, bellumque desererent. *Orosius de orchestra mundi, lib. 1. c. 21.* A i.

Anno ab vrbe condita 628. Fabius Consul Bituito Regi Auernorum Galliæ ciuitatis bellum maximo instructu comparanti adeo cum paruo exercitu occurrit, vt Bituitus paucitatem Romanorum vix ad escam canibus, quos in agmine habebat sufficere posse iactaret. Conserta autem pugna iuxta Rhodanum, & diu grauiter agitata, victi Galli conuersi A k.

sunt

sunt in fugam. Cētum octoginta milia armatorum in exercitu Bituiti fuisse referuntur ex quibus 150. milia cæsa, vel mersa sunt. *Idem Orosius libro quinto, capite decimo-quarto. Liuius lib. 81. Florus libro tertio, capite secundo. Plinius libro septimo, cap. 50.*

Item, vide Adulatio a. Anglia. b. Arma. a. Audacia. e. Cyrus. a. Desperatio. a. b. Dij gentium. b. Dux. a. b. Fiducia sui. d. e. Hannibal. a. Iulius. c. i. Luxuria. b. c. Maria. c. Militia. f, g. Miraculum. b. q. Roma. k. l. q. a c. a b. a m. Theodosius. a. Voluptas. b.

Bellica ars.

A. Hanc artem quondā relictis omnibus doctrinis Lacedæmonij, & postea Romani coluerunt, hanc solam hodieque Barbari putant esse seruandam. Cætera autem in hac arte omnia consistere, aut per hanc assequi se posse confidunt. *Vegetius de re militari, libro tertio, capite decimo.*

Bellicosus.

A. Omnes nationes, quæ vicinæ sunt soli, nimio calore siccatas amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinem dicunt, scil. doctissimi homines, ac propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera qui exiguum sanguinem se habere nouerunt. Contra Septentrionales populi remoti à solis ardoribus inconsultiores quidem sed tamē largo sanguine abundantes sunt ad bella promptissimi. Tirones ergo de temperatioribus legendi sunt plagis, quibus & copia sanguinis suppetat ad vulnerum mortisque contemptū, & non possit deesse prudentia quæ modestiam seruat in castris, & non parum prodest in dimicatione consilijs. *Vegetius libro primo, capite secundo.*

Item, vide Cyrus. a. Luxuria. b. c. Militia. b.

S. Benedictus.

Longè ab hominibus positus beatus Benedictus, quia die eodem quo sibi presbiter diuinitùs admonitus cibum portauit, quem sibi parauerat, paschalis esset solemnitas ignorabat. Presbiter autem rursus asseruit dicens. Veraciter hodie resurrectionis dominicæ paschalis dies est, abstinere tibi minimè conuenit. Quia ego ad hoc sum missus, vt dona omnipotentis Dei pariter sumamus. *Gregorius in Dialog. libro secundo, capite secundo.* A.

Quadam die dum solus esset, tentator adfuit, nam nigra paruaque auis, quæ vulgo merula vocatur, circa faciem eius volitare cœpit eiusque vultu importunè insistere, ita vt capi manu posset si hāc vir sanctus tenere voluisset, sed signo crucis edito recessit auis. Tanta autem carnis tētatio aue recedente sequuta est, quātam vir sanctus nunquam fuerat expertus. Namque aliquando fœminam viderat, quam malignus spiritus ante eius oculos reduxit, tantoque igne serui Dei animum in speciem illius accendit, vt se in eius pectore amoris flamma vix caperet, & iam pœnè deserere eremum voluptate victus deliberaret: cum subito superna gratia respersus ad seipsum reuersus est, atque vrticarum & veprium iuxta dēsa succrescere fructeta conspiciēs, exutus indumento nudum se in illis spinarum aculeis & vrticarum incendijs proiecit, ibique diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exijt, & per cutis vulnera eduxit à corpo- B*.

corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Ex quo videlicet tempore sicut post ipse discipulis perhibebat, ita est in illo voluptatis tentatio edomita, vt tale in se aliquid minimè sentiret. *Gregor. in Dialog. libro secundo, capite tertio.*

C. Non longè à loco vbi Benedictus degebat monasterium fuit, cuius congregationis Pater est defunctus, omnisque congregatio ad eundem venerabilem Benedictum venit, & magnis precibus vt eis præesse deberet, petiji, qui diu negando distulit, sed victus quandoque precibus assensum dedit. Cũque sibi sub eo conspicerent illicita non licere, & se dolerẽt assueta relinquere, tractare de eius morte conati sunt, qui inito consilio venenum vino miscuerunt: & cũ vas vitreum in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti patri ex more monasterij ad benedicendum fuisset oblatum, ille extensa manu signum crucis dedit, & vas quod lõgius cernebatur eodem signo rupit, sicque confractum est, ac si in illo vase mortis pro cruce lapidem misisset. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, & illico surrexit, & vultu placido conuocatos Fratres est allocutus dicens: Misereatur vestri omnipotens Deus, quare in me facere ista voluistis? nunquid non prius dixi, quia vestris & meis moribus minimè conueniret. Ite & iuxta mores vestros vobis Patrem quærite &c. *Gregorius secundo Dialog. cap. 2.*

D. Ad horam refectionis illius ex vicina sylua coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. *Gregor. in Dialog. libro secundo, capite octauo.*

E. Dum terram fodiendo altius penetrarent in monte Cassino æreum illic idolum fratres inuenerunt, quo ad horam casu in coquinam proiecto, ignis exire repente visus est, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium consumeretur ostendit. Cumque iaciendo aquam in ignem quasi extinguendo perstreperẽt, pulsatus eodem tumultu vir Domini Benedictus aduenit, qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis vero non esse considerans, caput statim in orationem flexit, & eos quos fantastico reperit igne deludi, vocauit fratres, & vt oculos suos signarẽt monuit, & sanum illud coquinæ ædificium assistere cernerent, & flammas, quas hostis antiquus finxerat, non viderent. *Gregorius. Eodem libro, capite decimo.*

F. Vir Domini intempesta noctis hora vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa. Mira autem res in hac speculatione sequuta est, quia omnis etiam mundus sub vno solis radio collectus ante eius oculos adductus est. &c. *Gregorius Dialog. libro secundo, capite trigesimo-quinto.*
Item, vide Elatio. a. Oratio. b.

BENEFICIVM.

A. INterdum ipse qui iuuatur fallendus est, vt habeat, nec à quo acceperit sciat. Arcesilaus Philosophus amicum habuit pauperem & ægrotum, sed vtrumque præ verecundia, vt assolet, dissimulantem, quod cum philosophus cõperisset, iudicauit illi sine confusione secretius succurrendum, & acceptum sacculum pecuniæ clam illius puluino subiecit, alio penitus ignorante; vt homo inutiliter verecundus magis videretur *Clarior emicuit in simili casu B. Nicolai virtus.*

H quod

quod desiderasset inuenire, quam quod postulasset accipere. *Seneca libro secundo de Beneficijs. Plut. lib. de dignoscendo adulatore ab amico qui illum amicum scribit fuisse Apellem Chium.*

B. Marcus Cicero Aulum Gabinium repetundarum rem summo studio defendit, qui eum in Consulatu suo Vrbe expulerat, idemque post P. Vatinium suæ dignitati semper infestum, duobus publicis iudicijs tutatus est, vt sine vllo crimine leuitatis ita cum aliqua laude; quia speciosius aliquanto iniuriæ beneficijs vincuntur, quam mutui odij pertinacia pẽsantur. *Valerius Max. libro quarto, capite secundo. Quintilianus 6. c. 5.*

C. Archelaus Rex Socratem rogauit vt ad se veniret, quatenus eum honorare posset. Socrates autem dixisse traditur, se nolle venire ab illo beneficia recipere, cui non posset paria reddere. *Et infra.* Vis scire quod verè noluerit? Noluit ire ad voluntariam seruitutem is, cuius libertatem ciuitas libera ferre non potuit. *Seneca lib. quinto, de Beneficijs.*

D. Clericus quidam cum longo tempore dum haberet vnicum beneficiũ asseruisset non esse licitum clerico tenere plura beneficia, quorum vnum esset sufficiens secundum statum suæ personæ, dato sibi secundo beneficio, asseruit, quod licitè possit quis habere plura beneficia, addens quod nullus posset hoc intelligere nisi qui haberet ea. *G. Lugdun. in Summa de vitijs in tractatu de Auaritia, rubrica de signis superbiæ.*

E. Soliti sunt Poetæ dicere de beneficio, quoniam est torques colli: & de donarijs, quoniam sunt compedes ei qui dona recipit. *Aristot. lib. 2. poeticæ, cap. 9.*

F. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, etsi acerbũ. *Seneca lib. 2. de Beneficijs cap. 7.*

Non licere clerico plura beneficia obtinere, quorum vnum sufficiens pro vita esset, Magister Guiardus Cameracensis Episcopus verbo huiusmodi confirmauit: nollem, inquit, pro toto auro Arabiæ vna tantũ nocte duo beneficia obtinere, & certus tamen essem quod de mane vnum illorum homini idoneo cõferretur, & hoc propter incertæ vitæ discrimen. *Et infra.* Ego autem in ciuitate episcopali annis vndecim adoleui, vbi septuaginta duo Canonici sub præbendis pinguissimis 200. ferè librarum Parisiensium in matrice Ecclesia seruiebant, quorum plures erant plurium beneficiorum detentores. Mihi testis & iudex sit sancta Trinitas, quod paucos illorum vidi communi morte defungi, sed subito omnes & reprobè mori, ita quod quidam eorum audito quod quidam sociorum in nocte sanus, mane mortuus inuentus esset, complosis manibus dixit. Et quid vultis? secundum vsum & consuetudinem ecclesiæ mortuus est vt videtis. *Thomas Cantipratanus de Apibus, libro primo, capite decimo-nono, de morte autem Guiardi habetur postea, libro primo, capite quinto.* G*.

Item, vide Dissimulatio. a. Edmundus. a. Gratitudo. a. Ingratitudo. a. Leo. a. Liberalitas per totũ. Martinus. c. Rigor. a.

S. BERNARDVS.

A. CVm Beatus Bernardus adhuc puerulus esset & graui dolore capitis ægrotaret, venientem ad se mulierculam vt dolorem suis carminibus mitigaret, cum indignatione maxima exclamãs ipsam repulit & abiecit. *In vita S. Bernardi l. 1. c. 2.*

Quodam

B. Quodam tempore hospitissa quædam Bernardum decorum considerans, silenter in lectum eius de nocte se iecit, quam ille sentiens clamauit: *Latrones, Latrones*, quod illa audiens aufugit, & hoc factum est per tres vices. Die sequenti dum iter ageret, quærentibus socijs quos latrones sõniauerat, respondit: Veraciter ista nocte patiebar latronis insidias, quia hospita nitebatur mihi auferre thesaurum incomparabilem castitatis, *cap.* 3.

C. Ad comedendum vix aliqua voluptate trahebatur appetitus sed solo timore defectus sic accedebat ad sumendum cibum, quasi ad tormentum, post cibum autem quantum comederit semper cogitare solitus erat. Si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehendit, impunè abire non patiebatur. *cap.* 4. *lib.* 1.

D. Quidquid in Scripturis sacris didicerat maximè in siluis & in agris meditando, & orando se confitebatur accepisse, & nullos se magistros habuisse, nisi quercus & fagos: vt amicis dicere solebat. *Ibidem.*

E. In vestibus semper ei paupertas placuit, sordes nunquam: nimirum animi fore indices aiebat, aut negligentis aut inaniter apud se gloriantis, aut foris humanam gloriam affectantis. *libro tertio, capite secundo.*

F. Prouerbium in ore eius frequenter, semper in corde. *Qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes*, vnde & ciliciũ pluribus annis portauit, quamdiu occultum esse potuit, sed vbi hoc cognitum esse sensit, continuo illud abijciens ad communia se conuertit. *libro tertio, capite primo.*

G. Nunquam sic risit vt non potius adridendum, quam reprimendum vim sibi facere oporteret. *lib.* 3. *c.* 2.

H. Nouitijs suum monasterium intrare volentibus, dicere consueuit: *Si ad ea quæ intus sunt festinatis, hic foris dimittite corpora quæ de sæculo attulistis, soli spiritus ingrediantur, caro non prodest quicquam. cap.* 4. *lib.* 1.

I. Soror eius sæculo nupta, cum in delicijs & diuitijs seculi periclitaretur, quadam vice, B. Bernardum & alios fratres suos in monasterio degentes ad monasterium visitatura accessit: cumque venisset cum comitatu & apparatu superbo, ille eam tanquam rete diaboli ad animas capiendas abhorruit, nec ad videndum eam exire voluit. Videns illa quod nullus fratrum suorum occurreret, sed ab vno eorum qui tunc erat portarius, stercus inuolutum diceretur, tota in lacrymas resoluta est, dicens. *Et si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat seruus Dei animam meam, veniat & præcipiat, & quidquid præceperit, adimplebo.* Tunc ad eam exijt cũ fratribus, & omnem ei mundi gloriam interdicens, & formam matris imitandam ei indicans, eam dimisit. *capite sexto, libro primo.*

K. Tandem morti feliciter appropinquans ait fratribus suis. Tria vobis conseruanda relinquo, quæ in stadio præsentis vitæ memini me pro viribus obseruasse. Facere nemini scandalum volui, & si aliquando incidit, sedaui vt potui: minus semper sensui meo quam alterius credidi, læsus de lædente nunquam vindictam expetij. Ecce charitatem, humilitatem, patientiam vobis relinquo. *In aurea legenda.*

Bibere.

A*. In conuentu Bononiæ quidam cõuersus, á diabolo vexatus est, quem beatus Dominicus ante altare

portari præcepit, quo facto dixit: Adiuro te miser, vt dicas mihi, quare vexas creaturã Dei, & quare & quomodo huc intrasti? Respondit. Vexo eum quia meruit. Bibit enim heri sine licentia Prioris in ciuitate & nõ adhibito signo crucis. *In aurea legenda sub titulo de beato Dominico.*

Item, vide Abstinentia. k. p. Augustus Cæsar. e. Dominicus. a. Ieiunium. a. Miraculum. z. Obedientia. a. n. Potus. a.

Bigamia.

A. Legant nuptæ antequam religio nostra fulgeret in mundo vnicubas semper habuisse inter matronas decus. Per illas fortunæ muliebri sacra fieri solitum, nullam sacerdotem bigamam, nullum Flaminem bimaritum. Hierophantos quoque Atheniensium vsque hodie cicutæ sorbitione castrari, & postquam in pontificatum fuerint allecti, vires esse desinere. *Hieronymus contra Iouinianum libro primo in fine.*

B. Porcia autẽ minor, cũ laudaretur apud eam quædam morata, quæ secundum habebat maritum respondit. Fælix & pudica matrona nũquam nisi semel nubit. *Idem contra Iouinianum libro primo.*

Item, vide Matrimonium. c.

Blasius.

A. Blasius episcopatu suscepto ad Diocletiani persecutionem speluncam petijt, & ibi eremiticam vitam duxit: cui aues pabulum afferebant, & feræ ad eum vnanimiter confluebant, & vsque dum imponeret eis manus, non recedebant ab eo. Denique si infirmabantur, ad eum continuo veniebant, & sanabantur. Cum autem milites Præsidis regionis illius aduenissent illuc, vt ipsum cum omnibus Christianis ad Præsidem adducerent, dicentes eidem: Egredere, Præses vocat te, respondit: Bene venistis filij, nunc video quia Deus non est oblitus mei. *In aurea legenda sub titulo de sancto Blasio.*

Ipse autem cum decollari deberet Dominum exorauit, vt quicunque pro infirmitate gutturis, vel alia quacunque infirmitate eius patrocinia postularet, exaudiri continuò mereretur: Et ecce vox de cælo venit, dicens, quod sic fieret vt orauit. *Ibidem.* B.

Blasphemia.

Noui quendam de fratrum numero, qui probatissimo cuidam senum vitio carnis se confessus est grauiter impugnari: intolerabili enim æstu libidinis pridem vrebatur. Qui senex grauiter suspirans: Nequaquam (ait) tam nequam spiritui tradi te Dominus permisisset, nisi aliquid blasphemasses in eum. Quo ille comperto confestim concidit ad pedes eius summèque admirans tanquam Deo cernẽs arcana pectoris sui patefacta, confessus est in Dei se filium cogitatione impia blasphemasse. Vnde perspicuũ est eum qui spiritu superbiæ possidetur, vel qui in Deum blasphemus est, tanquam qui irroget ei iniuriam à quo puritatis speranda sunt dona, perfectionis integritate priuari, & sanctificationem castimoniæ non mereri. *Ioannes Cassian. de Institutis monachorum libro duodecimo, capite vigesimo.* A.

Consuetudinis Iudaicæ erat, audita blasphemia in Deum, scindere vestimenta sua. *In historia Scholastica Matth.* B.

Matth. 26. c.
Item, vide Puer. a.

BONA PROPRIA.

A. Bias, cum patriam eius Prienem hostes inuasissent, omnibus, quos modo belli sæuitia incolumes abire passa fuerat, rerum pretiosarum pondere onustis fugientibus, interrogatus quid ita ex bonis suis nihil secum ferret? *Ego vero*, inquit, *bona mea mecum porto*, pectore enim illa gestabat non humeris, nec oculis visenda, sed æstimanda animo. Quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt: & vt manētibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt. *Valerius Max. lib. 3. cap. 2. Cicero in Paradoxis. Seneca de tranquillitate animi libro secundo, capite quinto.*
Item, vide Gratiarum actio. a.

BONVM.

Vide Fortuna. h. Passio. a.

BONVS.

A. QVid illud factum Lucij Fimbriæ Consularis, quam sapiens! á M. Lutatio Pythia splendido equite Romano Iudex aditus de sponsione, quam is cū aduersario, quod vir bonus esset, fecerat, nunquam illud iudicium pronūntiatione sua finire voluit, ne aut probatū virum, si contra eum iudicasset, spoliaret fama; aut iuraret virum bonū esse cum ea res innumerabilibus rebus contineatur. *Val. Max. lib. 7. c. 2. ex Cicerone 3. Officiorū.*

BRACHMANI.

A. GEnus Brachmanorum pura & simplici vita viuit, nullis rerum capitur illecebris. Nihil appetit amplius quam ratio naturę flagitat. Facilis nobis alimonia, non quam naturæ sagacitas per omnia elementa perquirit, sed quam tellus ferro inuiolata producit. Mensam epulis oneramus innocuis. Hinc est quod nulla genera morborum & nomina numeramus: scilicet diuturna salute perfruimur. Tutiùs nos defendit ab imbre spelunca quam tegula, cuius geminus est nobis vsus, māsionis dū viuimus, sepulturæ dum morimur: nullus nobis pretiosus amictus, sed membra papyri tegmine, vel, quod est verius pudore velantur. Fæminæ nostrates non ornantur, vt placeant, nec sciunt in augenda pulcritudine plus affectare, quam quod natæ sunt. Ad concubitum nos non admonet libido, sed prolis amor. Pestilentiam nos non patimur, neque enim fædis actibus cælum temeramus. Medicinæ remedium nobis parsimonia est, quæ non solum illapsos potest curare dolores, sed etiam curare ne veniant. Regem habemus non pro iustitia, sed pro nobilitate conseruanda. *Didimus Rex Brachmanorum in epistola ad Alexandrum, Ioannes Saresb. in Polycrat. lib. 4. cap. 2.*

CALLIDITAS.

A. CVm Alexander Macedonū Rex sorte monitus, vt eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet; asinarium forte sibi eminus obuiam factum ad mortem abripi imperasset. Eoque quærente quidnam se immerentem capitali supplicio innocētemq́ addiceret, cū ad excusandum factū suum oraculi præceptum retulisset. Asinarius, si ita est, inquit. Rex, alium sors huic morti destinauit, nam asellus, quem ante me agebam tibi prior occurrit.

Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quod ipse ab errore reuocatus erat, occasionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit. *Valerius Max. libro septimo, capite tertio.*

B. Lampsacenæ vrbis salus vnius vaframenti beneficio constitit. Nā cum ad excidium eius summo studio Alexander ferretur, progressumque extra mœnia Anaximenem præceptorem suum vidisset, quia manifestū factum erat, vt preces suas iræ eius opponeret; non facturum se quod petisset iurauit. Tunc Anaximenes, Pete, inquit, vt Lampsacum diruas. Hæc velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytum exitio, cui destinatum erat, subtraxit. *Ibidem Valerius & Suidas & Pausanias Eliacon lib. 2.*

C. Demosthenis astutia mirificè cuidam ancillæ succursum est, quæ pecuniam depositi nomine à duobus hospitibus acceperat, ea conditione, vt illam simul vtrisque redderet. Quorum alter interiecto tempore, tanquam mortuo socio, squalore obsitus deceptæ ancillæ omnes nūmos abstulit. Superuenit deinde alter, & depositum petere cœpit, hęrebat misera & in maxima pariter & pecuniæ & defensionis penuria. Iamque de laqueo cogitabat & suspendio: sed oportunè Demosthenes ei protinus adfuit, qui vt in aduocationem venit: Mulier, inquit, parata est depositi se fide soluere, sed nisi socium adduxeris id facere non potest. Quoniam, vt ipse vociferaris, hæc dicta est lex ne pecunia alteri sine altero traderetur. *Ibidem.*

Item, vide Cautela per totum. Mirabile. x.

Calor.

Vide Mirabile. by. Patientia. ba.

Calx.

Vide Mirabile. ax. Mors. z.

Campana.

A. Sicut rex habet in suo exercitu insignia regalia, scil. tubas & vexilla, sic *Christus* Rex æternus habet in sua Ecclesia militante campanas pro tubis, & Cruces pro vexillis. Et sicut aliquis Tyrannus valde timeret, qui alicuius Regis potentis & sibi inimici in sua terra tubas audiret, & vexilla videret, sic dæmones qui sunt in isto aere caliginoso vehementer metuunt, quando tubas *Christi* scilicet campanas pulsari sentiunt, & Cruces ac vexilla conspiciunt. Et ista dicitur esse ratio quare Ecclesia campanas pulsare consueuit, quando tempestatem videt concitari, vt dæmones, qui hoc faciunt, tubas æterni Regis audiant, & territi fugiant, à tempestatis concitatione quiescant. Licet etiam sit alia ratio, quia campanæ tunc fideles admonent, vt pro instanti periculo orationi insistant. *Et infra.* Dicit Chrysostomus: Vbicunque dęmones signum Dominicum viderint, fugiunt, timentes baculum quo plagā acceperunt: Et hæc est ratio quare in quibusdam Ecclesijs tempore tempestatis Crux de Ecclesijs extrahitur, & tempestati opponitur. Ideo etiam Crux in processione defertur & campanæ pulsantur, vt dæmones in ipso aere existentes territi fugiāt. *In aurea legenda, sub titulo de Litania maiori.*

Canis.

A. Apud Albaniam nati sunt canes qui feris anteponuntur. Frangunt tauros, leones premunt, detinent

detinent quidquid obiectum eis est. Petenti Indiam Alexandro à Rege Albaniæ duo canes missi sunt, quorum alter sues & vrsos sibi oblatos adeo spreuit vt offensus degeneri præda ignauo similis diu accubaret: quem per ignorantiam, velut inertem, extingui imperauit. Alter vero monitu eorum qui eos persecuti fuerant leonem missum necat, mox viso elephante exultans belluam primo astu fatigauit, demum cum summo spectantium honore terræ affixit. *Solinus in Polyhistore de mirabilibus mundi.*

Cantus.

A. IN quodam monasterio Cisterciēsis ordinis inchoato Psalmo mediocri voce, & in eadem ipsum persequentibus monachis senioribus, quidam iuuenis satis arrogans, vocem vltra tres tonos exaltauit. Et licet seniores ei resisterent, ipse cum quibusdam partem suam adiuuantibus præualuit, sicque seniores propter scandalum ei cesserunt. Mox ex ore eius dæmon quasi candens ferrum exilire, & ad eos qui eum iuuerunt, transferre se visus est. *Cæsarius in lib. 5. cap. 5. miraculorum.*

B. Aiunt physici nihil potius ad euertendum animum esse quam lenocinium melodiæ. Ille optimus Musicus Orpheus suam libidinem citharizando prosecutus est vsque ad infernum. In huius rei argumentū accipe, quod *difficile inuenitur aliquis leuis vocis, & grauis vitæ*, quippe cum vocis leuitas cantum desideret, & vitæ maturitas planctum. Vidi infinitos tam viros quam feminas, tanto peioris vitæ, quanto melioris vocis. Sed, vt nostris parcam temporibus, Nero producatur in medium, de quo refert Suetonius in lib. de vita Cæsar. quod adeo delectabatur cantu, vt nec repentino terræ motu ante cātare desisteret, quam inchoata finiret. Vnde dictum est illud apud Iuuenalem: *Vox blanda & nequam digitos habet.* Ecce inuenimus hominem vocis blandissimæ, & vitæ pessimę. *Helinandus in Chronicis de hoc facto Neronis habetur plenius in Polycratico libro primo, capite septimo.*

C. Quidam venerabilis circiter septingentarum monialium pater, hanc suis monasterijs perscripsit regulam, vt omnia earum cantica totius melicæ pronunciationis exuant modos, & sola psalmorum & laudū sint significatiua pronunciatione contentæ. Suspecta enim fuit sancto viro, voluptati cognata mollicies, eo quod voluptas parens libidinum est. *In Polycratico Ioannis Salesb. libro primo, capite sexto.*

Item, vide Augustinus. u. Laus. d. e. i. August. m.

Capilli.

A. INdubitanter crines fœminarum in tormentis, onagris, balistis nō minorem habere virtutem quam setas de caudis & iubis equorum, ratione necessitatis, experimento cognoscitur. Nam in obsidione Capitolij corruptis iugi ac longa fatigatione tormentis, cum neruorum defecisset copia, matronæ abscisos crines viris suis obtulere pugnantibus. Maluerunt enim pudicæ fœminæ deformato ad tempus capite liberè viuere cum maritis, quam hostibus integro decore seruire. *Vegetius de re militari, libro quarto, capite nono.*

Capvt.

A. DVas corporis summitates Plato docuit non esse velandas, nec assuefieri debere molliciei capitis, & pedum. Cum enim habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt. *Hieronymus super Matth. & recitatur in Speculo histor. libro quarto, capite septuagesimo-nono.*

Carbo.

Vide Mirabile. a x.

Cardinalis.

A. VNum, conscientia teste profiteor, quia nusquam honestiores clericos vidi quam Romæ, aut qui magis auaritiam detestentur. Quis Bernardi Rhedonensis sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconi Cardinalis continentiam contemptumque pecuniæ non miretur? Nondum natus est à quo munus accepit, quod tamẽ à communione fratrum sinceriore iure prouenie bat: interdũ accipere persuasus est. Quis non stupeat episcopum Prænestinum, qui scrupulum conscientiæ metuens, & à participatione bonorum communium abstinebat. Plurium tanta grauitas est, vt Fabricio non inueniantur inferiores, quem agnita salutis vita modis omnibus antecedunt. *In Polycratico Ioannis Saresb. libro sexto, capite vigesimo-quarto.*

Caritas.

A. EGo non minus diligo, quos genui in Euangelio, quam si eos suscepissem coniugio. *S. Ambrosius libro primo de officijs.*

B. Legitur in vita Ioannis Euangelistæ, quod cum ipse deuenisset ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec plura posset dicere verba, ad quamlibet pausam hæc dicebat: *Filioli, diligite alterutrum.* Tandem discipuli qui aderant, audiẽtes, quod hæc verba semper diceret, dixerunt. Magister, quare hoc semper loqueris? qui respondit. *Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit. G. Lugdunensis in summa virtutum parte secunda, rubrica tertia. S. Hieronymus in epist. ad Galatas.*

Quidam Abbas Cistercienfis præcepit monacho suo infirmo, vt carnes manducaret. Ille mox obediens, licet inuitus Abbati dixit. *Et ego vos rogo in eadem caritate, vt illas mecum comedatis,* qui statim resedit, & morsellum de scutella infirmi tulit, & comedit. Satis citò post dictus Abbas ad quandam Ecclesiam, vbi erat quidam obsessus à dæmone deuenit & dixit dæmoni: Adiuro te immunde spiritus in eadem caritate qua pridie ob monachum meum carnes comedi, vt exeas ab hoc homine. Qui mox exijt, & fugit, ac si caritatis incendium ferre non posset. *Cæsarius libro decimo, capite octauo Miraculorum.* C.

Die quadam à Longobardis captus quidam Diaconus tenebatur ligatus, eumque ipsi interficere cogitabant. Aduesperascente die, vir Dei, nomine Sanctulus presbyter ab eisdem petijt, & vt ei vita concederetur, quod posse se facere omnes negauerunt. Cumque mortem illius deliberasse eos cerneret, tunc petijt vt ad custodiã sibi daretur? Cui protinus responderunt: Tibi quidem ad custodiendum damus, sed ea conditione, vt si ipse fugerit pro eo ipse moriaris. Quod vir Domini libenter accipiens, eum in suam suscepit fidem. Quem nocte media Longobardis D.

bardis omnibus dormientibus excitauit & ait: Surge & concitus vade. Liberet te omnipotens Deus. Sed idē Diaconus promissionis eius non immemor respondit. Fugere pater non possum, quia si ego fugio, pro me morieris. Quem vir Domini compulit ad fugiendum, dicens. Surge & vade, te omnipotens Deus eripiat. Nā ego in manu eius sum. Tātum in me possunt facere, quantum ipse permiserit. Fugit itaque Diaconus, Mane Longobardi dixerunt: Bonus homo es, nolumus te per varios cruciatus mori. Elige tibi mortem quam vis. Respōdit. In manu Dei sum: ea morte me occidite, qua me occidi ipse permisit. Tunc illis placuit, vt eum capite truncarent, atque ex omnibus viris fortibus electus est vnus, de quo dubium non esset, quod vno ictu caput eius abscinderet. Ille ergo inter armatos deductus ad arma sua cucurrit, nam petijt vt paululum orandi sibi licentiam darent: Qua impetrata, se prostrauit, & orauit. Qui cū paulo diutius oraret, hunc electus interfector calce pulsauit dicēs: Surge & flexo genu ceruicem extende, quod & fecit sed tenso collo eductum contra se gladium intuens hoc vnū fertur publicè dixisse; Sancte Ioannes suscipe illam. Tunc lictor euaginatum gladium tenens, adnisu forti in altum brachium percussurus leuauit, sed deponere nullo modo potuit. Tunc illi qui aderant virum Dei cū timore venerari cœperunt, quia claruerat cuius sanctitatis esset. *Et infra.* Pensa vbi animus eius fuerit, quando mori pro proximo tam constanter decreuit. Quæ ergo amoris vis cor tenuit, quod mortem pro salute proximi non expauit? Scimus quod ille Sanctulus, literarum elementa non bene nouerat, & legis præcepta nesciebat, sed quia plenitudo legis est Dilectio, legem totam in Dei & proximi dilectione seruauit. *Et infra.* Comparemus, si placet, cum hac indocta scientia illam doctam ignorantiam: vbi hæc nostra iacet vbi illius disciplina eminet. Nos de virtutibus vacui loquimur, & quasi inter fructifera arbusta positi, odoramus poma nec manducamus. Ille virtutum fructus nouerat carpere, quamuis hos in verbis odorare nesciebat. *Gregorius in Dialogor. libro tertio, capite trigesimo-septimo.*

Duo fratres perrexerunt ad ciuitatem vt venderent, quæ fuerant operati, & cum à se inuicem essent diuisi, incidit vnus in fornicationem. Veniens autem postea Frater eius dixit: Reuertamur ad cellam nostram, frater, Ille vero respondit, dicens: Non veniam. Altero autem interrogante. Quare, frater? Ille respondit: Quia cum discessisses à me, incurri in tentationem, & fornicatus sum. Ille autem volens lucrari eum, cœpit dicere. Quia & mihi sic contigit, sed eamus & simul pænitentiam agamus, cum omni labore & Deus ignoscet. Qui cum venissent ad cellam, retulerunt senibus, quid eis contigerat & illi dederunt eis mandata qualiter pænitentiam agerent. Ille tamen vnus non pro se, sed pro alio fratre pænitentiam agebat, tanquam si ipse peccasset. Videns autem Deus laborem & caritatem eius intra paucos dies manifestauit vni de senioribus quod pro multa caritate illius fratris, qui non peccauerat, indulsit illi, qui fornicatus est. Verè hoc est ponere animam pro fratre suo. *In vitis Patrum libro quinto, parte quinta.* E.

E. Duo fratres erant in cella: Vnus autem ex eis erat senex, & rogabat eum iuuenis dicens: Maneamus simul, frater. At ille: peccator sum & non possum manere tecum, Abba. Ille autem rogabat eum dicens: Etiã possumus. *Et infra.* Volens autem iuuenis eum probare, dicebat: In magnam tẽtationem incurri in ista hebdomada, Abba. Pergens autem pro ministerio quodam in vico, incidi in mulierem. Et dixit ei senex. Estne pænitentia? Et dixit frater: Etiam. Senex autem dixit. Ego tecum porto medietatem huius peccati: Tunc dixit frater: Modo scio quia possumus simul esse, & manserunt simul vsque ad exitum suum. *In vitis Patrum libro decimo-septimo, parte prima.*

G. Fertur quod cùm sancto Macario Alexandrino vuam quis detulisset, ille qui secundum caritatem nõ quæ sua sunt, sed quæ alterius cogitaret, ad alium fratrem detulit eam, qui quasi infirmior videbatur. Tunc ille gratias egit Deo pro fratris officio, sed & ipse nihilominus plus de proximo quam de se cogitans, ad alium pertulit, & ille item ad alium, & sic cum per omnes cellulas vua circumlata esset, ignorantibus eis quis eam primo misisset, ad vltimum ipsi defertur qui eam miserat. Gratulatus autem S. Macarius quod tantam viderat in fratribus continentiam, tãtamque caritatem semetipsum ad acriora & spiritalia extendit exercitia. *In vitis Patrum sub titulo de duobus Macarijs.*

H. De Serapione, qui & Syndonius vocabatur, quòd nulla alia veste quã syndone vtebatur, referebant Patres, quod in quodam oppido, xx. solidorum precio se Paganis numis distraxerit, & in eorum seruitute permãsit, ita vt eis pedes quoque lauaret, donec Christianos efficeret, & á ludis theatralibus separaret, nullumque cibum nisi panem & aquam sumere cõsueuerat, nec diuinas Scripturas legere cessabat. Illis autem ad piam castamque vitam conuersis, cũ ei illi libertatem offerrent, dicentes, quia per ipsum á turpi seruitio liberati essent, xx. solidos quos pro se acceperat, reddidit eis dicens: Quia per me Deus impleuit in vobis quod volebam, nunc aurum quod pro me dedistis recipite, vt alios quoque quibus subuenire possim, reperiam. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus siue Lausiaca historia.*

Apud Corinthum nobilis & pulchra matrona virginitatis voto degebat, quam apud paganum iudicem nonnulli veluti Dijs ipsorum & Imperatoribus conuitiantem criminibus impetebant. At iudex insano fæmineo amore; postquam varijs artibus non potuit ei persuadere quod voluit, nouo contra eam furore desæuiens, non eam morti vel alicui pœnæ destinauit, sed in lupanari prostitui iussit, lenonique vt ternos ad eum per singulos dies ex ipsius concubitu solidos exhiberet iniunxit. *Et infra.* Interea ipsa existente in lupanari, & cautela quadã à carnis inquinamento seruante, dũ oraret, Deus iuuenem quendam ita mente commouit, vt amore Dei interire pro ipsa cuperet. Itaque sub specie patrandæ turpitudinis profunda nocte ingressus, datis lenoni quinque solidis vestibus se proprijs spoliauit, eisque puellam induens, chlamide quoque caput velatam, de lupanari incorruptam emisit. Postera die hoc cognito, Iudici traditus est ac bestiarum dẽtibus discerptus. *Heraclides vbi supra.* I.

Item, vide Cautela. b. Doctrina. b. Domini-

minicus. b. c. Eleemosyna per totum. Labor. c. Thesaurus. b.

CARMEN.

Vide Bernardus. a. Infamia. a.

CARO.

A. O Quoties in eremo constitutus putaui me Romanis interesse delitijs. Sedebam solus quia amaritudine eram plenus. De cibo vero & potu taceo, cum etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuriæ sit. Ergo qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaueram, scorpionum tantum socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum, pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore &c. Itaque continuo flebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Si autem sustinent hæc illi qui exeso corpore, solis cogitationibus impugnantur, quid patitur puella quæ delicijs fruitur, nempe illud Apostoli: *Viuens mortua est.* Si quid ergo in me est consilij, hoc vnũ moneo, vt sponsa *Christi* vinum fugiat pro veneno. Facilè alijs caremus vitijs. Hic hostis intus inclusus est, quocumque pergimus, nostrum nobiscum portamus inimicum. Vinũ & adolescentia duplex incendium voluptatis. *Hieronymus epist. ad Eustochium, de Virginitate seruanda.*

1. ad Timoth. 5.

CARNES.

Vide Astinentia. a.a. a.b. a.d. a.e. Sacerdos. f.

CASTIGATIO.

Vide Correctio, Detractio. Reprehensio. a b. Excommunicatio. c.

CASTITAS.

A. D Ixit beata Lucia Paschasio: *Qui castè viuunt, Spiritus sancti templũ sunt.* Cui Paschasius. Ego te faciam duci ad lupanar, vt ibi violationem accipias, & spiritum sanctum perdas. Cui Lucia: non violatur corpus nisi de consensu mentis. Nam si inuitam violari me feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Volentes autem lenones eam trahere ad lupanar, tanto pondere eam fixit Spiritus sanctus, vt omnes eam mouere nequirẽt, adhibitis ad hoc mille viris, & mille boum paribus. *In legenda eiusdem.*

B. Duellus Consul Romanus Iliam virginem duxit vxorem. Is senex iã & trementi corpore, dolens sibi esse exprobratum in iurgio quod oris vitio fætidus esset, tristis se domum contulit; cumque apud vxorẽ questus esset quare nunquam se monuisset, vt huic vitio mederetur. Fecissem, inquit, nisi putassem omnibus viris sic os olere. *Ioannes Salesberiensis in Polycratico libro tertio, capite decimo-tertio, ex Hieronymo contra Iouinianum, lib. 1.*

C. Sanctimonialẽ quandam pulchra facie princeps diues & potens, in cuius potestate fundatum erat monasterium concupiuit, & cum nec precibus nec muneribus eam superare posset, misit qui illam violenter raperent. Illa autem tremens & dolẽs cœpit quærere cur potius eam quam aliam de monasterio exire suaderet. Qui respondet: Quia valde pulchros habes oculos. Quo audito supra modum est gauisa, & statim eruens sibi oculos. Ecce oculi quos desiderat, inquit, ferte illi vt me in pace dimittat & animam non auferat, & ita perditis oculis carnalibus spiritales seruauit. Verum mirandum hoc non imitandum. *Iacobus de Vitriaco. Cardinalis.*

D. Gens Theutonum Gallorum ex vltimis Oceani & Germaniæ pro

fecta littoribus, omnē Galliam inundauit; sæpiusque cęsis exercitibus Romanis ad aquas sexias á Mario pugnante superata est: Quorum trecentæ matronæ, cum alijs se viris captiuitatis conditione tradendas esse didicissent, primò Consulem deprecatæ sunt, vt templo Veneris & Cereris in seruitium traderentur in castitate victuræ. Quod cum non impetrarent, submouente eas lictore, omnes cæsis paruulis mane mortuæ sunt repertæ, suffocatis laqueo faucibus, & mutuis complexibus se tenentes. *Hieronymus in epistola ad Gerontiam. Paullo aliter Valerius Maxim. libro sexto, capite primo. Plutarc. in Mario, L. Florus lib. 3. cap. 3. Epitome Liuij lib. 68. Orosius lib. 5. cap. 16. Accidit autem anno post Romam conditam 651. quo Cimbres C. Marius cecidit.*

E. Quidam Eas nomine fertur quod cum pulcherrimam duxisset vxorem, ter solum cum ea concubuisse & tres filios genuisse, postea vitam apprimè sectatus. *In Tripartita historia libro nono, cap. 48.*

F*. Valentinianus Imperator eminētiorem eligens vitam pudicitiam vouit, nec vnquam carnem suā violauit. Vnde cum octogenarius moreretur, audiretque recoli suorū præconia triumphorum, quibus celeberrimus erat, dixit se in vna sola victoria gloriari. Requisitus autem de illa: Hostem inquit meum pessimum carnem meam semper oppressi & vici. *Petrus Blesensis epistola 79.*

G. Scipio Africanus sicut T. Liuius refert cum à Pirenæis montibus vsque ad columnas Herculis & vsque Oceanum deuicto Hannibale, & alijs Romanorū hostibus prouincias subiugasset, pueros captiuos & puellas egregiæ pulcritudinis barbaris restituit, nec passus est eas in suum venire conspectum. *Pet. Bles. in quadam epistola & in Polycratico libro tertio, capite decimo.*

Legitur in vita beatæ Brigidæ, quod cum eam quidam nobilis peteret sibi in coniugem, ipsa castitatis desiderio apud Deum precibus obtinuit, vt aliqua sibi data corporis deformitate procorum cessaret instantia. Tunc vnus oculus eius crepuit, & liquefactus est. Quod vidēs pater eius, permisit eam velari, oculusque eius sanatus est. *Ioannes Galensis in communiloquio parte tertia, d. 6. cap. 3. Simile refert Cantiprat. libro secundo, capite trigesimo, de muliere quæ ne concupisceretur oratione sua leprā contraxit, à qua postmodum emaculata fuit.* H.

Gothorum tempore Galla huius vrbis nobilissima marito tradita, in spatio vnius anni facta est vidua; quā cum ad iterandum thalamum & opes & ætas vocaret, elegit magis spiritualibus nuptijs Deo copulari quam carnalibus, quæ à lætitia incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cum validè ignea consperfio corporis inesset, cœperunt medici dicere, quia nisi in amplexus viriles rediret calore nimio contra naturam barbam habitura esset, quod ita quoque post factum est, sed nihil exterius deformitatis timuit, qui interioris sponsi speciem amauit. Mox ergo vt eius coniunx defunctus est abiecto sæculari habitu sese apud Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit. *Gregorius in Dialogis libro quarto, capite decimoquarto.* I*.

Virginem quandam ancillam Dominus suus varijs tentans promissionibus stuprare non potuit, & ob hoc eam Alexandriæ Præfecto tradidit, qui inter diuersa sup- K.

plicia

plicia vas etiam æreum pice repletum incendens ait. Aut vade obtempera Domino tuo, aut ſcias te huc mittendam, quæ reſpondit nunquam cognitor ſit alter talis, qui addici iubeat libidini Caſtitatem. Per caput, inquit, Imperatoris tui quod vereris, obteſtor, vt ſi me his tormentis necare ſtuduiſti, non ſimul totam ſed paulatim iubeas mitti, vt videas quantam mihi dedit patientiam ignotus tibi *Chriſtus*. Tunc per vnius horæ ſpatium in vas æneum candens demiſſa defecit, vbi pix ebulliens ad eius collum peruenit. *Heraclides in libro qui dicitur Paradiſus ſiue Lauſiaca hiſtoria.*

L. Beatus Amon à parentibus relictus cum ad annos 22. perueniſſet inuitus ab auunculo ſuo nubere coactus eſt, ſed poſtquam omnes á thalamo receſſerunt á lecto ſurgit, oſtium claudit, prolatum de ſinu libellum puellæ legit, eique virginitatis conuerſationem expoſuit, ita quod illa in ictu gratia Dei repleta caſtitatem libenter amplecti ſe dixit. Sic ergo in eadem cella ſeparato lectulo octodecim annis cum ea vixit, & poſt in ſolitudine viginti-duobus. In cuius obitu Sanctus Antonius vidit animam eius cum ab angelis deferretur in cælum. *Heraclides in libro qui dicitur Paradiſus, & in Tripartita hiſtoria libro primo, capite vndecimo.*

Item, vide Bernardus. b. Bigamia. a. Cæcitas. b. Continentia. d. Crudelitas. c. Exemplum. a. Pulcritudo. a. Vxor. e.

Castratio.

A. IN ſacris Telluris ſeu Cybeles Matris Deorum ita amputatur virilitas, vt nec conuertatur in fœminam, nec vir relinquatur. Sacerdotes enim caſtrabant ſeipſos, qui dicti ſunt Galli & Corybantes. *Auguſtinus de ciuitate Dei libro ſeptimo, capite vigeſimo-quarto.*

B. Duo ſæculares facti monachi æmulationem habentes vocis Euangelicæ, ſed non ſecundum ſcientiam, caſtrauerunt ſe: quod audiens Archiepiſcopus excommunicauit eos. Illi putantes quia bene feciſſent indignati dixerunt: Eamus, & interpellemus aduerſus eum Hieroſolymorum Archiepiſcopum. Adeuntes autem indicauerunt ei omnia. Et dixit eis: Et ego vos excommunico. Contriſtati iterum abierunt ad Archiepiſcopum Antiochenum, & ille ſimiliter fecit. Et dixerunt: Eamus Romam ad Patriarcham, & ille nos vindicabit de omnibus iſtis. Abeuntes, ſuggeſſerunt ei quæ fecerant eis Archiepiſcopi. Dixit autem eis. Et ego vos excommunico, & eſtis ſegregati. Et dixerunt ad ſeipſos: Iſti Epiſcopi ſibi inuicem deferunt & conſentiunt, ſed eamus ad virum Dei Epiphanium, Epiſcopum Cypri, quia Propheta eſt, & perſonam non accipit. Cum autem appropinquarent ciuitati eius, reuelatum eſt ei de illis, & mittens in occurſum eorum dixit: Non intretis in ciuitatem iſtam. Tunc illi in ſe reuerſi dixerunt: In veritate, nos ſumus culpabiles. Et reprehenderunt ſeipſos de culpa admiſſa. Tunc ergo videns Deus reuelauit & hoc ipſum Epiphanio Epiſcopo & adduxit eos, & blandè conſolatus ſuſcepit in communionem,

ſcripſitque de eis Archiepiſcopo Alexandriæ dicens: Suſcipe filios tuos, qui pro veritate pænitentiam egerunt. *In vitis Patrum lib.15.cap.9. Item, vide Bigamia. a. Origenes. d.*

Cato.

A. IPſe Cato Vticenſis, animas eſſe perpetuas æſtimans, tandem tædio duplicis quartanæ, ſeipſum interfecit vt meliorem vitam inueniret. *Vincentius in ſpeculo hiſtoriali libr. tertio, cap.107. & Plutarch. in Catone.*

B. Tui clariſſimi exceſſus Cato Vtica illa ciuitas monumentum eſt: in qua ex fortiſſimis vulneribus plus gloriȩ quam ſanguinis manauit, ſiquidem conſtantiſſimé in gladium incumbendo magnum hominibus documentum dediſti, quanto potior debeat eſſe probis dignitas ſine vita, quam vita ſine dignitate. *Valer. Max. libro tertio, capite ſecundo, Plutarc. in vita. Appianus libro ſecundo bellorum Ciuilium.*

C. Age, ſi quis in hoc ſeculo vir illuſtris pellibus hædinis pro ſtragulis vtatur, tribuſque ſeruis comitatus regat Hiſpaniam, & quingentorum aſſium ſumptu tranſmarinam prouinciam petat, eodem cibo eodemque vino quo nautæ vti contentus ſit, nonne mirabilis exiſtimetur? Atqui patientiſſimè iſta tolerauit Cato, quia illum frugalitatis conſuetudo in hoc genere vitæ cum dulcedine ſumma continebat. *Idem libro quarto, capite tertio. T. Liuius libr. 32. Plutarc. Plinius lib. 14. cap. 13.*

D. Cato Grȩcis literis erudiri concupiuit. Quam ſero inde æſtimemus, quod etiam latinas pæne iam ſenex didicit. Cumque eloquentia magnam gloriam haberet, id egit vt iuris ciuilis quoque eſſet peritiſſimus, cuius proles propior ætati noſtræ Cato ita doctrinæ cupiditate flagrauit, vt ne in curia quidem, dum ſenatus cogitur, temperaret ſibi quominus libros Græcos lectitaret. *Idem Valerius Maximus libro octauo, capite ſeptimo, & M. Tullius in Bruto, & libro tertio de Finibus bonorum & malorum. Item, vide Oſcitio. e. f.*

Cautela.

IN India, cum quodam Rege nomine Auēnir, erat quidam Chriſtianus, ſed occultus, qui inter Regis Principes nobiles primus erat. A. Hic dum aliquando venatum iuiſſet, hominem quendam pauperem habentem pedem læſum à beſtia inuenit, à quo rogatur vt eũ in domum ſuam curandum ſuſciperet, adijciēs quod ſibi forſan prodeſſe poſſet in aliquo. Cui miles. Ego te libenter ſuſcipiam, ſed in quo vtilis inueniaris, ignoro. Cui ille, Ego ſum medicus verborum, ſi enim aliquis in verbis lædatur, ſcio congruam adhibere medicinam. Miles autē verbum hoc pro nihilo computauit, tamen propter Deum illum ſuſcipiēs, illius curam egit. Quidam autem inuidi videntes illum in tanta gratia Regis eſſe, accuſauerunt quod non ſolum Chriſtianus eſſet, ſed inſuper regnum ſibi conabatur rapere turbam ſibi concilians. Et ſi hoc, inquiunt, ô Rex ſcire deſideras, ipſum ſecretè aduoca, & vitam hanc cito finiendam cōmemora, & ideo gloriā regni te velle relinquere & monachorum habitũ aſſumere te aſſeras, quos hactenus fueras perſecutus, & tunc videbis quid tibi reſpondebit. Quod cum Rex feciſſet, ille doli ignarus perfuſus lachrymis propoſitum Regis laudauit. Quod cum Rex audiēs & ve-

& verum esse quod illi dixerant credens, furore repletus est, nihil tamen respondit. Miles autem perpendens quod grauiter verba sua acceperat, tremens abscessit, & medicum se habere verborum recolens omnia illi narrauit: Cui ille, notum sit tibi quod Rex suspicatur vt hoc propter hoc dixeris quod eius regnum velis inuadere. Surge ergo & comam tuã tonde, & cilicium indue, & summo mane ad Regem ingredere. Cumque Rex quid sibi hoc velit interrogauerit, respondebis: Ecce Rex paratus sum te sequi. Nam & si via per quam velis ambulare, difficilis sit, tecum tamen exeunti mihi erit facilis. Nunc ergo præsto sum. Quid moraris? Quod cum ille fecisset Rex obstupuit, & erga se veram viri amicitiam intellexit, & falsarios arguens, virum ampliori honore ditauit. *In historia Barlaam & Iosaphat Ioãnes Damascenus, & plenius in Speculo historiali. Vincentius Beluacensis libr. 16. capitibus 4. & 5.*

B*. Narrauerunt quidã seniores, quia quidam monachus in eremo Scythi venit visitare Sanctos patres habitãtes in loco, qui dicitur Cellya. Quidam vero de senioribus habens aliã cellam vacantem, dedit ei dicens: Repausa in hac cella, donec inuenias vbi manere possis. Cumque ad visitandum eum conuenirent plures fratres, desiderãtes ab eo audire verbum salutis æternæ, cum hoc videret ille, qui cellam sibi præstiterat, liuore inuidiæ vulneratus indignari cœpit, & dicere. Ego tantis temporibus in hoc loco habito, & non cõueniunt ad me fratres, nisi rarissime. Et dixit discipulo suo: Vade, & dic ei, vt de cella egrediatur. Pergens autem dixit illi, mandauit Abbas meus sanctitati tuæ, qualiter habeas, Audiuit enim infirmari te. Ipse vero remandauit ei dicens: Ora pro me frater, quia valde stomacho doleo. Reuersus ille dixit Abbati suo. Valde rogat te vt duorum dierum inducias des illi, vt possit sibi procurare aliã cellam. Transactis autem tribus diebus iterum misit dicens: Vade, dic ei vt egrediatur, nam si rursus distulerit, dices ei, quia cum baculo meo veniam & expellam eum. Pergens ille dixit ei. Quoniam valde sollicitus est Abbas meus de infirmitate tua, ideo misit me requirens si melius habeas. At ille dixit. Gratias sanctæ caritati eius, quia sollicitus est de me. Veruntamen precibus eius melius habeo. Reuersus ille dixit Abbati suo. Etiam & nunc deprecatur sanctitatem tuam, vt vsque in Dominicum diem expectes & egredietur. Cum autem aduenisset dies, & non egrederetur, inflammatus inuidiæ & iracundiæ spiritu senior, accipiens vectem pergebat, vt cædendo eum de cella expelleret. Accedens autem discipulus dixit ei. Si iubes Pater præcedo, & videro, ne forte aliqui fratres ad salutandum eum venerint, & si viderint te, scandalizentur. Præcessit ergo discipulus, & dixit ei: Ecce Abbas meus venit ad salutandum te. Egredere ergo celerius & cum gratiarum actione occurre illi. Cumque vidisset eum antequam appropinquaret, prostrauit se in terram, & adorabat senem, dicens: Retribuat tibi Dominus Pater bona æterna pro cella, quam mihi præstitisti. Hoc audiens senior, compunctus est corde, & proijciens baculum cucurrit in amplexum eius, & osculatus est eum, & inuitauit eum ad cellam suam. Vocauit autem senior discipulum, & interrogauit dicens. Dic mihi fili si dixisti isti fratri omnia,

quæ

quæ propter illam cellam mandaui ei dicere? Tunc discipulus confessus est ei dicens. Verè Domine dico, quia propter humilitatem quam tibi exhibere debeo, tanquam patri & domino, non audebam tibi respondere aliquid, quando me mittebas ad eum, sed nec quidpiam eorum quæ mandabas ei dixi illi. Hæc audiens senior prostrauit se in terram ad pedes discipuli dicens. Ex hodierna die & in reliquum fili tu pater meus esto, & ego discipulus tuus, quoniã te moderante, immo etiam cum timore & charitate Dei agente, & meã verum etiam & illius fratris animam de peccatorum laqueis diuinæ pietatis miseratio liberauit. *In vitis Patrum libro vigesimo. parte tertia.*

Item, vide Calliditas per totum.

CÆCITAS.

A. CÆcus quidam habens puerum ductorem venit ad quoddã flumen horribile quod pertransire non poterat nisi per vnum paruum ponticulum longum & strictũ, quod videns puer stetit non audẽs trãsire. Cæcus autem ei suadebat vt audacter transiret, quem non acquiescentem posuit super collum suum dicens quod cum baculo signaret ei viam pontis. Quod cum fecisset audacter cæcus transiuit. *Hubertus in libro de dono timoris.*

B. De Democrito Philosopho refert Agellius in libro decimo Noctium Atticarum capit. 17. quod natione Abderites fuit; qui patrimonium relinquens suis ciuibus, Athenas est profectus, & ibi oculos sibi eruit, vt sensus interiores vegetiores haberet. Valerius dicit sibi oculos eruisse, ne videret bene esse malis ciuibus. Tertullianus dicit; quia mulieres sine concupiscentia aspicere non poterat. *In Speculo histor. libro quarto, capite trigesimo secundo.*

C. Beatus Antonius à Sancto Athanasio Alexandrino, ob confutationem hæreticorum, cum in vrbem esset accitus, Didymus, vir eruditissimus, captus oculis inter cæteras sermocinationes de Scripturis sanctis, cum admiraretur eius ingeniũ & acumen animi collaudaret, sciscitans ait: Nõ tristis es, quod oculis carnis careas? Cũ ille pudore reticeret, secundo tertioque interrogans, tandem elicuit, vt mærorem animi simpliciter fateretur. Cui Antonius: Miror prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ, & muscæ & culices habeant, & non lætari illius possessione, quam soli sancti & Apostoli meruerunt. *Socrates libro quarto hist. capite vigesimo. Idem responsum dedit Medico D. Franciscus Monitus vt à lachrymis abstineret, vt scribit S. Bonau. in vita illius cap. 5.*

Item, vide Didymus. a. Visus. c. e.

COELVM.

A. REfert Rabbi Moyses, quod quilibet circulus, siue cælum cuiuslibet planetæ habet in spissitudine viam quingentorum annorum, vel tantum spatium quantum posset aliquis ire de via plana in quingentis annis 40. miliaria quotidie ambulando, computatis 365. diebus pro quolibet anno, & duobus milibus passuum siue cubitorum pro quolibet miliari, & inter cęlum & cælum siue circulum & circulum, est etiam via quingentorum annorum. *In aurea legenda sub titulo de ascensione Domini.*

CERTITVDO.

Vide, Academicus. a. b. c.

CER-

CERVVS.

A. DIctamum herbam cerui prodiderunt, nam eo pasti excutiunt acceptas sagittas, *Isidorus libro duodecimo, Etymolog. primo capite. Plin. libro octauo, capite vigesimo-septimo, hist. natur.*

B. Si quando immensa flumina vel maria transnatant cerui, capita clunibus præcedentium supponunt, sibique inuicem succedentes nullum laborem ponderis sentiunt. *Isidorus ibidem. Plin. libro octauo, capite trigesimo-secundo, hist. nat.*

Item, vide Eucharistia. a. Sagitta. a.

CÆTE.

A. *al. Macloniu Sur. to. 6. 15. Nouembris.* SAncti, Machutes Episcopus, & Brandinus, cum alijs sanctis viris in mari nauigantes die Paschæ, circumspicientes modicam Insulam viderunt, ad quam applicuerunt. Illic Machutes, suggerentibus fratribus, Missarum solemnia celebrare cœpit: cumque ventum esset ad orationem Dominicam, subito tota illa, quæ videbatur insula, commota est. Erat autem belua ex his quæ cete dicuntur, abyssi incola, tantæ magnitudinis, vt crederetur paulo ante ab Episcopo & socijs eius Insula. Deinde narratur qualiter omnes ibidem existentes precibus sancti Machutis fuerunt ab illo periculo liberati. *In speculo histor. libro vigesimo-secundo, capite nonagesimo octauo.*

CIBVS.

A. SEcundum diuersitates regionum, & complexiones hominum & animalium, cæterorumque terræ nascentium, variantur, ita vt aliqua eiusdem generis res alicubi sit antidotum, & alibi sit venenum. Verbi gratia, papauer nigrum in libris medicorum venenum esse describitur, quod tamen apud nos communiter in cibum assumitur, sic etiam extremitas caudæ cerui ab Auicenna, & Razi inter venena reputatur, quod à regionis nostræ militibus cunctanter negatur. *Vincentius in speculo histor. in Apologia totius operis cap.* 8.

B. Quis ignorat vnamquamque gentem non communi lege naturæ, sed ijs, quorum copia est apud se vesci solitam, vt Arabes & Sarraceni camelorum lacte viuunt, & carnibus, quia eiusmodi animal facilè apud eos & gignitur & nutritur. E regione Septentrionales populos si ad esum camelorum, asinorumque compellas, simile putabunt eorum vesci carnibus, ac si lupum comedere cogantur & coruum. *Hieronymus libro secundo contra Iouinianum.*

C. Cum Dionysius Tyrannus negasset se esse delectatum in cæna, dixit qui coxerat: Minimè esse mirum eo quod condimenta defuerant. Interroganti quæ erant illa? Respondit, labor in venatu: sudor, cursus, fames, sitis. His enim rebus Lacedæmoniorum cænæ condiuntur. *Marcus Tullius libro quinto, Tusculanarum Quæstionum.*

D. Ad conseruandam sanitatem nihil efficacius, quam cibi & potus idētitas conseruata. Varia enim fercula variarum sunt naturarū. Omnis autem talis varietas parit humorum repugnantiam, & ea sanitati repugnat. Vnde eleganter respondit quidam de nostris adolescentibus

Beluacensi Episcopo, interroganti vnde cōtingeret, quod sanior & pulchrior esset in claustro quam esse soleret in sæculo? Quia, inquit, ille, vniformiter & decenter viuo, de quorum primo habeo quod sanus sum, de secundo quod pulcher sum. In seculo autem tam deformiter quā multiformiter viuebam. Cui Episcopus: Quid ergo comedisti hodie. Satis, inquit, quid heri? similiter satis, non quæro, ait de quantitate, sed qualitate. Quid ergo comedisti heri, quid hodie? Heri, inquit, comedi olera & pisa, hodie pisa & olera, cras comedam pisa cum oleribus, & post cras, olera cum pisis, & sic pulchro circuitu eandem sententiam circumduxit. *Helinandus quondā monachus frigidi montis & ponitur à Vincentio in speculo histor. libr. 20. cap. 136. Consule lib. 7. cap. 4. Saturnalium Macrobij.*

E. Diogenes Tyrannos, & subuersiones vrbium bellaque omnia non pro simplici victu olerum pomorūque, sed pro carnibus & epularum delicijs asserit excitari, quodque mirandum sit, Epicurus philosophus voluptatis assertor, libros suos repleuit oleribus & pomis, dicens eis esse viuendum, eo quod carnes, exquisitæque epulæ ingenti cura ac miseria præparentur, maioremque pœnam habeant in quærendo, quam voluptatem in abutendo, nec posse nos, dixit, sapientiæ operam dare, si mensæ abundantiam cogitemus. *Hieronymus contra Iouinianum libro secundo.*

Item, vide Diuitiæ. g. Humilitas. q. Potus. a.

CICERO.

A. Marcus Cicero G. Popilium rogatu Marci Cœlij non minore cura quam eloquētia defendit, eumque caussa admodum dubia fluctuātem saluum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea nec re nec verbo à Cicerone læsus, vltro Marcum Antonium rogauit, vt ad illum proscriptum persequendum & iugulandum mitteretur, impetratisque, detestabilis ministerij partibus gaudio exultans, Caietam cucurrit, & suæ salutis auctorem iugulum præbere iussit, ac protinus caput Romanæ eloquentiæ amputauit, & ea sarcina in vrbem reuersus est. Qui tam indignum Ciceronis casum satis dignè deplorare possit, alius Cicero non extat. *Valerius Maximus libro 5. cap. 3. Plut. in vita Cicero. Appian. lib. quarto, ciuil. bell..*

Item, vide Tullius. a.

CYRVS.

Cyrus de quo prius longè dixerat Isaias *Christo meo Cyro* cum percussisset Crœsum iuxta fluuium Alym, gentem Lydorum bellicosam astutè redegit in concordiam. Tradidit enim eis solemnitates & ludos, præcipiens eis vt lusibus, comessationibus, & amplexibus vacarent, quasi beneuolentiam in eos ostendens, & in hunc modum eos euirauit, id est effœminatos fecit, & quos bello non poterat, per libidinem expugnauit. Postea vero à Tamari Massagetarum Regina, victus & occisus est, quæ caput illius incisum in vtrē plenum humano sanguine insultando dixit: Satia te sanguine quem sitisti. *Iustinus lib. 1. & Herodotus lib. 1. Valerius Maximus libro nono, capite decimo, & Orosius lib. 1.* A. *Isaia. 45. vers. 1.*

B. Ne Cyrus quidem superior inuictæ fatorum necessitatis paruulum argumentum fuit; cuius ortus ad impe-

imperium totius Asiæ spectantis maternus auus Astyages duos prænuncios somnij frustra discutere tentauit, Mandanem filiam suam (quòd in quiete viderat vrina eius omnes Asiaticas gentes inundasse) non medorum excellentissimo, (ne in eius familiam regni decus transferretur) sed Persarum modicæ fortunæ viro collocauit: natumque Cyrum exponi iussit: quia similiter quietis temporibus existimauerat genitali parte Mandanes enatam vitem eousque creuisse, donec cunctas dominationis suæ partes inumbraret. Sed frustratus est seipse nepotis fælicitatem cœlestium iudicio destinatam humanis consilijs impedire conando. *Valerius Max. libro primo, capite quinto. Herodotus & Iustinus lib.* 1.

Civitas.

A. AGrestem incultamque hominum in initio sæculi vitam à communione mutorũ animalium vrbium constitutio prima discreuit. In his nomen Reipublicæ reperit communis vtilitas, ideo potentissimæ nationes ac Principes cõsecrati nullam maiorem gloriam putauerunt, quam aut fundare nouas ciuitates, aut ab alijs conditas in nomen suum sub quadam amplificatione transferre. *Vegetius de re militari in prologo libri quarti.*
Item, vide Luxuria. h.

Clavdivs.

A. CLaudius imperio stabilito, omnium factorum & dictorum, in se veniam & obliuionem in perpetuam sanxit. *Suetonius in Claudio. Orosius de orchestra mundi seu histor. libro septimo, capite sexto.*

B. Inter cætera in eo mirati sunt homines obliuionem, & inconsiderationem occisa Messalina vxore, paulo post in triclinio decubuit, cur Domina non veniret requisiuit, multos quos capite damnauerat, postera statim die & in consilium & ad aleæ ludum admoueri iussit, &, quod morarentur vt somniculosos per nũtium increpuit. *Idem Sueton.*

Clementia.

A. NArrat Seneca *lib.* 1. *de clemẽtia, c.* 5. quod Augusto Cæsari cogitanti qualiter de Lucio Cinna sibi insidias moliente, se vindicaret. Admittis, inquit Liuia vxor sua, muliebre consilium? Fac, vt medici solent facere, qui vbi vsitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate adhuc nihil profecisti, nũc tenta quomodo cedat tibi clemẽtia. Ignosce illi. Quod ille gauisus annuit, & facta adimpleuit, & contulit illi Consulatum, & postea ipsum amicissimum fidelissimumque habuit. *Ioannes Galensis in communiloquio parte prima, d.* 3. *cap.* 5. *Sueton. in vita Augusti.*
Item, vide Alexander. l. Augustus Cæsar. h. i. Compassio. d. Dissimulatio. a. Augustus Cæsar. i. Rex. k. Titus. c. Traianus. b.

Clericvs.

A. QVia fæminarum commoratione quidam inter vos ad ignominiam conuoluti sunt, Dominus me miserum pro vestra negligentia cum seueritate per reuelationẽ corripiens, mandare præcepit, ne clerici cũ fæminis commorentur. In sequẽtibus multũ pulchrè declarat quam periculosa sit clericis cohabitatio

mulierum, dicens inter cætera. Aspectus fœminarum subito & in transitu occurrens, velut sagittas alienis oculis iactat. *In speculo historiali libro duodecimo, capite decimo-quinto.*

B. Summam diligentiam præbuit S. Fulgentius ne quis clericus vestibus ambitiosis ornaretur, aut negotijs sæcularibus occuparetur. Iussit omnes clericos non longè ab Ecclesia domos habere, manibus proprijs hortū colere, psallendi suauiter & pronunciādi curam gerere. *In gestis S. Fulgentij Ruspensis Episc. & ponitur in Speculo hist. libr. 21. cap. 107.*

C. Henricus tertius Imperator habebat clericum satis literatum, & bonæ vocis, sed vilem meretriculam amātem ardentiùs: cum qua nocte quadam solemni volutatus, mane ad Missam Imperatori astabat. Imperator dissimulata scientia, mandat ei,

E. vt ad Euangelium legendum se pararet, quia eius melodia delectaretur. Erat enim Diaconus, abnuit ille, vt malè sibi conscius. Vrget ille, vt eius probaret constantiam. Ad extremū parere renuētem iubet à patria exulare. Quam sententiam amplexus continuò recessit: mittitur post eum qui iam complicatis omnibus & sarcinulis compositis iter maturauerat. Violenter ergo retractus ante Imperatorem sistitur. Qui subridens: Probè, inquit fecisti: & ego congratulor probitati tuæ, quod timorē Dei prætuleris patriæ. Habeto episcopatū qui primus in imperio vacauerit, tātum indecenti amori renunties. *In Spec. histor. libr. 26. cap. 18.*

D. Virgo Hildegardis multa fertur prædixisse de futuris, ad quam dicitur scripsisse Bernardus. Hæc ad Colonienses scribens de futura clericorum tribulatione dicit, quod clerici gloriam absque merito volunt habere, & meritū absque opere *In. Spec. histor. lib. 28. cap. 83. Arnold. Vuion p. 2. ligni vitæ lib. 5. c. 88. Trite. de viris illust. ord. S. Bened. lib. 2. c. 119.*

Philippus de Merlais Canonicus Carnotensis, iugū Domini abijciens sicut scis, ad arma se contulit: cumque magnis prælijs præesset, in prælio sagitta percussus interijt. Lex enim cælestis est, quia exitus huius vitæ infelices habebit qui mūdanæ dominationis obtentu, *Christi* militiam derelinquit. Mors Philippi & aliorū deterrere te potest, vt fugias à facie arcus. *Pet. Blesensis in epistola ad quendam Cameracensem electum, qui Episcopalem gratiam contemnebat.* E. Robertū

Secundum aliquorum traditionē, corona clericorum hinc primo sūpsit initium. Nam dum Petrus Antiochiæ prædicaret, in contumeliā nominis Christiani summitatem eius capitis abraserunt, quod postmodū tóti clero traditur in honorem: quod ei pro contumelia fuerat irrogatum. *In aurea legenda sub titulo de Cathedra sancti Petri. Beda lib. 5. hist. c. 22. Pet. Bles. c. 1. in Iob. in fine.* F.

Frater quidam interrogauit Abbatem Pastorem dicens. Dimissa est mihi hæreditas, quid faciam de ea? Dicit ei: Vade, & post tres dies veni, & dicam tibi. Venit autem frater, sicut præfiniuit, & dixit ei senex. Quid tibi habeo dicere, frater? Si tibi dixero, da eam in ecclesia, clerici sibi facient conuiuia ex ea; si vero dixero, da eā parentibus tuis, non est tibi merces, si vero dicam, da eam pauperibus, securus eris. Quicquid ergo vis, vade, fac. *In vitis Patrum libro decimo, parte sexta.* G.

Cum Episcopus quidā vellet quendam sanctum Monachum nomine Abraham clericum ordinare, vt eum ad paganos conuertendos dirigeret, & il- H.

& ille hoc officium plurimũ renueret, dixit: Ecce hic residens tuam solummodo salutem operaris, ibi autem plurimi per te saluandi sunt. Tunc beatus ille flens ait. Fiat voluntas Dei. *In vitis Patrum. In vita S. Abraham monachi.*

Item, vide Auaritia. Augustinus. d. Mendacium. a. Rasura. a.

COQVVS.

Vide Iulianus Apostata. d. Roma. d.

CODRVS.

A. Codrus Rex Atheniensium Peloponnensibus (quos Iustinus lib. 2. vocat Dorenses) eiusdem hostibus ciuitatis, se interficiendum ignotus obiecit, & factum est: hoc modo prædicant eum patriam liberasse? Responsum enim acceperant Pelopõnenses tum demum se superaturos, si eorum Regem non occidissent. Fefellit ergo eos habitu pauperis apparendo, & in suam necem per iurgium prouocando. Vnde ait Virgilius in Bucolicis Ecloga 5. *Et iurgia Codri*. Et hunc Athenienses tãquam Deum sacrificiorum honore coluerũt. *Augustinus de ciuitate Dei, lib. 18. c. 19. Valer. lib. 5. c. 6. Iustinus lib. 2.*

COGITATIO.

A. Dicebant senes, quia in monte Abbatis Antonij sedebãt nominati viri tempore Dactylorum. Et vnus ex eis abigebat ab eis volucres. Erat autem ibi senex qui in die qua eum Dactylos custodire contingebat, clamabat dicens: Discedite intro malæ cogitationes, & deforis aues. *In vitis Patrum libro secundo, parte quarta.*

B*. Frater dixit Abbati Pastori: multæ cogitationes veniunt in anima mea, & periclitor in eis: & eiecit eum senex sub aere nudo, & dicit ei: Expande sinum tuum & apprehende ventos. Et respondit, non possum, Et dixit: Si hoc non potes nec cogitationes prohibere potes ne introeant, sed tuum est resistere eis. *In vitis. Patrum libro vigesimo, parte sexta.*

Item, vide Confessio. a. b. c. Monachus. b. f. Oratio. m. x.

COGNATIO.

A*. Pior cum de domo patris ad philosophiam conuersionis monasticæ exiret, promisit denuo nullum se propinquorum de cætero fore visurum. Post quinquaginta vero annos, dum eius soror eum viuere, & habitare in eremo cognouisset, non cessabat donec eum inspiceret, quam cum Episcopus loci iam grandæuam propterea videret affligi, scripsit Præsulibus eremi, vt Piorem dirigerent. At ille quoniam contemnere nefas est iussiones seniorum, venit ad patriam. Cumque ante domus suę ianuas accessisset, & suum nunciasset aduentum, veniente germana clausis oculis dixit: Ecce Ego sum Pior: quanto vis aspectu satiare. Tũc illa gratificata laudauit Deum. At ille oratione facta remeauit ad eremum. *Sozomenus in tripartita historia libro octauo, capite primo.*

Item, vide Fornicatio. d. Gloria. l. Patientia. i. Samaritanus. a.

COGNITIO SVI.

A. Olim apud Delphos scriptum fuisse legitur in tripode Apollinis illud oraculum consulenti quomodo ad beatitudinem perueniret, γνῶθι σεαυτὸν, id est, nosce

Noſce te ipſum, fuit Thaletis ſymbolum. noſce te ipſum. Hanc ſententiam Iuuenalis *cæleſtem* appellet, propter vtilitatem eius. Ego autem dico illum mendaciſſimum ſpiritum non reſpondiſſe hoc docendi ſtudio, ſed fallendi animo, ſic enim putauit ſe perſuadere poſſe hominibus, vt crederent ſe ortos ex Deorum genere, vt ita prouocaret ad cõtentionem mutuam, & dominandi libidinem ſub velamine libertatis. *Et infra.* Cæterum dæmones plerumque proferũt veritatem coacti à poteſtatibus ſuperioribus. Sic ergo credendum eſt Apollinem reſpondiſſe inuitè, non ſponte protuliſſe ambiguum dictum, quod non putabat in bonam partem, (id eſt iuxta Auguſtinum) humilitatis, accipiendum. *Helinandus in Chronicis libro octauo. Euſeb. libro vndecimo de præp. Euang. cap.* 11. *ex Plut. Item, vide Triumphus. a.*

COGNOMEN.

Vide Fiducia ſui. b.

COLVMBA.

A. MIles quidam columbas nutrire ſolebat, dictumque eſt ei quod grauiter peccaret nutriẽdo eas, eo quod ſata & granaria proximorum læderent. Die autem quadam annonam eis proijciens cum omnes eſſent coram eo congregatæ, clara voce cunctis qui aderant audientibus, dixit: Vos columbæ, ſi voluntas Dei eſt vt mecum maneatis, manete, ſin autem præcipio vobis in eius nomine, vt ſtatim recedatis. Ad quod verbum mox omnes columbæ auolauerunt, nec vltra reuerſæ ſunt. *Cæſarius in Dialogo Miraculorum d.* 10. *cap.* 57.

COMESTIO.

SOcrates dicebat multos homines propterea velle viuere vt ederent & biberent; ſe autem edere & bibere vt viueret. *Vide Agellius libro ſecundo, capite primo, & in Polycratico libro ſeptimo, capite octauo. Simile dixiſſe Hippocratem habetur ſupra in dict. Abſtinentia. a.* A.

In territorio Tullenſi, puella duodennis poſt communionem ſuſceptam in Paſcha, primo per decem menſes, pane, deinde omni cibo & potu per triennium abſtinuit, & poſt ad communem hominum vitam rediit. *In ſpeculo hiſtor. lib.* 25. *cap.* 27. *Aimonius de geſtis Francorum libro quarto, cap.* 21. *Idem refert, poſtea tamen c.* 23. *ſcribit eam triennio integro ieiunam perſtitiſſe. Matthæus Paris in hiſt. Anglorum ſub anno domini* 1225. *Maius miraculum narrat de alia puella, quæ ſeptennio integro ieiuna permanſit.* B.

Æmilianus Scipio cum amicis ſuis ambulans, pane veſci ſolitus erat, ne aliquam partem diei perderet otioſam, idipſum magnus Alexander feciſſe traditur. Auguſtus cibo vulgari & modico veſcebatur, qui pro delitijs reputabat ſecũdarium panem & minutos piſciculos. *Petrus Bleſenſis in quadam epiſtola, & in Polycratico libro quinto, capite ſeptimo.* C.

Dicebant de Abbate Pior, quod ambulando comederet, & interrogante eum quodam, quare ſic manducaret, reſpondit: quia hoc non velut opus aliquod ageret, ſed quoddam veluti ſuperfluum. Alio autem de hoc interrogante reſpondit, vt non in comedendo corporalem delectationem habeat anima. *In vitis Patrum libro quarto, parte tertia, de hoc etiam in hiſtoria Tripartita lib.* 8. *cap.* 1. D.

Dice-

E. Dicebant de Abbate Paſtore, quod cum vocatus eſſet ad manducandum contra voluntatem ſuam, ibat lacrymando, ne inobediens eſſet fratribus, & contriſtaret eos. *Eodem libro quarto, parte tertia.*

F. Socratem ferunt cum ad veſperũ vſque contentius ambularet, & cur id faceret, quæſitum, reſpondiſſe, ſe quo melius cænaret, obſonare ambulando famem. *M. Tullius libro 5. Tuſculanarum Quæſtionum.*

Item, vide Abſtinentia. Auguſtinus. m. Bernardus. c. Dæmon. m. Fames. c. Fortitudo. g. Ieiunium. b. Lex. c. Monachus. a. c. Obſidio. c. d. Refectorium. a. Socrates. f.

COMMODATVM.

A. QVidam furti damnatus eſt quia equo cuius vſus illi vſque Ariciam commodatus fuerat, vlteriore eius municipij cliuo vectus eſſet. *Valerius Maxim. libro octauo, capite ſecundo.*

COMPARATIO.

A. CVm Ariſtoteles ſenior factus eſſet, acceſſit ad eum omnis ſectatorum eius cohors, orans vt indicaret eis ſui magiſterij ſucceſſorem. Erant autem in eius ſtudio duo præcipui. Theophraſtus Lesbius, & Menedemus Rhodius. Iuſſit ergo Ariſtoteles offerri ſibi vinum Lesbium & Rhodium, & cum guſtaſſet, vtrumque ſatis commendauit. Tum, inquit, Lesbium melius eſt & ſic lepidè & quaſi verecundè abſque alterius vituperio Theophraſtum ſequendum oſtendit. *Agellius in libro Noctium Atticarum, libro decimo-tertio, capite quinto.*

COMMISERATIO.

A. CVm Pirrhus diris auſpicijs Argiuorum inuaſiſſet vrbem, abſciſſumque eius caput Alcyoneus Antigoni Regis filius ad Patrem velut aliquod fęliciſſimæ victoriæ opus attuliſſet, Antigonus correpto iuuene quod tanti viri ſubitæ ruinæ, immemor humanorum caſuum inſultaret, humo caput ſublatum, cauſea, qua caput more Macedonum velatum habebat, texit; corporique Pirrhi redditum honoratiſſime cremãdum curauit, quin etiam eius filium Helenum cultum & animum regiũ gerere iuſſit, oſſaque Pirrhi aurea vrna incluſa in patriam ad Alexãdrum fratrem portanda dedit. *Valer. Max. libro quinto, capite primo. Plutarc. in eius vita. Iuſtinus libro vigeſimo-quinto.*

B. Piſo à P. Claudio Pulchro accuſatus, quod graues iniurias ſocijs intuliſſet, haud dubiè ruinæ metum fortuito auxilio vitauit. Nam per id tempus quo triſtes de eo ſententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit, cumque proſtratus humi pedes Iudicũ oſcularetur, os ſuum cæno repleuit, quod conſpectum totam quęſtionem à ſeueritate ad clementiam tranſtulit: quia ſatis iam graues pænas ſocijs eum dediſſe arbitrati ſunt. *Idem libro octauo, cap. primo.*

C. M. Marcellus captis Syracuſis, in arce earum conſtitutus cum illius vrbis modo opulentiſſimæ, tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret, caſum eius lugubrem intuens fletum cohibere non potuit, quem ſi quis ignarus vir aſpexiſſet, alterius victoriam eam crediſſet. *Idem libro quinto, capite primo. T. Liuius libro vigeſimo-quinto. & Plutarch. in Marcelli vita.*

Quin-

D. Quinctus Metellus Celtibericum in Hispania gerens bellum cum vrbem Centobricam obsideret, & iam admota machina partem muri, quæ sola conuelli poterat, disiecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit. Nam cum Rethogenis filios, qui ad eum transierat, Centobricenses machinæ ictibus obiecissent, ne & pueri in conspectu patris crudeli mortis genere consumerentur, (quanquam ipse Rethogenes negauerat esse impedimẽto, quo minus etiam per exitium sanguinis sui expugnationem perageret) ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto & si non vnius ciuitatis mænia omnium tamen Celtiberarum vrbium animos cœpit, effecitque vt ad eas redigendas in ditionem populi Romani non multis obsidionibus opus esset. *Ibidem libro quinto, capite primo. L. Florus libro secũdo, capite decimo-septimo.*

E. Marcus Marcellus egregius Romani nominis: qui Syracusas vrbem ornatissimam cœpit. Refertur hanc vrbem prius ruituram fleuisse, & ante eius sanguinem suas illi lachrymas effudisse. Gessit & curam pudicitiæ etiam in hoste seruandæ, nam priusquam oppidum victor iussisset inuadi, constituit edicto ne quis corpus liberum violaret. *Augustinus de ciuitate Dei libro primo, capite sexto.*

F. Paulus fuit Romanus consul, qui cum sæpe á Perse quodam Rege victus esset, denique ab illo captus & vinctus est, sed tandem pietate motus humanam conditionem considerans, quasi sibi idem euenisse potuerit, illum fleuit. *Auctor de viris illustribus cap. 56.*

Item, vide Alexander. l. Ambrosius. a. Antonius. i. Charitas. d. f. i. Confessio. c. d. Dominicus. c. Fletus. b. Fortitudo. e. Hannibal. g. Humanitas. b. c. d. e. f g. Martinus. g. Risus. a. Roma. a c. Vox. a.

COMPVNCTIO.

FRater quidam interrogauit Abbatem Ammonem dicens: Dic mihi aliquod verbum. Dixit. Vade, & talem fac cogitationem tuã, vt faciunt iniqui, qui sunt in carcere. Illi enim interrogant. Vbi est Iudex, quando veniet? & in expectatione pænarum plorant; ita monachus debet semper suspectus esse & animam suam obiurgare, dicendo. Væ mihi, quomodo habeo astare ante tribunal Christi? Si ergo semper sic fueris meditatus, poteris saluus esse. *In vitis Patrum libro tertio, parte prima.* A.

Item, vide Meditatio. a.

CONCEPTVS.

TAles fætus oues Iacob concipiebant, quales vmbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Denique & hoc ipsum in equarum gregibus fieri fertur, vt generosos obijciant equos visibus concipientium, quo eorum similes cõcipere possint. Inde est quod quidam grauidas mulieres iubent nullos intueri turpes animalium vultus, vt Cynocephalos & simias. Hanc enim esse aiunt fæminarum naturam, vt tales edant quales perspexerint in voluptatis æstu. *Isidorus libro duodecimo. Etymolog. capite secundo.* A. *Gen. c. 30.*

Item, vide Fatum. b. Mirabile. a l. b f. Similitudo. d.

CONCORDIA.

SCipio Africanus deleta Numantia. Thyresum Celticum Principem A.

pem conſuluit, qua ope res Numantina an prius euicta duraſſet, an poſt euerſa fuiſſet Thireſus reſpondit. Concordia inuicta, diſcordia exitio fuit quod Romani tanquam ſibi ac de ſe dictum exempli loco acceperunt, quippe quibus iam de ſeditionibus diſcordantis totius orbi nuntiabatur. *Oroſius de orcheſtra mundi, libro quinto, capite octauo.*

CONCVPISCENTIA.

A. QVodam tempore viro ſancto nomine Heleno cum ſolus eſſet in eremo, deſiderium veſcẽdi mellis exortum eſt. Et conuerſus vidit in ſaxo fauum mellis hærentem, ſed intelligens hanc inimici eſſe fallaciam, continuò increpans ait. Diſcede à me deceptrix, & illecebroſa concupiſcentia. Scriptum eſt: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. In vitis Patrũ ſub titulo de ſancto Heleno.*

Galat. 5. verſ. 16.

B. Ego adoleſcens miſer valde, miſer in exordio ipſius adoleſcentiæ, etiam petieram á te Caſtitatem, & dixeram: Da mihi caſtitatem, & continentiam, ſed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires, & cito ſanares á morbo concupiſcentiæ, quam malebam expleri, quàm extingui. *Auguſtinus 8. Confeſſionum, vbi peccata adoleſcentiæ ſuæ confitetur Deo.*

CONFESSIO.

A. NArrauit Abbas Moyſes, quod ei Abbas Serapion dixit: quia dum eſſem iuuenis, & ſederem cum Abbate meo Theona, & manducaremus hora nona, ſurgens á refectione ſecundum opera diaboli, rapui vnum paximatem, & manducaui eum occultè, ſcilicet ſero, neſciente Abbate meo. Cum ergo perſeuerarem hæc faciens, cœpit ipſum vitium mihi dominari, & ſeni illud dicere confundebar, mordente tamen conſcientia. Contigit, vt quidam venirent ad ſenem, vtilitatis animæ ſuæ cauſa, & interrogabat de proprijs cogitationibus. Tunc ſenex ait: Quia nihil ſic noxium eſt monachis, & dæmones lętificat, quomodo ſi cælent cogitationes ſuas ſpiritualibus patribus. Locutus eſt autem eis & de continentia. Et tunc cogitans ego quia Deus reuelauit ſeni de me, cœpi flere, & eieci paximatem de ſinu meo, poſtulans veniam. Dixit tunc ſenex. O fili, liberauit te Deus, & iſta me tacente confeſſio, & dæmonem terebrantem cor tuum interfeciſti &c. Nondum autem finito ſermone ſenis, ecce opere quod dixit, apparuit; quia velut lampas ignis egreſſa eſt de ſinu meo, & impleuit totam domum fœtido odore, ita vt putarent ſulphuris plurimum fuiſſe incenſum. *In vitis Patrum libro quarto, parte ſecunda.*

Paximatem, id eſt paruũ panem.

Idem factum narratur diffuſius in Collationibus Patrum Ioan. Caſſian. Collatione ſecunda, capite vndecimo.

B. Dixit Abbas Caſſianus. Quia dixit nobis Abbas Moyſes: bonum eſt non abſcondere cogitationes, ſed ſenibus ſpiritualibus manifeſtare, non ijs qui tantum tempore ſenes ſunt, quoniam multi ad ætatem reſpicientes & cogitationes ſuas confitentes eis qui experimentum non habebant pro conſo-

consolatione addesperationem vltimam peruenerunt. *In vitis Patrum libro quinto, parte prima, & Cassian. in collat. 2. cap. 13.*

C Erat quidam frater omnino in conuesatione sollicitus, & cum valde à fornicationis spiritu turbaretur, venit ad quendam senem, & retulit illi cogitationes suas. Ille autẽ audiens, indignatus est, & miserum dicebat fratrem illum. Hæc ille audiens desperans reliquit propriam cellam, & ad sæculum redibat. Sed occurrit ei, Deo volente, Abbas Apollo, & videns eum tristem interrogauit, dicens: Fili quæ est causa tristitiæ tuæ? Ille autem præ confusione animi non respondit ei. Sed tandem rogatus cõfessus est dicens: Cogitationes fornicationum inquietant me: quod sum confessus illi seni, & secundum verba eius non est mihi spes salutis. Ergo ad sæculum redeo. Hæc ille audiens monebat eũ dicens: Noli desperare, fili, noli mirari. Ego enim in hac ætate valde ab huiusmodi cogitationibus inquietor, ne ergo deficias. Tantum hodie dona mihi quod peto, & reuertere in cellam tuam. Fecit autem frater sic. Apollo autem perrexit ad cellam illius senis, & stans foras cum lacrymis deprecatus est Deum, dicens: Domine, qui tentationes vtiliter infers, conuerte bellum quod patitur frater ille in sene hoc, quatenus compatiatur his qui huiusmodi tentationibus perturbantur. Qui cum orasset, vidit Æthiopem stantẽ iuxta cellam, & sagittas mittentem contra illum senem, quibus veluti perforatus, tanquam ebrius à vino statim huc illucque ferebatur. Et cũ non posset tolerare, egressus de cella eadem via qua & ille iuuenis, ad sæculum redibat. Abbas autem intelligens quod fuerat, occurrit ei & dixit: Quo vadis? vel quæ est causa perturbationis tuæ? Ille autem sentiens quia intellexerat vir Dei quæ ei euenerant præ verecundia nihil dicebat. Dixit ei ergo. Reuertere in cellam, & de cætero agnosce infirmitatem, & apud teipsum habe: quia ignoratus sis à diabolo vsque modo, aut contemptus. Hoc autem tibi contigit, quia iuuenem illum à communi aduersario impugnatum, cum debuisses illum contra diabolum consolatorijs verbis vngere, etiam in desperationem misisti &c. Vnde nũc Deum precemur vt aduersum te dimissum flagellum auertat. Oratione autem impleta, statim senex liberatus est, quem cõmonuit Abbas Apollo, vt peteret à Deo dari sibi linguam eruditam, vt sciret tempus quo oporteret loqui sermonem. *Eodem libro, parte prima, & in Collationibus Patrum collatione secunda, capite decimotertio.*

D Dixit senex, quia lapsus quidam in graui peccato, & compunctus ad pænitentiam abijt indicare hoc seni cuidam. Ille vero respondit: Perdidisti animam tuam. Hoc audiens frater, dixit. Si perdidi animam meam, vado ad sæculum. Pergens autem ille, deliberauit ire & indicare cogitationes suas Abbati Siluano. Audiens ille quod egerat; tãquam bonus medicus, posuit cataplasma animæ eius de diuinis Scripturis &c. Post aliquot autem annos contigit Abbatem memoratum ad illum senem applicari, & narrauit ei ista, & dixit: Ecce ille frater, qui de responso tuo desperauit, & ad sæculum redierat, velut stella splendida est in medio fratrum. Hęc autem ideo retulit, vt sciamus quale periculum est quando aliquis siue cogitationum siue actuũ ali-

aliquid peccati indicat his qui discernere nesciunt. *In vitis Patrum libro decimo, parte nona.*

E*. Interrogauit frater senem dicens! Ecce homo cædit seruum suũ propter peccatum quod egit. Quid dicet seruus ille. Dixit ei senex: Si bonus seruus est, dicet: Peccaui, miserere mei. Dicit ei frater: Nil aliud dicet? Tunc senex, non: Ex quo enim culpam suam super seipsum posuerit, & dixerit, peccaui, statim ei miserebitur Dominus suus. *In vitis Patrum libro vigesimo-primo, parte prima.*

F. Dicebat Antonius magnam esse ad virtutem, viam, si singuli vel obseruarent quid gererent, vel vniuersas mentium cogitationes fratribus referrent. *Et infra.* Quasi sub oculis nostris & cogitatu confundimur, & actu, si omnia referenda faciamus, multo autem magis peccata nostra referentes digeramus in ordinem. *Athanasius in vita sancti Antonij, & in historia Tripartita libro primo, capite vndecimo.*

G. In Brabantia quidam dæmon hominibus peccãta nõ confessa improperabat: quem quidam desiderãs audire, sed timens ne peccata sua reuelaret, confessus est Sacerdoti voluntate peccandi retenta, ex hoc securus venit domum. Mox vt introspexit dæmon in aere clamauit. Amice veni huc, certe bene te dealbasti, & statim omnia peccata sua etiam confessa, omnibus reuelauit, & quia turpia erant illum confudit. Tunc in se reuersus rediens ad Sacerdotem confessionem iterauit, cum firmo proposito perseuerandi. Tunc Sacerdos. Modo, inquit, securus reuertere: nõ te confundet amplius, & sic intrante eo domum dixit quidam de circumstantibus dæmoni: Ecce amicus tuus. Quibus ait: Quis est ille? Inquiunt, cui paulo ante tam turpia peccata improperasti. Respondit dæmon: Ego isti nihil improperaui, neque de eo aliquid mali scio, & æstimauerunt dæmonem fuisse mentitum, sicque per virtutem Confessionis euasit notam maximæ confusionis. *Cæsarius in Dialogo miraculorum libro tertio, capite sexto.*

H. Virgo quædam Sacerdoti confitebatur, ille sicut imprudens, cœpit de peccatis ipsi ignotis interrogare, quæ mox in eis in tantum cœpit tentari, quod sicut postea retulit alteri Sacerdoti, vix ab illis peccatis se continuit. *Cæsarius miraculorum libro tertio, capite quadragesimo-quinto.*

I. Quidam de multis & magnis peccatis confessus dicebat, nullam se posse facere pænitentiam, & quamcunque paruam ei offerret Sacerdos, eam refutabat. Tunc confessor requisiuit: si posset omni die tantum vnam orationem dominicam dicere, quod acceptauit, & fecit, & tunc tantam ei Deus in illa dulcedinem immisit, quod rediens pluries & maiorem pænitentiam petens vsque ad condignam pænitentiam peruenit. *Cæsarius lib. 3. cap. 47.*

K. Quidam piratæ existentes in periculo tempestatis vouerunt, quod si euaderent, confiterentur. Liberatis ijs cum magister eorum confiteretur cuidam Eremitæ, & ipse durè increpans mitteret eum ad Papam, turbatus contra eum interfecit eum. Similiter fecit secundo confessori. Tertius autem benignè eum alloquens & tractans, hoc solum iniunxit, quandocunque videret aliquem mortuum, iuuaret eum poni in terra si posset, & cogitaret de morte. Quod cum fecisset frequenter, incœpit horrescere statum suum, & fugiens ad eremum mortuus est in

B. Ergo cum Asiæ Rex Eumenes, amantissimus nostræ vrbis, bellum à Perse aduersus populum Romanum comparari Senatui nunciasset; non ante sciri potuit, quid aut ille locutus esset, aut Patres respondissent, quam captum Persem cognitum est. *Ibidem ex Liuio lib.* 42.

C. Fidum erat & altum Reipublicæ pectus curia, silentique salubritate munitum vallatumque vndique: cuius limen intrantes abiecta priuata caritate, publicam induebant: Itaque non dicam vnum, sed neminẽ audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum. *Ibidem.*

D. Pompei probabilis virtus; qui dum legatione fungeretur, à Gentio rege interceptus, cum Senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremãdum præbuit, eaque patientia Regi simul & desperationem tormentis quidquã ex se cognoscendi excussit, & expetendæ populi Rom. amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit. *Idem libro tertio, capite tertio.*

E. Phocion cum Athenienses rem aliter atque ipse suaserat, prosperè administrassent, adeo perseuerans sententiæ siue propugnator exstitit, vt in concione lætari quidem se successu eorum, sed consilium tamen suum aliquanto melius fuisse diceret. Non enim damnauit quod rectè viderat: quia quod alius malè consuluerat, bene gesserant: fælicius illud æstimans, hoc etiam sapientius, plerumque temeritatem casus iuuat. *Idem libro tertio, capite octauo, ex Plut. in Phocione.*

F. Cum Alcibiades adhuc puer ad Periclem auunculum suum venisset, eumque secretò tristem vidisset, interrogauit quid ita tantam in vultu confusionem gereret? At illo dicente se non inuenire quo pacto ministerij rationem redderet, (scilicet ciuitati Atheniensi.) Ergo, inquit, quære potius quemadmodum rationem non reddas. Itaque vir amplissimus suo cõsilio defectus, pueruli vsus est, atq; id egit, vt Athenienses finitimo implicati bello rationibus exigendis non vacarent. *Idem libro tertio, capite primo. Ex Plutarcho in Alcibiade.*

Item, vide Bellum. a. h. Hannibal. c. Iustitia. f. Secretum. a. Socrates. e. Vinum. e.

CONSOLATIO.

Vide Lætitia. a.

CONSTANTIA.

A. Pontius pro Cæsario partibus excubans Scipionis præsidio interceptus cum vno modo salus ab eo daretur, si se futurum Cnæi Pompeij generi ipsius militem affirmasset, ita respondere non dubitauit. Tibi quidem Scipio gratias ago, sed mihi vt ista conditione vitæ non est opus. *Valerius Maxi. libro tertio, capite octauo, & Hirtius de bello Africano.*

B. C. Næuius Centurio, diui Augusti cum Antoniano bello sæpenumero excellentes pugnas edidisset, improuisis hostium insidijs circumuentus, & ad Antonium Alexandriam perductus, interrogatus, quidnam de eo statui deberet. Iugulari, inquit, me iube: quia nec salutis beneficio, neque mortis supplicio adduci possũ, vt Cæsaris miles esse desinam & tuus esse incipiam. Cæterum quo Constantius vitam contempsit, eo facilius impetrauit. Antonius enim virtuti eius incolumitatem præbuit. *Ibidem.*

C. Vniuersa ciuitas Atheniensium iniquissimo errore instincta de capite

pite

pite decem Prætorum, qui apud Arginusas Lacedæmoniam classem deleuerant, tristem sententiam tulerat. Fortè tunc eius potestatis Socrates fuerat, cuius arbitrio plebiscita ordinarentur. Indignum iudicans tot & tam bene meritos indignè ex inuidia abripi, temeritati multitudinis constantiam suam obiecit. Maximoque concionis fragore, & minis compulsus non est vt se publicę dementiæ auctorem adscriberet: quæ opposita eius legitima grassari via prohibita, iniusto Prætorum cruore manus suas contaminare perseuerauit: nec timuit Socrates, ne consternatæ patriæ vndecimis furor mors ipsius existeret. *Ibidem & Plato in Apologia Socratis & Xenophon. lib. 4.*

Item, vide Audacia. b. Episcopus. h. Fabricius. a. Silentium. b.

CONSTANTINVS IMPERATOR.

A. AMbrosius in oratione de obitu Theodosij & historia Tripartita libr. 3. cap. 13. dicunt Constantinum in vltimo constitutum baptisma suscepisse, baptismum differētē, vt posset in Iordanis flumine baptizari. Hieronymus in Chronicis anno 340. Certum est autem quod sub Syluestro Papa Christianus effectus est. Vtrum autem baptisma distulerit in dubium vertitur. Vnde & de illa legenda Sancti Syluestri, quo ad plura, similiter dubitatur. Hæc in aurea legenda sub titulo de Inuentione S. crucis. Eum autē à Syluestro suscepisse baptisma, videtur innui, *in ca. Fundamenta ext. de elect. lib. 6.*

Euseb. lib. 4. de vita Constantini cap. 82. refert Constantinum in fine vitæ Nicomediæ baptizatum esse. At quis credat Constantinum à tota antiquitate adeo deprædicatū, post fidem conceptam, tot vitæ periculis in bello sine baptismo se obiecisse, concilio Nycæno & sacris mysterijs, vt ex ipso Eusebio patet, interfuisse, quod solis baptizatis licebat. Deinde extat Romæ antiquum monumentum, baptisterium Constantini appellatum, quod ipsum ratione baptismatis ibi suscepti exstruxisse antiquissima tenet traditio. Maneat igitur Constantinum multis ante mortem suam annis Romæ à Syluestro baptizatum & à lepra emaculatum, quam historiam Pius quintus in breuiario Romano in vita S. Syluestri recepit. Eusebius porro hoc figmentum suis scriptis inseruit in gratiam Constantij hæretici & Arianæ hæreseos, vt posteris persuaderet Constantinum inter Arianos, & ab Arianorum antesignano Eusebio Nycomediæ Episcopo fuisse baptizatum, adeoque in eadem hæresi mortuum. Quod ad Ambrosium attinet hic ab auctore nostro citatum, respondet P. Suares, tomo tertio in 1. p. D. T. commentario super art. 8. q. 89. Ambrosium obiter rem attigisse, & non satis explorata causa Eusebio fidem dedisse, qui & alios auctores in errorem induxit.

Ceterum Syluestri acta hic ab auctore allegata licet certo careant Auctore, tamen ferè certam auctoritatem habent, qualis esse potest in humana historia quæ non semper ex nomine auctoris, sed interdum ex antiqua traditione & communi consensione auctoritatem accipit. Deinde Gelasius in cap. Sancta Romana, refert historiam illam Syluestri suo iam tempore antiquo vsu fuisse receptam: eandem narrat Concilium Romanum sub eodem Syluestro c. 1. Adrianus Papa epistola ad Cōstantinum & Irenem.

Orientalis Ecclesia Constantinum in catalogo Sanctorum ponit, & solēne festum de ipso facit 22. die Maij, Et super psalmum decimum quartum beatus Ambrosius ait ipsū magni meriti apud Deum esse, quia primus Imperator viam fidei & deuotionis Principibus reliquit. *In chronicis* B. *Genebrardus in Græcorum menologio 21. Maij notat festiuitatē.*

Constantini & Helenæ celebrari. cis Martini Poloni.
Item, vide Crux. b. Ecclesia. b. Sacerdos. c. d. e.

CONSVETVDO.

A. MAter mea Mediolanum me secuta inuenit ecclesiam sabbatho non ieiunantem: cœperat fluctuare quid ageret. Tunc ego consului de hac re beatum Ambrosium. Et ille ait: Cum Romam venio sabbatho ieiuno, sic & tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si vis non esse scandalo. *Augustinus libris Confessionum, & epist. c. 18. ad Ianuarium, & recitatur in aurea legenda sub titulo de sancto Ambrosio, & etiam in decreto 12. d. capitulo. Mater mea.*

B. A condita vrbe Massiliensi gladius est ibi, quo noxij iugulantur, rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio, sed index in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis monumenta seruanda. *Valerius Maximus libro secundo, capite sexto.*

C. Cretenses cum acerbissima execratione vti volunt aduersus eos, quos valde oderint, vt mala consuetudine delectentur, optant: modestoque voti genere efficacissimum vltionis euentum reperiunt, inutiliter enim aliquid concupiscere, & in eo perseueranter morari, exitio vicina ea dulcedo est. *Ibidem libro septimo capite secundo.*

D. Si quis proponit penitus potum vini relinquere, non debet subito ab vsu vini penitus abstinere, sed sensum á potu vini ad potum vuæ passæ transire, & exinde adiungere aquam paulatim vna vice post aliam: donec ad puram aquam veniat, quia per istum ordinem seruatur complexio naturæ à grauibus morbis & futuris. *Fictus auctor est, in libro de secretis secretorum seu de regimine Principum.*

E. Initium ciuilium malorum Romæ fuit seditiones Gracchorum, scilicet duorum fratrum, agrarijs legibus excitatæ; volebant enim agros sibi bello ab hostibus acquisitos populo diuidere, eo quod labore militum, qui pro maiori parte erant de plebe, fuerant acquisiti: quos nobilitas perperam possidebat, sed iam vetustam iniquitatem audere conuellere periculosum imo perniciosissimum fuit vt res ipsa docuit. *Augustinus de ciuitate Dei libro tertio, capite vigesimo-quarto.*

F. Vidi pueros tamdiu balbutientium vitia imitari, vt post nec cum vellent rectè loqui, potuerint. Vsus enim, vt ait quidam, ægrè dediscitur. *In Polycratico libro tertio, capite octauo.*
Item, vide Alexander. b. Antonius. i. Ieiunium. d. Iuramentum. e.

CONTEMPLATIO.

A. INfælix animus meus occupationis pulsatus vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei labentia cuncta subtererant, quod nulla nisi cælestia cogitabat, quod mortem quoque amabat, & nunc ex occasione curæ pastoralis sæcularium negotia patitur, & post tam pulchram quietis suæ speciem terreni actus puluere fœdatur. Ad hæc procul dubio minor redit. Perpendo ergo quid tolero, perpendo quid amisi, cum intueor illud quod perdidi, fit hoc grauius quod porto, & cum prioris vitæ recolo, quasi post tergum ductis oculis, viso littore suspiro. *Gregorius in Dialogorū libro primo, capite primo.*

Narra-

B. Narrauerunt de Abbate Ioanne breui statura, quia dixit fratri suo maiori. Volebam esse securus, sicut Angeli: & spolians se quo erat vestitus abijt in eremum, & facta ibi hebdomada reuersus est ad fratrem, & dum pulsaret ostium, dixit ei antequam aperiret. Quis es tu? Et ille. Ego sum Ioannes. Respondit frater eius: Ioannes Angelus factus est, & vltra inter homines non est. Ille autem pulsabat dicens: Ego sum & non aperuit, sed dimisit eum affligi. Postea vero aperiens dixit. Et si homo es, iterũ habes opus operari vt viuas: si Angelus es quid quæris intrare cellam? At ille pænitentiam agens dixit. Ignosce mihi frater quia peccaui. *In vitis Patrum libro decimo, parte tertia.*

C*. Venit frater ad Abbatem Siluanum in montem Sina, & vidit fratres laborantes, & dixit seni:
Ioan. 6. vers. 17. *Nolite operari cibum qui perit. Maria enim optimam partem elegit*, & dixit senex discipulo suo. Voca Zachariam, & mitte fratrem istum in cellam vbi nihil est, & cum facta fuisset hora nona intendebat ad ostium si vocarent eum ad manducandum, & cum nemo loqueretur ei, venit ad senem, & dicit ei: Abba, hodie fratres non comederunt? Dicit ei senex. Etiam comederunt. Et dixit ei. Quare non vocastis me? Respondit. Tu homo spiritualis es, & non indiges hoc cibo, nos autem carnales sumus, & volentes manducare propterea operamur manibus nostris. Qui cum hæc audisset prostrauit se ad pedes dicens. Ignosce mihi Abba. Et dixit ei senex. Puto opus habet omnino Maria Martha, per Martham enim laudatur. *In vitis Patrum libro decimo, parte septima.*

D*. Beatus Ephrem Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, quietam semper vitam egit, & omnes qui ad eum veniebant per annos plurimos docens, tandem de cella sua quadam necessitate processit. Cum enim grauis fames in eadem vrbe sæuiret, pereuntem multitudinem rusticam miseratus, accessit ad diuites, dicens: Quare nulla vos misericordia mouet humanæ naturæ sic ante oculos vestros deficientis, sed putrefacta intrinsecus ad condemnationem vestram seruatis? Tunc illi inquiunt: Non habemus quibus pecuniam egenis diuidendam credere debeamus. Omnes enim negotiari pro suis commodis volunt. At ille: Qualis inquit, vobis videor? Seruum Dei, inquiunt, te esse scimus. Credite ergo, inquit, mihi pecunias vestras, & ego ministerium peregrinorum miserorum suscipiã. Accepta itaque pecunia parietibus porticus ciuitatis interclusit, & trecentos in eis lectos posuit, in quibus fame pereuntes reficiebat. Ægros quoque curans, & morientes sepeliens. Impleto anno illo, postquam frugum copiæ grandes fuerunt, ad cellam suam redijt, in qua post spatium vnius mensis obijt. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus seu Lausiaca historia. Heraclid. olim adscripta.*

E. Dixit Abbas Ioannes: Memini me pro Domini nostri munere in huiusmodi raptum frequenter excessum, vt obliuiscerer me corpore indutum, vt neque oculi neque aures proprio fungerentur officio, vt etiam sæpe ad vesperam cibum me percepisse nescirem. Deinde reddit causam quare eremo derelicta cœno-

M bium

bium est ingressus: quia scilicet vita heremitica cœperat declinare, & laxius obseruari. *Cassianus in Collationibus Patrum Collatione decima-nona, capite quarto, & seq. Per hoc exemplum probat S. Thom. 2. 2. q. 18. art. 8.* quod si in aliqua religione arctiori incipiant religiosi remissius viuere, laudabiliter transit aliquis ad aliam religionem, etiam minorem, si melius obseruetur, sicut iste à vita solitaria in qua tamen perfectus fuerat, transijt ad minorem. s. illorum qui viuunt in societate. In hoc tamen casu requiritur superioris iudicium. *Vt dicit ibidem.*

Item, vide Eremita. b. Monachus. bl. bp. Preces a. Raptus. a. Religio. d. e.

CONTENTIO.

A*. DVo senes multis annis conuersati sunt, & inter se nunquam litem habuerunt. Dixit autem vnus alteri: Faciamus & nos vnam litem, sicut homines faciunt. Et ille respondit fratri: Nescio qualiter fiat lis. Et dixit: Ecce pono in medio laterculum, & dico meum est. Hoc, Tu autem dic: Non, sed meum, inde fit litis initium. Posuerunt ergo testam in medio sui, & dixit vnus eorum, meum est hoc: & alter dixit. Non sed meum est. Et ille respondit, etiam, tuum est: Tolle ergo & vade, & discesserunt, nec contendere inter se potuerunt. *In vitis Patrum libro 17. parte. 2.*

Item, vide Lis per totum.

CONTINENTIA.

A. FAmosissimus ille Socrates, cum intuens eum quidam dixisset: Oculi corruptoris puerorum: & irruentes in eum discipuli eius vellent vlcisci illatum magistro conuitium, hos ita compescuisse fertur: *Quiescite, sodales, etenim sum, sed contineo me.* Apertè ergo monstratur cōsummationem tantummodo impudicitiæ, id est commixtionis turpitudinem violenta ab illis gentilibus philosophis necessitate compressam, non tamen desiderium de cordibus eorum & oblectationem exclusam. Cum quo autem horrore proferenda est illa sententia Diogenis? Nam cuidam in adulterij crimine puniēdo, vt ferunt, ait. Quod gratis venditur, morte non emas. Constat ergo illos veræ castitatis, quæ à nobis expetitur, ne agnouisse quidem virtutem. *Verba sunt Abbatis Theremonis in Collationibus Patrum, collatione 13. cap. 5. M. Tullius 4. Tusculana. Zopyro multa in Socratem vitia colligente, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profiteretur, derisus est à ceteris, qui illa in Socrate non agnoscerent. Ab ipso autem Socrate subleuatus est, cum illa sibi signa inesse, sed ratione à se deiecta diceret.*

Indorum Gymnosophistæ, qui nudi perhibētur philosophari in solitudinibus, in die ciues sunt eius (scilicet terrenæ ciuitatis) id est secundum hominem viuentium, & à generando se cohibent, non est enim hoc bonum, nisi cum fit secundum fidem summi boni, qui est Deus. Hoc tamen nemo fecisse ante diluuium reperitur. *Augustinus de ciuit. Dei libro decimo-quinto, capite 19.* B.

Venerunt secundo legati Samnitū ad C. Fabritium multas & magnas res memorantes, quas post redditam pacem Samnitibus fecerat, offerentes dono grandem pecuniam. Fabricius vero plenas manus ab auribus ad oculos, & deinceps ad nares, & ad gulam, & ad os, deinde ad ventrem & ima deduxit, & legatis in hæc verba. C*.

verba respondit: Dum omnibus his membris quæ attigi, resistere, & imperare potero, mihi nihil omnino deerit. Ideo vobis reseruate pecuniã vsibus vestris necessariam. Romani siquidem non curant habere aurum, sed imperare volunt habentibus aurum. *Iulius Igneus in libro sexto de vita rebusque illustrium virorum, & in Polycratico Ioannis Saresb. libro quinto, capite septimo. Aliter tamen Val. Max. lib. 4. c. 3. § 5. & 6. Plutarc. in Apophthegm. Athenæus libro decimo. Dipnosoph. & Scrip. de viris Illustr. cap. 33. & 36.*

D. Quartum & vigesimum ætatis annum agens Scipio, cum in Hispania Carthagine oppressa, maioris Carthaginis capiendæ sumpsisset auspicia, multosque obsides, quos in ea vrbe Pœni clausos habuerant, in suã potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ virginem, ætatis adultæ, & iuuenis, & celebris, & victor, postquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoque gentis eius Indibili desponsam, accitis parentibus, & sponso inuiolatam tradidit. Aurum quoque quod pro redemptione puellæ erat allatũ summæ dotis adiecit. Qua continentia & munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis eius debitam gratiam retulit. *Val. Max. lib. 4. cap. 3. T. Liuius lib. 26. Agellius lib. 6. cap. 8. Polycraticus lib. 5. cap. 7.*

Simile de Carolo 8. Galliarũ rege & Consaluo magno Hispani exercitus ductore illustrissimo narrat Lipsius l. 2. c. 17. monitorum politicorũ

E. Phryne nobile Athenis scortum, iuxta Xenocratem, vino grauem in peruigilio accubuit, pignore cum quibusdam iuuenibus posito, an tẽperãtiam eius corrumpere posset: quam nec tactu nec sermone aspernatus, quo ad voluerat, in sinu suo moratam, propositi irritam dimisit. Factum sapientia imbuti animi abstinens, sed meretriculę dictum per quam facætum. Deridentibus se adolescentibus, quia tam formosa potiti senis animum illecebris flectere non potuisset, pactumque victoriæ pretium flagitantibus: De homine se cum ijs, non de statua posuisse pignus dixit. Potestne hæc Xenocratis continẽtia, á quoquam magis verè & propriè demonstrari, quam ab ipsa meretrice expressa est. *Val. Max. libro quarto, capite tertio. Diogenes Laertius in Xenocrate.*

F. Antequam Etruriæ daretur ciuitas Romanis, excellentis in ea regione pulchritudinis adolescens Spurina; cum mira specie plurium fœminarum illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris ac parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit. *Idem libro quarto, capite quinto. Ambros. lib. de virginit. Idem vel simile refertur apud Aug. in l. quæst. vet. & noui test. q. 115.*

Item, vide Bernardus. b. Castitas per totum. Pudicitia per totum. Diogenes. a. Luxuria. i.

CONTRITIO.

A. QVidam Canonicus Parisiensis incontinenter viuens, grauiter infirmatus confessionem fecit, peccata defleuit, emendationem promisit, viaticum recepit: inunctus est, & sic obijt. In sepultura eius põposa valde etiam ipse aer famulari videbatur. Post dies paucos cuidam suo familiari apparens, & se damnatum esse asserens subiunxit. Licet confessus fuerim, communicauerim, &c. vnum tamen omisi, sine quo cætera nihil prosunt. Cui familiaris. Quod est illud? At ille: contritio.

Licet enim promiserim continentiam, tamen mihi dicebat conscientia quod si conualescerem non continerem, & ideo firmum propositum non habui, nec per consequens perfectam contritionem. *Cæsarius in Dialogo miraculorum libro secundo, capite decimo-quinto.*

CONVERSIO.

*Vide Caritas. h. Dæmõ. a. Ex*m*. a. Honor. t.*

CONVIVIVM.

A. QVidquid in olla ferueat, aut in culina paretur, aut congestum sit in promptuario, aut in mẽsa resplendeat, insipidum est & insulsum, si non hilaris vultus indicio saporem ingerat caritatis. Nam & Iuppiter (vt in fabulis est) pauperis hospitij acceptauit conuiuium, & magnas reputauit delicias, quod deuota Pilemonis angustia ministrauit, & quidem de illo dictum est:

Super omnia vultus
Accessere boni nec iners pauperq; volũtas.
In Polycratico libro octauo, cap. 8.

B. *M. Antonius & L. Flaccus.* Censores Duronium Senatu mouerunt, quod legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam Tribunus plebis abrogauerat, mirificæ notę causa. Quam enim impudenter Duronius rostra conscendit illa dicturus: Fræni sunt vobis iniecti, Quirites, nullo modo perpetiendi. Alligati & constricti estis amaro vinculo seruitutis. Lex enim data est quæ frugi vos esse iubet. Abrogemus ergo istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid est opus libertate si volentibus luxu perire, non licet. *Valerius Max. libro secundo, capite nono.*

E. Q. Ælius Tubero à Q. Fabio Maximo, epulum Romano populo nomine. P. Africani patrui sui dante, rogatus vt triclinium sterneret, lectulos Punicanos pellibus hædinis strauit, & pro vasis argenteis Sanna exposuit. Cuius rei deformitas omnes offendit &c. nam vt priuatim semper continentiam probant, ita publicè maxima cura splendoris habita est. *Idem Valerius libro septimo, capite quinto, ex Cicerone orat. pro Murena. Seneca epist. 96. & 99.*

Item, vide Augustinus. l. Consanguineus. a

COR.

Vide Miraculum. x. Venenum. f.

CHOREA.

ANno Domini 1012. in quadam villa Saxoniæ presbyter Ecclesiæ sancti Magni martyris primam missam in vigilia Natalis Domini inchoauerat. Quædam vero mulieres cum viris in cœmiterio choreas ducentes diuinum officium perturbabant. Cumque ad mandatum Sacerdotis quiescere noluissent imprecatus est eis, dicẽs: Placeat Deo & beato Magno, vt sic permaneatis vsque ad annum; quod & factum est. Toto anno pluuia non cecidit super eos, nec fames, nec sitis, nec vestimenta eorum sunt attrita, sed quasi vecordes ducentes choreas cantabant. Quidam autem cum conaretur sororem suam inde educere, brachium à corpore ei extraxit, sed inde sanguine non exeunte, ipsa sic cũ alijs permansit. Completo anno Hubertus Coloniensis Archiepiscopus adueniens eos ab hoc vinculo absoluit, & ante altare eos reconciliauit, vbi vna mulier & duo viri statim exanimati sunt. Alij autem continuis tribus diebus dormierunt, quidam vero pœnam perpetuo tremore corporis pependerunt. *In speculo historiali Vincentij libro 26. cap. 10.* A**.

COR-

Corporale.

A*. Quædam sanctimonialis Sacrista, cum quadam die corporale lauisset, tradidit cuidam iuuenculæ ad exsiccandum, ad cuius tactum mox macula sanguinis apparuit, qua visa & abluta à Sacrista, mox vt iuuencula manum apposuit, iterum macula apparuit. Mirantur moniales, orationes iniunguntur: causa inquiritur, & iuuencula occultè imprægnata comprehenditur. *Cæsarius miraculorum lib. 9. cap. 88.*

Corpus.

A*. Cum primum Alexandriam attigi, secundo Theodosij Imperatoris Consulatu, reperi sanctum Isidorum presbyterum, susceptorem & prouisorem pauperum fratrum, 70. annorum ætatis, qui nec linteo vtebatur, nec carnibus vescebatur: nec pane satiebatur. Per gratiam tamen spiritalis alimoniæ tam lauti corpusculi erat, vt omnes qui eius vitam nescirent, epulationibus & voluptatibus hoc imputarẽt. Noui etiam dum cibũ sumeret lachrymatum fuisse meque admirante, cur fleret: Erubesco, inquit, irrationabilem cibum sumens, quia rationabilis factus à Domino, deberem in paradisi voluptate versari. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus.*

Item, vide Labor. d. Luxuria. l.

Correctio, sev Correptio.

A. Venit aliquando frater ad quendam senem, dicens: Frater meus soluit me egrediens huc atque illuc, & pro hoc ego affligor. Et rogabat eum senex, dicens: Æquanimiter porta frater, & Deus videns laborem tuum reuocabit eum ad te. Neque enim possibile est vt cũ duritia & austeritate facilè ab intentione sua aliquis reuocetur, quia nec dæmon expellit dæmonem, sed cum benignitate reuoca eum ad te: quoniam & Deus noster consulendo ad se homines trahit. *In vitis Patrum libro quinto, parte quinta.*

Beatus Ioannes Chrysostomus, Episcopatu suscepto, clericorũ suorum vitam corrigere volens, factus est plurimis odiosus. *Socrates & ex eo historia Tripartita lib. 10. cap. 3.* B. *Eccles. hist. lib. 6. cap. 4.*

Filius quidam (scilicet Romanus nomine) Sanguineus indisciplinate nutritus, nec à Patre correptus, tandem de minoribus criminibus ad maiora conscendens factus fur, & cõprehensus iudicatus est ad suspendium. Cum autem duceretur, rogauit vt prius Patrem suum videret: quo adducto petiuit ab eo vt sibi remitteret offensas, & oscularetur eũ. Quod cum Pater faceret, abscidit dentibus nasum Patris, Astantibus autem super hoc commotis, dixit: Plus deberem facere, si possem, quia est reus mortis meæ, eo quod non corripiendo me est causa malorum, propter quæ pereo. *Humbertus in libro de dono timoris, & sumitur è Boetio de disciplina scholarium: & in Aesopi Apologis.* C.

Item, vide Alexander. g. Arius. a. Augustus Cæsar. g. Crudelitas. c. Correctio. g. Dissimulatio. a. Domitianus. a. Excõmunicatio. c. Ira. k. Oratio. h. Pænitentia. g. Punitio. k.

Corvus.

Vide Benedictus. d.

SS. Cosmas et Damianus.

A. CViusdam viri beatis Cosmæ & Damiano deuoti, vnum crus totum cancer morbus consumpserat, & ecce dormiente illo dicti sancti apparuerunt, vnguenta & ferramenta secum ferentes. Quorum vnus alteri dixit: Vbi accipiemus nos carnes, vt abscissa carne putrida, locum vacuum repleamus? Tunc alter ait: In cœmiterio sancti Petri ad vincula, hodie Æthiops recẽs sepultus est. De illo ergo adfer vt huic suppleamus. Et ecce ad cœmiteriũ properauit, & coxam Mauri attulit, præcidentesque coxam Mauri loco infirmo inseruerunt plagam, diligenter vngentes: coxam autem infirmi ad corpus Mauri mortui detulerunt. Euigilans autem infirmus cum se sine dolore sensisset, manum ad coxam apposuit, & nihil læsionis inuenit, apponensque candelam cum nihil mali in crure videret, cogitabat an ipse erat, an alius esset. Rediens ad se, prę gaudio exiliuit, & quid in somnis viderat & qualiter sanatus erat omnibus enarrauit, & continuo ad tumulum Mauri miserunt, & coxam prædicti viri loco illius in tumulo positam repererunt. *In aurea legenda sub titulo de sanctis Cosma & Damiano.*

Creatura.

Vide Laus Dei. a.

Credere.

A. DIcebant de Abbate Ammoni, quia ægrotaret, & in lecto pluribus annis decumbens nunquam relaxauit animum suũ, vt intenderet in interiora cellulæ suæ, & videret quid haberet. Multa enim deferebantur ei velut infirmo, sed introeunte discipulo suo Ioanne & exeunte claudebat oculos suos ne videret quid faciebat. Sciebat enim quod fidelis monachus esset. *In vitis Patrum libro quarto, parte prima.*

B. Quantum porro honoris Athenis Xenocrati sapientia pariter ac sanctitate claro tributum est? Qui cum testimonium dicere coactus ad aram accessisset, vt more eius ciuitatis iuraret omnia se vere retulisse, vniuersi Iudices cõsurrexerunt, proclamaueruntque, ne iusiurandum diceret: quodque sibimetipsis postmodũ dicendæ sententiæ loco remissuri non erant, sinceritati eius concedendum existimarunt. *Valerius Max. libro secundo, capite decimo. Diogenes Laertius, & Cicero pro Balbo.*

C. Quidam homo simplex portabat agnum ad forum: quem videns quidam truffator dixit socijs suis. Facite, quod dicam vobis, & habebimus agnum istum. Et posuit illos in diuersis locis separatim, in eadem via vnũ post alium. Transeunte ergo rustico primus dixit. Homo vis vendere canem illum? At ille pro minimo reputauit, & processit. Veniens autem ad secundum dixit: Vis frater canem illum vendere? At rusticus respondit: Nolite me irridere; non fero canem, sed agnum. Cum autem tertius dixisset idem, cœpit rusticus admirari & erubescere. Quarto autem & quinto idem dicentibus, cogitauit intra se, quid hoc esset, quod tot homines in hoc concordarent, quod canem, non agnum portaret. Et tandem multorũ opinionibus acquiescens, ait: Nouit Deus, quod credebam, quod esset agnus, scilicet, quia canis est, de cætero non portabo eum. Et proiecto illo recessit, & illi tulerunt agnum & comederunt.

Iaco-

Iacobus de Vitriaco.
Item, vide Amicitia. a.b.c.f. Bernardus. k. Detractio. k. Opinio. a.

CRÆSVS.

A. CRæsus fuit Rex Lydorum potentissimus: quem cum cepisset Cyrus Rex Persarum, rogo imposuit cremandum, sed nimia vi imbrium rogus extinctus est, & ille liberatus est, postea reparato bello ab eodem Cyro victus est & suspensus. *Commentator Boetij de consol. philos. libro secundo, prosa 2. Aliter Herodot. & Iustinus lib.* 1.

CRVDELITAS.

A. Q. Flauius augur à Valerio Ædili apud populum reus actus, cũ quatuordecim tribuum suffragijs damnatus esset, proclamauit se innocentem opprimi. Cui Valerius æque clara voce respondit, nihil sua interesse nocens an innocens periret, dummodo periret. Qua violentia dicti reliquas tribus aduersario donauit. Abiecerat inimicum: eundem dum pro certo pessundatum credidit, erexit, victoriamque in ipsa victoria perdidit. *Valerius Maximus libro octauo, capite primo, ex T. Liuio libro octauo.*

B. Sæuus ille ænei tauri inuentor Perillus, quo inclusi subditis ignibus longo & abdito cruciatu, mugitus resonante spiritu edere cogebantur; ne vlutatus eorum humanæ sono vocis expressi Phalaridis Tyranni misericordiam implorare possent. Quam, quia calamitosis deesse voluit, teterrimum artis suę opus, primus inclusus merito auspicatus est: *Idem Valerius libro nono, capite secundo, Cicero in Pisonem, Ouidius in Ibim, & Phalaris in epist. Heroidum.*

Sub Decio & Valeriano persecutoribus, Christiani optabant pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat non corpora iugulare, & volentibus mori non permittebatur occidi, cuius crudelitas vt notior fiat, duo tantum exempla subijcimus. Perseuerantem in fide martyrem, & victorẽ iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole, ligatis post tergum manibus, reponi, vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium autem iuuenem, in amænissimos hortulos præcepit adduci, ibique inter candentia lilia & rubentes rosas cum leni iuxta murmure serperet riuus, super stratum plumis lectulum supinari, & ne se inde posset excutere, blandis sertorũ nexibus irretitum relinqui. Quò cùm recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, delicatis cœpit colla stringere complexibus, & manibus attrectare virilia, vt corpore in libidinem concitato se victrix impudica subijceret. Quid ageret miles Christi? quo se verteret nesciebat, quem tormenta non vincebant, superabat voluptas. Tandem cælitus inspiratus, præcisam morsibus linguam in osculantis se faciem expuit, ac si libidinis sensum doloris magnitudo superauit. *Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ.* C.

D. Quidam Lõgobardorum Rex nomine Alboinus, Regem quendam bello superans interfecit, filiamque ipsius, nomine Rosimundam, captiuam, vxorem duxit. Sed & de capite ipsius Regis cuppam sibi fieri iussit, quam argento circumcludens inde bibebat. Cum autem postmodum Veronæ esset, Scyphum illum iussit afferri

afferri & cum eo bibens, vxorem etiam suam Rosimundam bibere fecit, dicens: Bibe cum patre tuo. Tūc illa contra Regem magnum odium concepit, & eum dum esset in lecto interfici procurauit. *In aurea legenda sub titulo de sancto Pelagio Papa. Sigeb. in Chron. ad annum 574.*

E. Valente Imperatore per negromātiam perscrutante quis post eum imperaret? Dæmon quatuor literas demonstrauit. T. E. O. D. Imperator ergo zelo ductus multos occidit, putans eos tyrannidem velle assumere. Occidebantur autē Theodoti, Theodori, Theodoli, & quicunque has literas in capite nominis sui habebant, quo timore plurimi nomina sua mutauerunt. *Ex Socrate historia Tripartita, & in Speculo histor. Vincentij libro decimo-quinto, capite 99.*

F. Certe si Romanorum Principum facta serio consideres, nullum eorum inuenies sanguinis effusorem, cuius sanguis effusus non fuerit. Deinde Iulio Cæsare, Antonio, Nerone, & alijs quam pluribus nominatim expressis subdit in fine: Omnes hi quia præsumptuosè gladij exercuerunt officium, in ore gladij corruerunt, quia sicut Poeta Satyricus Iuuenalis refert:

Satyra 10.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges & sicca morte Tyrāni.

Petrus Blesensis in opusculo de Hierosoly. peregrinatione.

G. Narrat Seneca lib. 3. de Ira, quod cum Regem Cambysen nimis deditum vino vnus ex carissimis moneret, vt parcius biberet, turpem esse dicens in Rege ebrietatem, respondit: Vt scias oculos post vinum esse in officio, manu probabo. Deinde bibit liberalius, & iubet filium illius stare ex opposito, & intendens arcum cor eius transfixit, id enim se petere dixerat. Et respiciens Patrem quæsiuit si satis certam haberet manum. At ille: Apollinem certius mittere posse negabat. O cruentum Regem! ô dignum in quem omnium suorum arcus verterentur. *Ioannes Galensis in communiloquio parte prima, dist. 3. cap. 11.*

Item, vide Cicero. a. Cyrus. a. Iudex. b. Odium. a. Roma. ac. Vindicta. d.

Crucifixus. Crux.

Cum Abbas Zozimas in quadam eremo Mariā Ægyptiacam nudo, nigro, & ex incendio solis exusto corpore reperisset, coniurauit eam; vt conditionem suam sibi narraret. Cui illa. Ignosce mihi pater, inquit, quia si statum meū narrauero, velut à serpente territus fugies: & aures tuæ à sermonibus meis contaminabuntur. Cum autem ille instaret, dixit: Ego sum in Ægypto nata, duodecimo ætatis meæ anno Alexandriam veni, ibique septemdecim annis publicæ libidini me subieci: cum autem homines regionis illius pro adoranda sancta Cruce Hierosolimam accederent, rogaui nautas vt me secum dimitterēt proficisci. Cum autem me de naulo requirerent, dixi: Non habeo, fratres, pro naulo habeatis corpus meum. Cum autem Hierosolymam venissē & pro adoranda Cruce vsque ad fores Ecclesiæ deuenissem subito & inuisibiliter patior repulsam. Iterum atque iterum perueni vsque ad limen ianuæ, & subito repulsam patiebar, cum tamen omnes liberum haberēt introitum. Cogitans ergo quod hoc mihi ob scelerum meorum immanitatem accideret, pectus meum cœpi tundere, lachrymas fundere, respi- A.

respiciensque vidi ibidem imaginem Beatæ virginis. Tunc ipsam cœpi lacrymabiliter exorare, vt peccatorum meorum mihi veniam impetraret, & ad adorandam Crucem me intrare permitteret, promittens me sæculo abrenunciaturam, & de cætero castam mansuram. Cumque hoc orassem, & in nomine Virginis fiduciam recepissem, fores iterũ Ecclesiæ adij & sine impedimento intraui. Cum autem sanctam crucem deuotissimè adorassem, audiui vocem dicentem mihi: Si Iordanem transieris salua eris. Iordanem ergo transiui, & in hoc desertum veni, vbi septemdecim annis mansi, nullum penitus hominem audiens neque videns. *Hæc in actis Mariæ Aegyptiacæ, quæ etiam recitantur à Nicæna synodo secunda, actione quarta. Item à S. Ioan. Damasc. orat. 7. de imag. sub finem, & à Nicephoro lib. 17. cap. 5. qui ait illa acta conscripta, esse à Sophronio Patriarcha Hierosolymitano, quo minor esse debet de fide illorum dubitatio.*

B. Maxentiũ Tyrannum volens Cõstantinus opprimere, & Romanos à cladibus liberare, cogitabat quem in bello Deum haberet auxilio, sciens nihil prodesse Deos quos Diocletianus venerabatur, & quia potius eius pater paganorum contempta religione feliciter aduixisset. In his igitur sollicitudinibus constitutus in somno, vidit Crucis signũ cælo splẽdidè collocatum, mirantique visionem astiterunt Angeli dicentes: O Constantine, in hoc vince: Fertur autem & ipsum Christum apparuisse ei, signumque monstrasse Crucis, ac præcepisse vt similem figuram faceret, & in prælijs auxilium hoc haberet, quo victoriæ iura conquireret. *Eusebius in vita Constant l. 1. c. 22. 27. 24. in historia Tripartita lib. 1. cap. 4.*

Iulianus Apostata imperialia sceptra desiderans, vates quærebat, responsa reddentes, consulens an ad Imperium perueniret. Inuenitque virum qui illi desiderata se dicere fateretur. Is perducens eum ad quendam idolorum locum, & introducẽs in adytum, seductores dęmones euocauit. Quibus solemniter apparentibus terrore compellitur Iulianus, in fronte sua Crucis formare signaculũ. Tunc dæmones trophæi Dominici figuram respicientes, & se victos recordati, repentè disparuerunt. Quod agnoscens Magus, cœpit inculpare Iulianum. At ille & terrorem significauit, & de Crucis se dixit obstupuisse virtute, eo quod videntes hoc signum dæmones, euanuerant. Porro Magus: Non hoc suspiceris (inquit) ô bone vir, eos timuisse, sicut ais, sed abominati illud potius signũ abcesserũt: & ita capiens miserum odio repleuit Christiani signaculi Iulianum. *In Tripartita hist. lib. 6. ca. 1. & Greg. Nazianzenus orat. 1. in Iulianum.* G*.

Sozom. l. 2. c. 5. Eccles. hist. Niceph. hist. l. 10. c. 7. Theodoret. l. 7. hist. c. 3.

D*. Anno Constantini quarti, Imperatoris 21. Turci à Caspijs portis erumpentes Armeniam infestant: in quorum patria cum antiquo tempore pestilentia fuisset, suasu Christianorum in modum Crucis se totonderunt, & quia per hoc signum Crucis patriæ salus reddita est, hunc tondendi ritum tenuerunt. *Sigebertus in Chronicis ad annum 762.*

E*. Quadam die vna Dei famula ex monasterio virginum in quo Sanctissimi Æquitij cura vigilabat, hortum ingressa est, in quo lactucam conspiciens concupiuit, eamque Crucis signo benedicere oblita, auidè momordit, sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur eidem Patri Æquitio sub celeritate nuntiatum est, vt veniret

concitus, & orando occurreret. Moxque, vt hortum ingressus est, cœpit ex ore puellæ dæmon clamare. Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam modo super lactucam, venit illa & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt abscederet: qui protinus abscessit, nec contingere vltra præualuit. *Gregorius Dialogorum libro primo, capite quarto.*

F*. Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant, ne ruina menti tanto repentina subripiat, quanto ad hoc quod male concupiscitur, etiam præsentia concupitæ formę famulatur. *Et infra.* Venerabilis namque Fundanæ ciuitatis Episcopus Andreas nomine, cum vitam virtutibus plenam duceret, quandam sanctimonialem, quam secum prius habuerat, noluit á sui Episcopij curia repellere, sed certus de sua, eiusque continentia secum manere permisit. Ex qua re actum est, vt antiquus hostis apud eius animum aditum tentationis exquireret. Nam cæpit speciem illius oculis mentis eius imprimere, vt illectus nefanda cogitaret. Quadam vero die Iudæus quidam, ex Campaniæ partibus Romam veniẽs, Appiæ carpebat iter: qui ad Fundanum cliuum perueniens, cum iam diem vesperascere cerneret, & quò declinare posse minimè reperiret, iuxta Apollinis templum ad ibi manendum se contulit. Qui loci illius sacrilegium pertimescens, quamuis fidem Crucis minimè haberet, signo tamẽ Crucis se munire curauit. Nocte autem media, ipso solitudinis pauore turbatus peruigil iacebat, & repenté conspiciens vidit malignorum spirituum turbam quasi in obsequiũ cuiusdam potestatis præire. Tunc eorum Princeps singulorum spirituũ cœpit causas, actusque disquirere. Cumque singuli spiritus ad inquisitionem eius exponerent, quid operati contra bonos fuissent, vnus in medium prosiliuit, qui in Andreæ Episcopi animum per speciem sanctimonialis feminæ, quantam carnis tentationem commouisset, aperuit. Dum vero malignus spiritus, qui præerat, hoc inhianter audiret, ille idem spiritus adiunxit: quod hoc quoque die præterito vespertina hora eius mentem traxerit, vt in terga eiusdem monialis blandiens alapam daret. Tunc humani generis hostis exhortatus blandè est vt perficeret quod cæpisset. Cumque Iudæus, hæc audisset, & magnę formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu, qui cæteris præerat, iussum est vt requirerẽt quisnam esset ille qui iacere in templo eodem præsumsisset. Tunc illi Crucis mysterio signatum viderunt, mirantesque dixerunt: *Væ væ vas vacuum, sed signatum.* Quibus hoc renunciantibus, cuncta illa malignorum spirituum turba disparuit. Deinde refertur qualiter de ijs relatione sibi facta ab illo Iudæo, Episcopus non solum illam, sed & omnem fęminam expulit. *Et infra.* Oportet & de Dei nos miseratione confidere, & de nostra infirmitate formidare. Ecce enim paradisi cedrum concussam audiuimus, sed non euulsam. *Gregorius Dialogorum, libro tertio, capite septimo.*

Solent, inquit Antonius, dæmones nocte venientes Angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerantiam, futura præmia polliceri. Quos cum videritis, tam vos quã domos vestras Crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum, quia metuunt illud trophæũ, G*.

in quo

in quo Saluator aereas expolians virtutes eas fecit ostentui. *Athanasius in vita sancti Antonij.*

H. Quidam districtissimi monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam simpliciter intelligentes verbum Domini dicentis: *Qui non accipit crucem suã, & sequitur me, non est me dignus*, fecerunt sibi cruces ligneas, easque humeris iugiter circumferentes non ædificationem sed risum intuentibus fecerunt. *Verba sunt Abbatis Sereni apud Ioan. Caßianum in Collationibus Patrum, Collat. 7. cap. 3.*

I. Quis non miretur obuios hostes transitumque prohibentes scilicet Hebræis, atque præliantes orante Moyse manibusque eius in Crucis figura extẽtis nullo Hebræorum cadente prostratos? *Augustinus de ciuitate Dei libro decimo, capite octauo.*

K*. Tiberius secũdus Christianus Imperator, cum ipsum Augusta vxor eius argueret, tanquam dissipatorẽ Reipublicæ, eo quod omnes thesauros pauperibus erogaret respondit: *Confido in Domino, quod fisco nostro non deerit pecunia, si de his, quæ Deus contulerit, eleemosynas faciendo thesauros conquiramus in cælo.* Cum autem transiret per quoddam palatium, vidit in pauimento tabulam marmoream, in qua Crux erat sculpta, quam ob reuerentiam Crucis, fecit humo leuari, dicens: *Indignum est Crucem pedibus conculcari, quæ in pectoribus & frontibus hominum debet esse.* Apparuit iterum sub tabula illa alia tabula eodẽ modo Cruce sculpta. Cumque etiam illam attolli fecisset, apparuit tertia consimilis tabula: Cumque vehementer admirans etiam illam leuari fecisset, inuenit infinitum auri & argenti, & lapidum pretiosorum thesaurum. *Martinus Polonus in Chronicis.* *Paulus Diaconus initio lib. 17.*

Item, vide Liberè. a. Campana. a. Helena. a. Humilitas. d. Magia. b. Pastor. a. Puer. c.

Cubicularius.

A. B. Gregorius Papa à cubiculo suo non solum iuuenculos, sed & omnes sæculares exclusit: clericorum vel monachorum prudentissimos, sibi familiares consiliarios elegit. *Vincentius in speculo histor. libro vigesimo-tertio, capite decimo-nono.* *Amoniu de gestis Franc. li. 3 c. 19. & Gregor. Turo. l. 5. hist. c. 19.*

Cupiditas.

A. Scipio Africanus minor Censor, cum lustrum conderet inque solito fieri sacrificio scriba ex publicis tabulis solenne ei precationis carmen præiret, quo dij immortales vt populi Romani res meliores, ampliores que facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonæ & magnæ sunt. Itaque precor vt eas perpetuo incolumes seruent, ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari iussit, qua votorum verecundia deinceps Censores in condẽdis lustris vsi sunt. *Valerius Maximus libro quarto, capite primo.*

B. Canis flumen transiens, partem carnis ore tenebat, cuius vmbram cum vidisset in aqua, patefecit os suum, vt eam caperet, & statim illam quam prius tenebat fluuius tulit, & illam quam sub aqua esse putabat obtinere non potuit. *Aesopus in Fabulis.*

Item, vide Festinatio. a.

Curiositas.

Vide Mirabile. g.

Cutis.

Vide Animal. a.

Dagobertus.

A. Dagobertus Rex Francorum à sua pueritia beatum Dionysiū in magna reuerentia habere cœpit. Cum ergo mortuus fuisset, cuidam sancto viro in visione monstratum est, quod anima eius ad iudiciū rapta fuit, & multi sancti Ecclesiarum suarum spoliationem obijciebant eidem. Cum ergo mali Angeli iam ad pœnas eam rapere vellent, adfuit B. Dionysius, & eius interuentu liberatus est. Forté enim eius anima ad corpus redijt, & ibi pænitentiam egit. *In aurea legenda sub titulo de beato Dionysio.*

Damnatus.

A. Dum quadam die diu iam Traiano defuncto, Gregorius per forum Traiani transiret, & huius mansuetudinem recordatus fuisset, ad sancti Petri Basilicam peruenit, & ibidem pro eius errore amarissimè fleuit. Tunc ergo diuinitus responsum est: Ecce petitionem tuam impleui, & Traiano pœnam æternam peperci. De cætero autem caueas ne pro damnato aliquo preces fundas. Ioan. Damascenus orat. pro defunctis narrat quod Gregor. pro Traiano orationem fundens, audiuit vocem diuinitus: *Vocem tuam audiui & Traiano veniam do*, vt dicitur ibidem testis est Oriens omnis & Occidens. Deinde narratis diuersis opinionibus de modo liberationis Traiani subditur infra: Fertur quoque quod Angelus istud adiecit. Quia pro damnato rogasti, duorum tibi datur optio. Aut enim in purgatorio duobus diebus cruciaberis, aut certè toto tempore vitæ tuæ infirmitatibus & doloribus fatigaberis. Qui secundum elegit. Vnde factum est quod semper aut febribus aut podagræ molestia pressus fuit, aut validis doloribus quassatus. *In aurea legenda sub titulo de sancto Gregorio.*

Quid sentiendum sit de hac narratione consule Card. Bellar. l. 2. de purgatorio c. 8. Et Antonium Yepes in 2. tomo. Chronici Benedictini.

B. Homo quidam à sancto Machute Episcopo suscitatus, interrogatus quis fuerit? Gigantem se nomine Melduinum, paganum, & idololatram fuisse respondit: tormentaque, quæ cum alijs perditis in inferno sustinuerat, narrauit: & quia meritis sancti Machutis inde ereptus sit, confitebaturque Christum verum Deum esse. Sanctus autem Episcopus eum instruxit in fide & baptizauit. *In Speculo historia. Vincentij libro duodecimo, capite nonagesimo septimo.*

C. Benedictus nonus, qui simoniacè Papatum inuaserat, post eius mortem cuidam equo insidenti apparuit, in specie monstruosi animalis, cuius aures & cauda asini erant, cætera vrsi. Cumque ille præ timore fugeret, clamauit: Noli, ô vir, expauescere. Scito me hominem sicuti tu es, sed quia bestialiter vixi, post mortem præferre speciem bestiæ merui. Ego ille solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicam sedem indignus obtinui. Ad quem ille. Quid habes retributionis nunc? inquit vsque ad diem iudicij per dumosa & squallentia & sulphurea loca, & fœtida rapiar, post extremum vero iudicium corpus meum & animam irreuocabilis olla gehennæ suscipiet. Post hæc verba disparuit. *Petrus Damia. in libro primo, epistola nona: & ponitur in Speculo historiali Vincentij libro vigesimo-sexto, capite 21. & Bapt. Platina in Benedicto 9.*

Iam

D. Iam cum misericordibus agendum video & pacificè disputandum, qui omnibus illis hominibus, quos iustissimus Iudex dignos gehennæ supplicio iudicabit, vel quibusdam eorum nolunt credere, pœnam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas pro cuiusque peccati qualitate longiores siue breuiores, eos inde existimant liberandos, quia in re misericordior fuit Origenes qui & ipsum diabolum & Angelos eius post grauiora pro meritis supplicia, ex illis cruciatibus eruendos credidit, sed illum & propter hoc, & alia nonnulla nō immerito improbauit Ecclesia. *Augustinus de ciuitate Dei libro vigesimo-primo, capite decimo-septimo, hunc errorem reprobat capitibus 23. & 34.*

E. Illi qui putant sic intelligendum esse quod scriptum est: afferre terram bonam vberem fructum, aliam tricenum, aliam sexagenum, aliam centenum, vt sancti pro suorum diuersitate meritorum, alij tricenos liberent, alij sexagenos, alij centenos, hoc in die iudicij futurum suspicari solent, non post iudicium. Qua opinione quidam cum viderent homines impunitatem sibi peruersè pollicentes, eo quod isto modo omnes ad liberationem pertinere posse videantur, respondisse elegantissime perhibetur: bene potius esse viuendum vt inter eos quisque reperiatur qui pro alijs intercessuri sunt &c. *Augustinus de ciuitate Dei libro vigesimo-primo, capite vltimo.*

Item, vide Ecclesia. a. Gloria. f. Hilarius. a. Iacobus Zebedei. b. Infirmus. a. d. Iudicium Dei. c. Maria. g. Martinus. n. Mors. h. Oratio. b. Suscitatio. b.

DARE.

Socrates vt dicitur interrogatus quęnam esset substantia beatitudinis: *Dignus donare*, respondit. Ego quidem Socraticam diffinitionem sic interpretandam arbitror, vt dignitas in accipientium necessitate credatur esse, vel meritis. Illis enim qui promeruerunt, donare iustum est, & his qui egent subuenire pium. Si enim pauperem histrionem videamus, aut mimum, non debemus fouere malitiam, sed correptam, & si fieri potest, emendatam fraternæ charitatis iure oportet naturam sustentari. Interdum tamen increpare pigrum, meretricem, vel histrionē confundere salubrius est quam quod exigunt elargiri. *Ioannes Salisberiensis in Polycratico libro octauo, cap. 4.* A.

DARIVS.

Septem Magi, qui iudicabant regnum Persarum, cum tractarēt inter se, quis eorum duceret Regis filiam, & regnaret pro eo, complacuit eis, vt tali vaticinio vnus ex eis eligeretur. Diluculo venirent super equos soli in atrio palatij ante fores templi, & cuius equus prior hinnitum daret, secundum oraculum Deorum Rex cōstitueretur. Erat autem vnus eorum Darius filius Hystaspis, qui secretius loquens cum equorū custode equorum suorum, mandauit, vt in loco ad quem crastinò cōuenire deberent, equo suo de nocte supponeret equam. Quo cum in crastinum septem Magi deuenissent, statim ad equæ memoriam equus Darij hinnitum dedit, & sine contradictione in Regem sublimatus est. *Herodotus libro tertio. Iustinus lib. 1. Val. Max. lib. 7. cap. 3.* A*.

Debitum.

A. Augustus Cæsar audiens quendam Romanum equitem decessisse, qui magnam summam æris alieni viuendo decoxerat, culcitram bicubitalem in bonis defuncti repertã sibi emi præcepit. Quærentibus quare hoc ageret. Culcitra, inquit, hæc ad somnum habenda est, in qua potuit dormire, quem tanti debiti moles debuerat anxiasse. Quasi diceret: Mirum est quomodo dormire poterat. *Hæc refert Macrobius libro secundo. Saturnalium cap.* 4.

Deceptio.

Vide Diabolus. c. Discretio. b. Elatio. b. Episcopatus. a. Mendacium. c.

Decima.

A. Cum multitudo hostium, & assiduitas bellorum incumberet, Karolus Martellus, Princeps Francorum, Pater Papini Regis, res Ecclesiasticas, id est decimas militibus suis concessit, pro qua re anima ipsius postmodum in supplicijs inferni à Sancto Eucherio Aurelianensi Episcopo visa est detineri. *Vincentius in speculo histor. libro* 24. *cap.* 149. *Et in Chronicis Martini Poloni dicitur, quod etiam in sepulcro eius, loco corporis serpens immanissimus est inuentus. Paulus Aemylius libro secundo de reg. Francorum in Childerico tertio.*

B. Miles quidam circa decimarum suarum solutionem tantæ erat deuotionis & iustitiæ, vt ei summum studium esset illas soluere sine mora. Habebat autem quandam vineam, quæ circa decem carratas vini annuatim faciebat. Tempore quodam postquam collectum est vinum, vna tantum inuenta est carrata, quo audito miles seruo suo dixit, quod meum erat mihi Dominus abstulit, ego illi portionem suam non auferam, vade & da eam Sacerdoti pro decima. Quod & factum est. Eodem tempore & anno Sacerdos eiusdem militis germanus transiens iuxta vineam prædictam vuis refertam vidit, mox ad fratrem intrans eum, de negligentia redarguit dicens. Quare nondum collecta est vinea vestra? Respondente illo, diu collecta est. Sacerdos respondit: Nequaquam, iam illam plenam vidi. Quæsitum & inuentum est, nec vnquam vberiores fructus fecit quam illo anno. *Cæsarius in l. miraculorum cap.* 13. *Item, vide Ecclesia. c.*

Dedicatio.

A. Anno Ludouici Imperatoris filij Lotharij 16. Coloniæ cum maior Ecclesia, quæ est sancti Petri dedicari deberet, præcedente nocte auditæ sunt voces malignorum spirituum, dolentium & conquerentiũ se à possessis diu sedibus debere expelli. *In Speculo histor. libro vigesimo-quinto, capite trigesimo-nono.*

B. Arianorum Ecclesia in regione vrbis Romę quæ regio Saburra dicitur, cum clausa vsque ante biennium mansisset, placuit, vt in fide Catholica introductis beati Sebastiani & sanctæ Agathæ martyrum reliquijs, dedicari debuisset. Quod factum est. Nam cum magna populi multitudine venientes, atque omnipotenti Deo laudes canentes eandem Ecclesiam ingressi sunt. Cum in ea iam missæ celebrarentur, & propter loci angustiam populus comprimeretur, quidam ex ijs qui extra sacrarium stabant, porcum subito inter suos pedes huc illucque discurrere senserunt.

ferunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idem porcus Ecclesiæ ianuas petijt, & omnes per quos transijt, in admirationem commouit; sed videri à nullo potuit quamuis sentiri potuisset. Quod ideo diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de eodem loco immundus habitator exiret. *Et infra.* Post paucos vero dies cum in ea lāpades sine lumine depēderent, emisso cælitus lumine sunt accensæ, vt videlicet ex ipso lumine apertè clarescceret, quia locus ille de tenebris ad lucem venisset. *Gregorius Dialogorum libro tertio, capite trigesimo.*
Item, vide Ecclesia. h.

DEFENSIO.

A. AMbrosius aduersus Reginæ Iustinæ furorem matris Valentiniani, fautricis hæresis Arianæ, quæ Catholicos Sacerdotes persequebatur, & presertim Ambrosium, non se manu defensabat, aut tela, sed ieiunijs, continuisque vigilijs sub altari positus per orationis defensorem sibi atque Ecclesiæ Deum parabat. *In Sancti Ambrosij vita.*

B. Aduersus armatos Gothos lacrymæ meæ arma mea sunt. Talia enim munimenta Sacerdotis. Aliter nec debeo nec possum resistere. *Verba Ambrosij, epist. 33. ad Marcellinam sororem, & habētur in Decreto. cap. 23. quæstione 8. cap. Conuenior.*

DEFVNCTVS.

A. QVidam dum per cœmeterium trāsiret, semper psalmos pro defunctis dicebat: quē cū eius inimici insequerentur per cœmeteriū fugientem, continuo mortui surrexerunt, & vnusquisque instrumentum sui officij tenebat in manu, & ipsum viriliter defenderunt. *In aurea legenda, sub titulo de Commemoratione fidelium ex Cantore Parisiensi.*

B. Ait Petrus Cluniacensis, quod quidam Episcopus suspendit quendam presbyterum, quia qualibet die celebrabat pro defunctis. Cum autē quadam vice per cœmeterium transiret, visum est ei quod omnes mortui resurgerent contra illum comminantes & dicentes. Ecce Episcopus qui abstulit nobis Sacerdotem nostrum, nec ipse pro nobis celebrat, sed certè nisi emendauerit, morietur. Ad quod ille territus Sacerdotem absoluit, & missas pro mortuis celebrauit. *Ibidem.*
Item, vide Suffragium. a.

DELATOR.

Vide Domitianus. a.

DELITIÆ.

A. SCholaris quidam delicatus Bononiæ commorans ita fugiebat statum pænitentiæ, quod nolebat ad sermonem ire, ne moueretur ad ingressum religionis. Factum est autem vt quidam frater ordinis Prædicatorum eum familiariter visitaret: quo viso dixit ei Scholaris. Frater si vultis mihi loqui de Deo non curo: si autem de alijs negotijs, bene venisti. Cui frater. Loquar de quibusdam negotijs & in fine tantum vnū verbum de Deo. Expleto negotio de licentia Scholaris, vix obtēta, dixit Frater: Magister rogo te, propter Deum, in hac nocte quando iacebis in lecto sic parato, velis cogitare de lecto qui paratus est damnatis in inferno, ijs qui hic viuunt in delicijs. Et ille: Qualis erit lectus ille? At frater. Esaias, inquit, 14. cap. ver. 11. describit eum dicens: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt*

vermes.

vermes. Post hæc verba recessit frater. At ille cum de nocte iaceret in lecto suo, recordatus verborum dictorum non poterat dormire, cogitans de lecto inferni, & in tantum præualuit illa cogitatio, quod modicum post, ordinem Prædicatorum est ingressus. *Humbertus in libro de dono Timoris.*

B. Attalus Stoicus dicere solebat malo me fortuna in castris suis, quam in delicijs habeat. *Seneca epistola 67. ad Lucilium.*

Item, vide Abstinentia. a. m. Voluptas per totum.

DELPHINVS.

A. LEgitur in libro de natura animalium, quod mortuo delphino circumstant alij delphini, ne comedant pisces mortuum, & deferunt eum in profundum atque sepeliunt. *G. Lugdunensis in summa virtutum, parte 3. rubrica 5. Plin. lib. 9. cap. 8. hist. nat.*

B. Dicunt Aristoteles & Plinius quod delphini per odorem sentiunt si homo in mari mortuus vnquam comederit de delphino, quod si comederit, comedunt, si vero non comederit, à morsibus aliorum saluant eum, & ad littus pellunt cum rostris suis. *Bartholomæus in libro decimo-tertio, de Proprietatibus rerum cap. 26.*

Item, vide Mirabile. a c.

DÆMON.

A. SAnctus Germanus Altisiodorensis quadam nocte hospitatus in quadam domo, cum post cænam iterum mensa pararetur, admiratus interrogat, cui denuo præpararent? qui cum dicerent quod hominibus illis & mulieribus, quæ nocte incedunt, præpararent: Illa nocte S. Germanus statuit vigilare, & ecce vidit multitudinem dæmonum ad mensam in formis virorum & mulierum venientem, qui eis præcepit ne abirēt, & cunctos de familia excitauit inquirens si personas illas cognoscerent. Qui cum omnes vicinos & vicinas esse dicerent, misit ad domos singulorum, & ecce in suis lectulis sunt inuenti. Adiurati se Dæmones esse dixerunt, qui sic illudebāt homines. *In aurea legenda, sub titulo de beato Germano.*

Cum quodā die solēni comes Mastisconensis in proprio palatio resideret, multis constipatus militibus, repente homo ignotus insidens equo per ostium palatij ingressus, videntibus cunctis, ad ipsum vsque peruenit, dicens se ei velle colloqui, imperans ei vt surgeret, & se sequeretur. Qui non valens resistere, surrexit, & vsq; ad ostium domus perrexit, vbi equū paratum inuenit; quem iussus statim ascendit, cuius habenas ille accipiens qui propter eum venerat, videntibus cunctis per acra velocissimo cursu ferri cœpit. Ille autem miserabiliter clamans. *Succurrite ciues, succurrite:* totam ciuitatem commouit, Omnes autem equum per aera concurrētem viderunt, sicque tandem substractus visibus hominum, factus est æternus socius dæmonum. *Helynandus in Chronicis & Petrus Cluniacensis in libro Miraculorum. Vincent. l. 29. c. 120. hist.* B.

Dæmones plerumque referunt veritatem, & bene consulunt hominibus, non sponte, sed inuite, necessitate coacti, à superioribus potestatibus. Sanctorum scilicet Angelorum vel Dei, sicut legimus de illo dæmone in dæmoniaco habitante, quem sancta Brigida interrogauit dicens dic mihi verbum Domini. Cui dæmon per obsessum C.

fessum continuo respondit audiente populo: Time Deũ, Brigida, & timeberis ab omnibns. Nunquam diabolus timoris & amoris Dei potest fieri voluntarius prædicator, sed coactus hoc dicebat & inuitus. Similiter quoties in Euangelio vel Sanctorum legendis legitur diabolus verbũ aliquod protulisse salutis, coactus hoc fecisse credẽdus est, nõ solũ in Scripturis sanctis, sed etiam in historijs Gentium leguntur talia. *Helinandus in Chronicis lib.* 8. *Et ponitur in Speculo hist. lib.* 30. *cap.* 9.

D.* Sacerdos quidam pro quodam paupere Alemãniæ defuncto tã in Missis quam orationibus, cum multis lacrymis orabat. Cui apparens quidam Sanctus ait: Quare tantũ laboras pro homine damnato? nihil ei prodest, quia anima eius in profundo inferni est demersa. Respondente Sacerdote: Domine, multa bona fecit mihi. Sanctus subiunxit. Cessa orare pro eo, quia anno integro antequam sepeliretur mortuus erat, cuius corpus malignus spiritus loco animæ vegetabat. *Cæsarius in Dialogo miraculorum.*

E. Sacerdotes Baal incidebant se iuxta ritum suum Lanceolis, vt sanguine perfunderentur. Dæmones enim multum delectantur in oblatione sanguinis humani. *In histor.* *Lib. 3. Reg. c. 18.* *scholast. super tertium Regum. cap. de Sacerdotibus quos interfecit Helias.*

F. Dixit Angelus ad Tobiam: Particula cordis supra prunas posita fu- *cap. 6. li. Tobiæ.* mo suo extricat omne genus dæmonum in viro vel in muliere, nec super hoc mirari debemus cum fumus cuiusdam arboris adustæ vim eandem habere perhibeatur. *In historia scholast. parte tertia, super sextum cap. Tobiæ.*

G. Quod in annulis quidam includunt spiritum immundum per quẽ imperant alijs dæmonibus, non creditur esse Salomonis inuentum. *In hist. scholast. parte septima, cap* 63. *Vide Delrium lib.* 2. *disq. mag. quæstione* 27. *sect.* 2.

Cum Datius Mediolani Episcopus causa fidei Constantinopolim pergeret, Corinthi deueniens, & domum quandam, quæ illius comitatum ferre potuisset, sibi ad hospitandum præparari iussisset, & eiusdem loci incolæ dicerent, in ea hunc manere non posse, quia multis iam annis hanc diabolus habitaret, & ideo vacua remansisset, idem vir Venerabilis respondit dicens: Immo ideo hospitari debemus in eadem domo, si hanc malignus spiritus inuasit. Itaque intempestæ noctis silentio, cum vir Dei quiesceret, cœpit malignus hostis imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpentum, porcorum stridores & soricum; cum repentè Datius tot bestiarum vocibus excitatus surrexit, & contra hostem antiquum cœpit clamare, dicens: Bene tibi contigit miser. Tu ille qui dixisti, *ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo*, Ecce per superbiã tuam porcis & soricibus similis factus es. Ad quam eius vocem spiritus malignus erubuit, & eandem domũ ad exhibenda monstra quæ consueuerat, vltra non intrauit, sicque post fidelium habitatio facta est, quia dum eam vnus veraciter fidelis ingressus est, ab ea protinus mendax spiritus atque infidelis abscessit. *Gregorius in Dialog. lib. tertio, capite quarto.* H. *Isaia 14. vers. 13.*

I.* Nuper in parte Campaniæ vir valde venerabilis, Martinus nomine, in monte Marsico solitariam vitam duxit, multisque annis in specu angustissimo inclusus fuit. Hunc diabolus

vſitata arte pellere ex eo ſpecu molitus eſt, nam amicam beſtiam ſcilicet ſerpentem ingreſſus, hunc ab eadem habitatione eijcere, facto terrore, conatus eſt. Cœpit enim ſerpens in ſpelunca manere, Solus cum ſolo, & cum cubante pariter cubare, ſed vir ſanctus omnino imperterritus, eius ori manum vel pedem admouebat, dicens: Si licentiam accepiſti, vt ferias, ego non prohibeo. *Idem libro tertio, capite decimo ſexto.*

K. Dicebat Antonius. Si dæmones ſimulantes ſe diuinationem habere venturos fratres nunciauerint, & affuerint, quos prædixerant affuturos, in hoc nullum in Chriſtiano debet eſſe miraculum. Non enim ea quæ nondum fieri cœpta ſunt referunt: quia Deus ſolus eſt conſcius futurorum, ſed quorum conſpiciunt in actu initium, eorum ſibi tanquam fures de futuris apud ignaros vendicāt notionem. Hoc quod dico poteſt clarum fieri exemplis, ſi quis à Thebaida aut alicuius regionis oppido cœperit proficiſci, & hunc dæmones viderint in itinere ambulantem, perniciter poſſunt prædicere venientem. Ita & de Nili inundatione ſolenni cum multas in Æthiopia viderint pluuias è quibus fluuius intumeſcens vltra alueum conſueuit effluere præcurrentes ad Ægyptum nunciant amnis aduentum. Hæc gentilitatis fuêre principia &c. Verum vt concedamus dæmones paulisper vera nunciare, reſpondete mihi quis fructus eſt noſſe veniētia? Nunquam aut ſciens hæc aliquando laudatus eſt, aut punitus eſt, neſciēs in hoc ſibi vnuſquiſq; præparat tormenta ſeu gloriam, ſi vel negligat ſcripturarum mandata, vel faciat curandum non præſcire quæ veniant, ſed implere quæ iuſſa ſunt. Sed ſi fortè hoc aliquis libenter aſſumat, vt futura cognoſcat, habeat purum cor, quia credo animam Deo ſeruientem ſi in ea perſeuerauerit integritate, qua nata eſt plus ſcire poſſe quàm dæmones. Talis erat anima Helizæi, qui alijs incognitas virtutes referebat. *Athanaſius in vita ſancti Antonij.*

Quodam tempore, inquit Antonius, dæmones cum ingenti venientes luce dixerunt. Venimus Antoni noſtrum tibi præbere fulgorem. Ego autem clauſis oculis, quia lucē diaboli dedignabar aſpicere, orabam, & dicto citiùs impiorum lumen extinguebatur. *Ibidem.* L.

Vidimus apud Thebaidem mirabilem virum, nomine Hor, hic narrabat. Scio, inquit, hominem in eremo per tres annos nullum ſumpſiſſe cibum. Angelus enim Dei tertio quoque die eſcam deferebat ei cæleſtē. *Et iterū* ſcio huiuſmodi hominē quia venerūt ad eū dæmones, in ſpecie cæleſtis militiæ & habitu Angelorum currus igneos agentes plurimo apparatu tanquam magnum aliquem Regem deducentes, iſque qui à cæteris vt Rex haberi videbatur, dicebat ad illum, qui hæc videbat. Impleſti omnia, ô homo, ſupereſt vt me adores, & te transferam, ſicut Eliam. Sed monachus hoc audiens dicebat in corde ſuo: Quid eſt hoc quod dicitur? Ego quotidie Saluatorem, qui eſt Rex meus, adoro. Hic ſi ille eſſet, quomodo à me poſceret, quod indeſinenter me facere ſciret? Et poſt hæc reſpondit ad ipſum: Ego habeo meum Regem quem inceſſanter adoro, tu autem fallax, non es Rex meus. Et continuo ad hæc verba inimicus diſparuit. Verum hæc ille, quaſi de alio narrans ſua geſta ſub alterius perſona memorabat. *In vitis Patrū, ſub titulo de Abbate Hor.* M.

Moy-

N. Moyses Æthiops genere, latro publicus, & homicida fuisse dicebatur. Compunctus autem ad monasteriũ perrexit, & pænitentiam vehementer arripuit. *Et infra.* Tantam verò gratiam aduersus dæmones promeruit, vt nos amplius à muscis quam à dæmonibus ille terreretur. *Heraclides in libro, qui dicitur Paradisus.*

O. Sanctus Euagrius monachus bonorum & malorum spirituum differentias nouit, artesque quibus dæmones subiugari possent, monstrauit. *Heraclides ibidem, alias Lausiaca historia.*

P**. Satis nobis & experientia nostra & seniorum relatione compertum est, non eandem vim habere nunc dæmones quam anteriori tempore inter Anachoretarũ dumtaxat principia, in quibus adhuc erat monachorum raritas in eremo. Tanta nãque erat eorum feritas, vt vix pauci, & admodum stabiles & ætate prouecti tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem in ipsis cœnobijs in quibus commorabantur octo vel decem ita eorũ feritas grassabatur, & frequentes ac visibiles sẽtiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter obdormire: sed vicissim alijs degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes vigilabant, cumque ad soporem illos naturæ necessitas inuitasset, alijsq; expergefactis ad eorum, qui dormituri erant, custodiam similiter excubabãt. Aut enim virtute crucis Domini etiam deserta penetrante, & vbique eius gratia coruscante, retusa est nequitia dæmonum, aut negligentia nostra illos ab infestatione pristina reddidit lentiores, dum dedignantur aduersum nos illa intentione confligere, qua tunc contra illos *Christi* probatissimos milites sæuiebant. *Verba sunt Abbatis Sereni, in collationibus Patrum quas scripsit Cassianus collatione sexta, capite vigesimo-tertio.*

Dixit Abbas Serenus, tot esse immundos spiritus, quot in hominibus studia non dubiè comprobatur. Q. Nam nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita seductores & ioculatores esse manifestum est, vt certa quæque loca seu vias iugiter obsidentes nequaquam tormẽtis eorum quos prætereuntes potuerint decipere delectentur, sed derisu tantum & illusione contenti fatigare eos potius studeant, quam nocere. Quosdam solum innocuis hominum incubationibus pernoctare: alios ita esse furori & truculentiæ deditos, vt non contenti sint illorum tantum corpora, quos suppleuerint, atroci dilaceratione vexare, sed etiã irruere super transeuntes, & occidere festinant, quales illi in Euangelio describuntur, ob quorum metum per illam viam nullus transire audebat, quos eorumque consimiles bellis & sanguinis effusione gaudere non dubium est. Alios reperimus nõ solum studere mendacijs, sed etiam blasphemias hominibus inspirare, cuius rei etiam nos testes sumus, qui audiuimus apertè dæmonem confitentem per Arrium & Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Deinde explicatur de multis alijs generibus dæmonum & eorum appellationibus. *In collationibus Patrũ quas scripsit Cassianus, collatione sexta, capite trigesimo-secundo.*

Regi immũdos spiritus à nequioribus potestatibus eisque esse subiectos præter scripturarum testimonia, etiam visiones & experimenta sanctorum multa nos edocent. Nam cum vnus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, aduesperascẽte R*.

vsitata arte pellere ex eo specu molitus est, nam amicam bestiam scilicet serpentem ingressus, hunc ab eadem habitatione eijcere, facto terrore, conatus est. Cœpit enim serpens in spelunca manere, Solus cum solo, & cum cubante pariter cubare, sed vir sanctus omnino imperterritus, eius ori manum vel pedem admouebat, dicens: Si licentiam accepisti, vt ferias, ego non prohibeo. *Idem libro tertio, capite decimo sexto.*

K. Dicebat Antonius. Si dæmones simulantes se diuinationem habere venturos fratres nunciauerint, & affuerint, quos prædixerant affuturos, in hoc nullum in Christiano debet esse miraculum. Non enim ea quæ nondum fieri cœpta sunt referunt: quia Deus solus est conscius futurorum, sed quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tanquam fures de futuris apud ignaros vendicãt notionem. Hoc quod dico potest clarum fieri exemplis, si quis à Thebaida aut alicuius regionis oppido cœperit proficisci, & hunc dæmones viderint in itinere ambulantem, perniciter possunt prædicere venientem. Ita & de Nili inundatione solenni cum multas in Æthiopia viderint pluuias è quibus fluuius intumescens vltra alueum consueuit effluere præcurrentes ad Ægyptum nunciant amnis aduentum. Hæc gentilitatis fuêre principia &c. Verum vt concedamus dæmones paulisper vera nunciare, respondete mihi quis fructus est nosse venientia? Nunquam aut sciens hæc aliquando laudatus est, aut punitus est, nesciẽs in hoc sibi vnusquisq; præparat tormenta seu gloriam, si vel negligat scripturarum mandata, vel faciat curandum non præscire quæ veniant, sed implere quæ iussa sunt. Sed si fortè hoc aliquis libenter assumat, vt futura cognoscat, habeat purum cor, quia credo animam Deo seruientem si in ea perseuerauerit integritate, qua nata est plus scire posse quàm dæmones. Talis erat anima Helizæi, qui alijs incognitas virtutes referebat. *Athanasius in vita sancti Antonij.*

Quodam tempore, inquit Antonius, dæmones cum ingenti venientes luce dixerunt. Venimus Antoni nostrum tibi præbere fulgorem. Ego autem clausis oculis, quia lucẽ diaboli dedignabar aspicere, orabam, & dicto citiùs impiorum lumen extinguebatur. *Ibidem.* L.

Vidimus apud Thebaidem mirabilem virum, nomine Hor, hic narrabat. Scio, inquit, hominem in eremo per tres annos nullum sumpsisse cibum. Angelus enim Dei tertio quoque die escam deferebat ei cælestẽ. *Et iterũ* scio huiusmodi hominẽ quia venerũt ad eũ dæmones, in specie cælestis militiæ & habitu Angelorum currus igneos agentes plurimo apparatu tanquam magnum aliquem Regem deducentes, isque qui à cæteris vt Rex haberi videbatur, dicebat ad illum, qui hæc videbat. Implesti omnia, ô homo, superest vt me adores, & te transferam, sicut Eliam. Sed monachus hoc audiens dicebat in corde suo: Quid est hoc quod dicitur? Ego quotidie Saluatorem, qui est Rex meus, adoro. Hic si ille esset, quomodo à me posceret, quod indesinenter me facere sciret? Et post hæc respondit ad ipsum: Ego habeo meum Regem quem incessanter adoro, tu autem fallax, non es Rex meus. Et continuo ad hæc verba inimicus disparuit. Verum hæc ille, quasi de alio narrans sua gesta sub alterius persona memorabat. *In vitis Patrũ, sub titulo de Abbate Hor.* M.

Moy-

N. Moyses Æthiops genere, latro publicus, & homicida fuisse dicebatur. Compunctus autem ad monasteriũ perrexit, & pœnitentiam vehementer arripuit. *Et infra.* Tantam verò gratiam aduersus dæmones promeruit, vt nos amplius à muscis quam à dæmonibus ille terreretur. *Heraclides in libro, qui dicitur Paradisus.*

O. Sanctus Euagrius monachus bonorum & malorum spirituum differentias nouit, artesque quibus dæmones subiugari possent, monstrauit. *Heraclides ibidem, alias Lausiaca historia.*

P**. Satis nobis & experientia nostra & seniorum relatione compertum est, non eandem vim habere nunc dæmones quam anteriori tempore inter Anachoretarũ dumtaxat principia, in quibus adhuc erat monachorum raritas in eremo. Tanta nãque erat eorum feritas, vt vix pauci, & admodum stabiles & ætate prouecti tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem in ipsis cœnobijs in quibus commorabantur octo vel decem ita eorũ feritas grassabatur, & frequentes ac visibiles sẽtiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter obdormire: sed vicissim alijs degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes vigilabant, cumque ad soporem illos naturæ necessitas inuitasset, alijsq; expergefactis ad eorum, qui dormituri erant, custodiam similiter excubabãt. Aut enim virtute crucis Domini etiam deserta penetrante, & vbique eius gratia coruscante, retusa est nequitia dæmonum, aut negligentia nostra illos ab infestatione pristina reddidit lentiores, dum dedignantur aduersum nos illa intentione confligere, qua tunc contra illos *Christi* probatissimos milites sæuiebant. *Verba sunt Abbatis Sereni, in collationibus Patrum quas scripsit Cassianus collatione sexta, capite vigesimo-tertio.*

Dixit Abbas Serenus, tot esse immundos spiritus, quot in hominibus studia non dubiè comprobatur. Q. Nam nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita seductores & ioculatores esse manifestum est, vt certa quæque loca seu vias iugiter obsidentes nequaquam tormẽtis eorum quos prætereuntes potuerint decipere delectentur, sed derisu tantum & illusione contenti fatigare eos potius studeant, quam nocere. Quosdam solum innocuis hominum incubationibus pernoctare: alios ita esse furori & truculentiæ deditos, vt non contenti sint illorum tantum corpora, quos suppleuerint, atroci dilaceratione vexare, sed etiã irruere super transeuntes, & occidere festinant, quales illi in Euangelio describuntur, ob quorum metum per illam viam nullus transire audebat, quos eorumque consimiles bellis & sanguinis effusione gaudere non dubium est. Alios reperimus nõ solum studere mendacijs, sed etiam blasphemias hominibus inspirare, cuius rei etiam nos testes sumus, qui audiuimus apertè dæmonem confitentem per Arrium & Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Deinde explicatur de multis alijs generibus dæmonum & eorum appellationibus. *In collationibus Patrũ quas scripsit Cassianus, collatione sexta, capite trigesimo-secundo.*

Regi immũdos spiritus à nequioribus potestatibus eisque esse subiectos præter scripturarum testimonia, etiam visiones & experimenta sanctorum multa nos edocent. Nam cum vnus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, aduesperascẽte R*.

 die

vsitata arte pellere ex eo specu molitus est, nam amicam bestiam scilicet serpentem ingressus, hunc ab eadem habitatione eijcere, facto terrore, conatus est. Cœpit enim serpens in spelunca manere, Solus cum solo, & cum cubante pariter cubare, sed vir sanctus omnino imperterritus, eius ori manum vel pedem admouebat, dicens: Si licentiam accepisti, vt ferias, ego non prohibeo. *Idem libro tertio, capite decimo sexto.*

K.* Dicebat Antonius. Si dæmones simulantes se diuinationem habere venturos fratres nunciauerint, & affuerint, quos prædixerant affuturos, in hoc nullum in Christiano debet esse miraculum. Non enim ea quæ nondum fieri cœpta sunt referunt: quia Deus solus est conscius futurorum, sed quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tanquam fures de futuris apud ignaros vendicãt notionem. Hoc quod dico potest clarum fieri exemplis, si quis à Thebaida aut alicuius regionis oppido cœperit proficisci, & hunc dæmones viderint in itinere ambulantem, perniciter possunt prædicere venientem. Ita & de Nili inundatione solenni cum multas in Æthiopia viderint pluuias è quibus fluuius intumescens vltra alueum consueuit effluere præcurrentes ad Ægyptum nunciant amnis aduentum. Hæc gentilitatis fuêre principia &c. Verum vt concedamus dæmones paulisper vera nunciare, respondete mihi quis fructus est nosse veniẽtia? Nunquam aut sciens hæc aliquando laudatus est, aut punitus est, nesciẽs in hoc sibi vnusquisq; præparat tormenta seu gloriam, si vel negligat scripturarum mandata, vel faciat curandum non præscire quæ veniant, sed implere quæ iussa sunt. Sed si fortè hoc aliquis libenter assumat, vt futura cognoscat, habeat purum cor, quia credo animam Deo seruientem si in ea perseuerauerit integritate, qua nata est plus scire posse quàm dæmones. Talis erat anima Helizæi, qui alijs incognitas virtutes referebat. *Athanasius in vita sancti Antonij.*

Quodam tempore, inquit Antonius, dæmones cum ingenti venientes luce dixerunt. Venimus Antoni nostrum tibi præbere fulgorem. Ego autem clausis oculis, quia lucẽ diaboli dedignabar aspicere, orabam, & dicto citiùs impiorum lumen extinguebatur. *Ibidem.* L.

Vidimus apud Thebaidem mirabilem virum, nomine Hor, hic narrabat. Scio, inquit, hominem in eremo per tres annos nullum sumpsisse cibum. Angelus enim Dei tertio quoque die escam deferebat ei cæleste. *Et iterũ* scio huiusmodi hominẽ quia venerũt ad eũ dæmones, in specie cælestis militiæ & habitu Angelorum currus igneos agentes plurimo apparatu tanquam magnum aliquem Regem deducentes, isque qui à cæteris vt Rex haberi videbatur, dicebat ad illum, qui hæc videbat. Implesti omnia, ô homo, superest vt me adores, & te transferam, sicut Eliam. Sed monachus hoc audiens dicebat in corde suo: Quid est hoc quod dicitur? Ego quotidie Saluatorem, qui est Rex meus, adoro. Hic si ille esset, quomodo à me posceret, quod indesinenter me facere sciret? Et post hæc respondit ad ipsum: Ego habeo meum Regem quem incessanter adoro, tu autem fallax, non es Rex meus. Et continuo ad hæc verba inimicus disparuit. Verum hæc ille, quasi de alio narrans sua gesta sub alterius persona memorabat. *In vitis Patrũ, sub titulo de Abbate Hor.* M.*

Moy-

N. Moyses Æthiops genere, latro publicus, & homicida fuisse dicebatur. Compunctus autem ad monasteriũ perrexit, & pænitentiam vehementer arripuit. *Et infra.* Tantam verò gratiam aduersus dæmones promeruit, vt nos amplius à muscis quam à dæmonibus ille terreretur. *Heraclides in libro, qui dicitur Paradisus.*

O. Sanctus Euagrius monachus bonorum & malorum spirituum differentias nouit, artesque quibus dæmones subiugari possent, monstrauit. *Heraclides ibidem, alias Lausiaca historia.*

P**. Satis nobis & experientia nostra & seniorum relatione compertum est, non eandem vim habere nunc dæmones quam anteriori tempore inter Anachoretarũ dumtaxat principia, in quibus adhuc erat monachorum raritas in eremo. Tanta nãque erat eorum feritas, vt vix pauci, & admodum stabiles & ætate prouecti tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem in ipsis cœnobijs in quibus commorabantur octo vel decem ita eorũ feritas grassabatur, & frequentes ac visibiles sẽtiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter obdormire: sed vicissim alijs degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes vigilabant, cumque ad soporem illos naturæ necessitas inuitasset, alijsq; expergefactis ad eorum, qui dormituri erant, custodiam similiter excubabãt. Aut enim virtute crucis Domini etiam deserta penetrante, & vbique eius gratia coruscante, retusa est nequitia dæmonum, aut negligentia nostra illos ab infestatione pristina reddidit lentiores, dum dedignantur aduersum nos illa intentione confligere, qua tunc contra illos *Christi* probatissimos milites sæuiebant. *Verba sunt Abbatis Sereni, in collationibus Patrum quas scripsit Cassianus collatione sexta, capite vigesimo-tertio.*

Q. Dixit Abbas Serenus, tot esse immundos spiritus, quot in hominibus studia non dubiè comprobatur. Nam nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita seductores & ioculatores esse manifestum est, vt certa quæque loca seu vias iugiter obsidentes nequaquam tormẽtis eorum quos prætereuntes potuerint decipere delectentur, sed derisu tantum & illusione contenti fatigare eos potius studeant, quam nocere. Quosdam solum innocuis hominum incubationibus pernoctare: alios ita esse furori & truculentiæ deditos, vt non contenti sint illorum tantum corpora, quos suppleuerint, atroci dilaceratione vexare, sed etiã irruere super transeuntes, & occidere festinant, quales illi in Euangelio describuntur, ob quorum metum per illam viam nullus transire audebat, quos eorumque consimiles bellis & sanguinis effusione gaudere non dubium est. Alios reperimus nõ solum studere mendacijs, sed etiam blasphemias hominibus inspirare, cuius rei etiam nos testes sumus, qui audiuimus apertè dæmonem confitentem per Arrium & Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Deinde explicatur de multis alijs generibus dæmonum & eorum appellationibus. *In collationibus Patrũ quas scripsit Cassianus, collatione sexta, capite trigesimo-secundo.*

R*. Regi immũdos spiritus à nequioribus potestatibus eisque esse subiectos præter scripturarum testimonia, etiam visiones & experimenta sanctorum multa nos edocent. Nam cum vnus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, aduesperascẽte

vsitata arte pellere ex eo specu molitus est, nam amicam bestiam scilicet serpentem ingressus, hunc ab eadem habitatione eijcere, facto terrore, conatus est. Cœpit enim serpens in spelunca manere, Solus cum solo, & cum cubante pariter cubare, sed vir sanctus omnino imperterritus, eius ori manum vel pedem admouebat, dicens: Si licentiam accepisti, vt ferias, ego non prohibeo. *Idem libro tertio, capite decimo sexto.*

K. Dicebat Antonius. Si dæmones simulantes se diuinationem habere venturos fratres nunciauerint, & affuerint, quos prædixerant affuturos, in hoc nullum in Christiano debet esse miraculum. Non enim ea quæ nondum fieri cœpta sunt referunt: quia Deus solus est conscius futurorum, sed quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tanquam fures de futuris apud ignaros vendicāt notionem. Hoc quod dico potest clarum fieri exemplis, si quis à Thebaida aut alicuius regionis oppido cœperit proficisci, & hunc dæmones viderint in itinere ambulantem, perniciter possunt prædicere venientem. Ita & de Nili inundatione solenni cum multas in Æthiopia viderint pluuias è quibus fluuius intumescens vltra alueum consueuit effluere præcurrentes ad Ægyptum nunciant amnis aduentum. Hæc gentilitatis fuêre principia &c. Verum vt concedamus dæmones paulisper vera nunciare, respondete mihi quis fructus est nosse ventētia? Nunquam aut sciens hæc aliquando laudatus est, aut punitus est, nesciēs in hoc sibi vnusquisq; præparat tormenta seu gloriam, si vel negligat scripturarum mandata, vel faciat curandum non præscire quæ veniant, sed implere quæ iussa sunt. Sed si fortè hoc aliquis libenter assumat, vt futura cognoscat, habeat purum cor, quia credo animam Deo seruientem si in ea perseuerauerit integritate, qua nata est plus scire posse quàm dæmones. Talis erat anima Helizæi, qui alijs incognitas virtutes referebat. *Athanasius in vita sancti Antonij.*

Quodam tempore, inquit Antonius, dæmones cum ingenti venientes luce dixerunt. Venimus Antoni nostrum tibi præbere fulgorem. Ego autem clausis oculis, quia lucē diaboli dedignabar aspicere, orabam, & dicto citiùs impiorum lumen extinguebatur. *Ibidem.* L.

Vidimus apud Thebaidem mirabilem virum, nomine Hor, hic narrabat. Scio, inquit, hominem in eremo per tres annos nullum sumpsisse cibum. Angelus enim Dei tertio quoque die escam deferebat ei cælestē. *Et iterū* scio huiusmodi hominē quia venerūt ad eū dæmones, in specie cælestis militiæ & habitu Angelorum currus igneos agentes plurimo apparatu tanquam magnum aliquem Regem deducentes, isque qui à cæteris vt Rex haberi videbatur, dicebat ad illum, qui hæc videbat. Implesti omnia, ô homo, superest vt me adores, & te transferam, sicut Eliam. Sed monachus hoc audiens dicebat in corde suo: Quid est hoc quod dicitur? Ego quotidie Saluatorem, qui est Rex meus, adoro. Hic si ille esset, quomodo à me posceret, quod indesinenter me facere sciret? Et post hæc respondit ad ipsum: Ego habeo meum Regem quem incessanter adoro, tu autem fallax, non es Rex meus. Et continuo ad hæc verba inimicus disparuit. Verum hæc ille, quasi de alio narrans sua gesta sub alterius persona memorabat. *In vitis Patrū, sub titulo de Abbate Hor.* M.

Moy-

N. Moyses Æthiops genere, latro publicus, & homicida fuisse dicebatur. Compunctus autem ad monasteriũ perrexit, & pænitentiam vehementer arripuit. *Et infra.* Tantam verò gratiam aduersus dæmones promeruit, vt nos amplius à muscis quam à dæmonibus ille terreretur. *Heraclides in libro, qui dicitur Paradisus.*

O. Sanctus Euagrius monachus bonorum & malorum spirituum differentias nouit, artesque quibus dæmones subiugari possent, monstrauit. *Heraclides ibidem, alias Lausiaca historia.*

P**. Satis nobis & experientia nostra & seniorum relatione compertum est, non eandem vim habere nunc dæmones quam anteriori tempore inter Anachoretarũ dumtaxat principia, in quibus adhuc erat monachorum raritas in eremo. Tanta nãque erat eorum feritas, vt vix pauci, & admodum stabiles & ætate prouecti tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem in ipsis cœnobijs in quibus commorabantur octo vel decem ita eorũ feritas grassabatur, & frequentes ac visibiles sẽtiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter obdormire: sed vicissim alijs degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes vigilabant, cumque ad soporem illos naturæ necessitas inuitasset, alijsq; expergefactis ad eorum, qui dormituri erant, custodiam similiter excubabãt. Aut enim virtute crucis Domini etiam deserta penetrante, & vbique eius gratia coruscante, retusa est nequitia dæmonum, aut negligentia nostra illos ab infestatione pristina reddidit lentiores, dum dedignantur aduersum nos illa intentione confligere, qua tunc contra illos *Christi* probatissimos milites sæuiebant. *Verba sunt Abbatis Sereni, in collationibus Patrum quas scripsit Cassianus collatione sexta, capite vigesimo-tertio.*

Dixit Abbas Serenus, tot esse immundos spiritus, quot in hominibus studia non dubiè comprobatur. Q. Nam nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita seductores & ioculatores esse manifestum est, vt certa quæque loca seu vias iugiter obsidentes nequaquam tormẽtis eorum quos prætereuntes potuerint decipere delectentur, sed derisu tantum & illusione contenti fatigare eos potius studeant, quam nocere. Quosdam solum innocuis hominum incubationibus pernoctare: alios ita esse furori & truculentiæ deditos, vt non contenti sint illorum tantum corpora, quos suppleuerint, atroci dilaceratione vexare, sed etiã irruere super transeuntes, & occidere festinant, quales illi in Euangelio describuntur, ob quorum metum per illam viam nullus transire audebat, quos eorumque consimiles bellis & sanguinis effusione gaudere non dubium est. Alios reperimus nõ solum studere mendacijs, sed etiam blasphemias hominibus inspirare, cuius rei etiam nos testes sumus, qui audiuimus apertè dæmonem confitentem per Arrium & Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Deinde explicatur de multis alijs generibus dæmonum & eorum appellationibus. *In collationibus Patrũ quas scripsit Cassianus, collatione sexta, capite trigesimo-secundo.*

Regi immũdos spiritus à nequioribus potestatibus eisque esse subiectos præter scripturarum testimonia, etiam visiones & experimenta sanctorum multa nos edocent. Nam cum vnus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, aduesperascẽte R*.

 die

die antrum quoddam introiuit vespertinam volens synaxim in eo celebrare. Cumque post mediam noctem reticeret corpus lassum, repentè cæpit cateruas dæmonum intueri. Tādem Princeps eorum cæteris terribilior aduenit, ac posito solio cùm sedisset, vniuersos actus cæpit discutere, illosque qui necdum se circumuenisse æmulos suos potuisse dicebāt velut inertes à conspectu suo iubebat expelli. Cum autem quidam nequissimus spiritus lætior aduenisset, nomen monachi optimè cogniti designauit, asserens post quindecim annos, quibus eum iugiter obsedisset, tādem pręualuisse se, vt eum eadē nocte fornicationis ruina eliderer. Nam cum quadam sacra puella non solum impulisse vt stupri crimen incurreret, sed etiam persuasisse, vt eā sibi coniugij iure retentaret super cuius relatione cum immaue fuisset pro hoc omnibus gaudium, summis à Principe laudibus eleuatus abscessit. Aurora itaque superueniente cū euanuisset dæmonū multitudo, dubitans frater de assertione immundi spiritus, Pelusium petijt, vbi monachum illum nouerat commorari, quem cum reperisset, intellexit vera esse quæ audiuerat. Verba sunt *Abbatis Sereni in collat. Patrum quas scripsit Cassianus collatione septima, capite decimo-sexto.*

S. Sciendum est duobus modis spiritus immundos hominibus obedire. Aut enim sanctitati fidelium diui a gratia & virtute subduntur, aut sacrificijs impiorum: seu carminibus deliniti, velut familiaribus adulantur, qua opinione Pharisæi decepti, arbitrati sunt etiam Saluatorem hac arte dæmonibus imperasse, dicentes, In Beelsebub principe dæmoniorum hic eijcit dæmones se- *Luca 11.*

cundum illam scil. consuetudinem qua nouerant suos magos per inuocationem nominis illius ac ritum sacrificiorum, quo eum delectari sciunt, velut domesticos eius habere etiam in dæmones ei subditos potestatem. *Eodem libro capite decimo-nono.*

Venerabilis Bonifacius Lausanensis Episcopus, me audiente, quod sequitur, recitauit. Erat in quadam villa cæcus quidam, qui vaccas totius villæ in pascuis custodiebat, repellebat à frugibus, & quod magis mirum erat, colores & statum singularum specialiter discernebat. Ad locum autem cum quidam Episcopus venisset, & de cæco audiuisset talia & probasset, quæsiuit ab ipso si sacramentum confirmationis ab Episcopo suscepisset, & ille non, inquit. Nec mora, Episcopus confessum confirmauit, & mox ab eo vaccarum discretio est sublata, quæ operatione dæmonum fiebat. *Cantipratanus in libro secundo, de apibus capite quinquagesimo-septimo.* T*.

Item, vide Angelus. a. b. Aqua benedicta. a. Baptismus. a. Benedictus. e. Crux. e. g. Diabolus dæmoniacus dij gentium per totum. Fantasma. a. Miraculum. a. a b. a o. a p. tempestas. b.

DÆMONIACVS.

Ex vno hominis ore, scilicet à dæmonum legione possessi, diuersę voces & quasi confusus populi clamor audiebatur. *S. Hieronymus in vita Hilarionis.* A.

Dixit Abbas Serenus nonnunquam in illis membris, in quibus vigor animæ continetur, immundus spiritus insidens eisque immensum B.

ſum pondus imponens, obſcuritate teterrima intellectuales eius obruit, & intercipit ſenſus. Sæpe etiam vini febriſque vitio, alijſque morbis videmus accidere, quod ne beato Iob diabolus moliretur inferre, præcepto Domini prohibetur dicentis. Ecce trado eum in manus tuas, tantum animam eius cuſtodi, id eſt tantummodo amentem eum ne facias. *In collationibus Patrum quas ſcripſit Caßianus collatione ſeptima, capite duodecimo.*

C. Corporaliter traditos Sathanæ vel infirmitatibus etiam viros ſanctos nouimus pro leuiſſimis etiam delictis, ſcilicet, ad eorum purgationem, cuius rei noſtris quoque temporibus contigit ſatis aperta probatio in Abbate Paulo & Moyſe. Abbas enim Paulus in tantam cordis puritatem profecerat, vt non dicam vultum fœmineum, ſed nec veſtimenta quidem ſexus illius in conſpectu ſuo pateretur offerri. Nam cum eidem pergenti ad cuiuſdam ſenioris cellam vnà cum Abbate Archebio eiuſdem ſolitudinis accola caſu mulier obuiaſſet, offenſus eius occurſu tanta fuga ad ſuum monaſterium recurrit, quanta nullus à facie leonis aufugeret, ita vt nec memorati Archebij reuocantis eum clamore ac precibus flecteretur, quod licet zelo caſtitatis & puritatis ardore fit factum, tamen quia non ſecundum ſcientiam præſumptum eſt ſed obſeruantię diſciplinæ iuſtæque diſtrictionis exceſſus eſt modus. Non enim ſolam familiaritatem, quæ veré eſt noxia fœminarum, ſed ipſam quoque figuram ſexus illius credidit execrandam. Eo autem redactus eſt, vt infirmitati eius nullo modo virorum diligentia deſeruire ſufficeret, niſi ſola ei muliebris ſedulitas miniſtraſſet: nam delato ad ſacrarum virginum cœnobium eadem illi diligentia per annos fermè quatuor, id eſt, vſque ad vitæ ſuæ terminum ſeruiebat. Nihilominus ex eo tanta virtutum gratia procedebat, vt cum de oleo eius vngerentur infirmi, confeſtim curarentur. Moyſes autem in hac eremo commoratus, cum ipſe quoque irreprehenſibilis vitæ eſſet, ob reprehenſionem vnius ſermonis, quem contra Abbatem Macarium diſputans paulo durius protulit, quadam, ſcil. opinione præuentus, tam diro confeſtim traditus eſt dæmoni, vt humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret, quod flagellum gratia purgationis Dominus ſe intuliſſe, velocitate curationis eius atque auctore remedij demonſtrauit. Nam continuo Abbate Macario in oratione ſubmiſſo, dicto citiùs nequam ſpiritus ab eo fugatus diſceſſit. Verba ſunt *Abbatis Sereni in collationibus Patrum quas ſcripſit Caßianus collatione ſeptima, capitulis 24. & ſeq.*

D. Interrogauit Abbas Germanus Abbatem Serenum dicens; Quomodo obſeſſos à dæmone non ſolum deſpici ab hominibus vel horreri, ſed à communione dominica in noſtris prouincijs perpetuò vidimus abſtinere ſecundum illud Euangelij nolite ſanctum dare canibus &c. cum de illis vt dicis credendum ſit, quod eis purgationis vel vtilitatis obtentu huiuſmodi tentationis humiliatio tribuatur? Reſpondit Serenus: Si habuimus hanc fidem, vt & omnia per Deum fieri, & pro vtilitate animarum diſpenſari vniuerſa credamus, non ſolum non reſpiciemus eos, ſed etiam pro ipſis tanquam pro mem-

membris nostris incessanter orabimus. Communionem verò eis à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam, quinimo si possibile esset, etiam quotidie eis impertiri debere censebant. Hoc namque modo curatum & Abbatem Andronicum aspeximus, aliosque complures, magis enim ac magis inimicus insultabit obsesso, cum eum à cælesti medicina viderit segregatum, tantoque durius ac frequentius tentabit, quanto eum à spirituali remedio longius senserit abdicatum. *Cassianus in collat. Patrum, collat. 7. capitulis 29. & 23.*

E. Dixit Abbas Serenus: Illi sunt verè miseri ac miserabiles, qui cum se vniuersis criminibus contaminent, non solum in eis visibiliter vllum diabolicæ obsessionis signum ostenditur, sed neque aliqua quidem operibus eorum condigna tentatio, nec vllum flagellum correptionis infertur. Non enim merentur celerem temporis istius medicinam, quorum cor impœnitens pœnam vitæ præsentis excedens thesaurizat sibi iram in die reuelationis iusti iudicij Dei. *Vbi supra cap. 31.*

F. Nonnulli paruuli per lauacrum regenerationis ab originalis peccati vinculo iam soluti incursus spirituũ malignorum aliquando patiuntur, quæ quidem passio absit vt eis obsit, si hanc vitam in illa ætate etiam passione ingrauescente & animam de corpore excludente finierint. *Augustinus de ciuitate Dei libro vigesimo-primo, capite decimo quinto.*

G. Contra milleformes dæmonum incursus quis innocentia sua fidit? quandoquidem ne quis fideret etiã baptizatos paruulos quibus nihil est innocentius aliquando sic vexant, vt in eis maximè Deo ista sinente monstretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda fœlicitas. *Idem lib. 22. cap. 22.*

H. Cum quendam arripuisset dæmonium, sæuire dentibus miser cœpit & obuios laniare. Beatus autẽ Martinus se furenti obtulit, ac primum stare præcepit, sed cum dentibus fremeret, morsumque minaretur, digitos ei in os intulit dicens. Si habes aliquid potestatis, hos deuora. Cum verò ac si candens ferrum faucibus longè reductis dentibus accepisset, digitos beati viri vitabat, & cum fugere de obsesso corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen per os exire liceret fæda, relinquens vestigia fluxu ventris est eiectus. *In libro quem de vita sancti Martini scripsit Seuerus, quem inter viros illustres connumerat Gennadius.*

Item, vide Exorcismus. a. b. Fornicatio. l. Magia. f. Ordo. a. Patientia. g. Proprietarius. b.

DEMOSTHENES.

Vide Eloquentia. a. b. c. k.

DEPOSITVM.

Vide Iulianus Apostata. g.

DESPERATIO.

A. Q. Metellus cum apud Contrebiam res gereretur edixit vt si quis ex bellatoribus suis fugiens castra petisset pro hoste interficeretur. Qua seueritate compressi milites & corporibus fatigatis & animis desperatione vitæ implicatis loci tamen iniquitatem multitudinẽque hostium superarunt. Humanæ igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas. *Valerius Maximus libro secundo, capite septimo, a. Velleius Paterculus, Iul. Frontinus libro quarto, capite primo, & Scriptor de viris illustribus cap. 61.*

Leoni-

B. Leonidas nobilis Spartanus occidere dimicans, quam assignatam sibi à patria statioñé deserere maluit, ideoque tam alacri animo suos ad id prælium, quo perituri erant, cohortatus est, vt diceret: Sic prandete cōmilitones quasi apud inferos cænaturi. Mors erat denunciata: Lacedæmonij perinde ac si victoria promissa esset ductori paruerunt. *Idem libro tertio, capite secundo. Herod. libro septimo. Diodorus libro vndecimo. Pausanias libro tertio. Cicero 2. de finibus, & primo Tuscul. Quæstion. Iustinus lib. 2. Pauli. Orosius lib. 2. cap. 9.*

Item, vide Audacia. a. Bellum. a.

Detractio.

A*. Si quis alicui detrahere incipiebat, hunc beatus Ioannes Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus per alteram sermociniationem vt sapiens ingeniosé remouebat. *Vincent. in Speculo hist. lib. 23. cap. 109.*

B*. Post mortem beati Gregorij regionem totam maxima fames inuasit. Vnde pauperes, quos B. Gregorius liberaliter pascere solebat, ad successorem suum Sabinianum venientes dicebant: Quos pater noster Gregorius pascere solebat, tua sanctitas non sinat fame perire. Quibus verbis Papa indignatus semper respondebat: Si Gregorius ad famam suæ laudis cunctos populos curauit suspicere, nos non possumus pascere, & sic eos semper vacuos remittebat. Vnde Gregorius ter ei apparuit, & ter blādè de sua tenacitate & detractione corripuit, sed ille de nullo se emendare curauit. Vnde quartò illi apparens eum terribiliter corripuit & redarguit, & in capite læthaliter percussit, cuius dolore vexatus vitam in breui finiuit. *In aurea legenda sub titulo de sancto Gregorio, & in Chronicis Martini Poloni. Platina in Sabiniano.*

C. Quidam presbyter cum in conuiuio cum multis alijs esset, & beato Ambrosio detrahere cœpisset, eum continuo plaga perculit, & de conuiuio ad lectum adductus vitam finiuit. *In aurea legenda sub titulo de sancto Ambrosio.*

D. Cum beato Lupo Archiepiscopo Senonensi omnes de curia sua detraherent, eo quod filiam virginē prædecessoris sui nimis immoderatè amaret, coram detrahentibus ipsam virginem osculatus est apprehendēs illam dicens. Nil nocent homini verba aliena quem propria non maculat conscientia. *In aurea legenda sub titulo de sancto Lupo.*

E. Cum Tiberius Augusto Cæsari per epistolam quæreretur quod multi de illo perperam loquerentur ita rescripsit. M. Tiberi noli nimis indignari quenquam esse qui de te mala loquatur, satis enim est si hoc habemus ne quis nobis malefacere possit. *Suetonius libro secundo de 12. Cæsaribus, & Ioannes Saleb. in Polycratico libro tertio, capite decimo-quarto.*

F. *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ & lingua eorū gladius acutus &c.* Ps. 56. Verum ad hæc vulnera quæ ex lingua inter homines infliguntur, medicus pœnè nullus est, & ideò conuerti me ad cælestem istum medicum qui mihi antydotum potentissimum dedit de sui pyxide Euangelij, quod vim doloris spe futuri iusti examinis solaretur. Potio ergo illa quam temperauit Iesvs hæc erant verba: *Beati estis cum maledixerint vobis &c.* Matth. 5. *Rufinus contra Hieronymum libro decimo.*

G. Caristolum Lacedęmoniorum Senatus interimi iussit, eo quod magnorum virorum carpere facta maluit,

luit,

luit quam palam constantia virili arguere. Hoc enim apud benè compositos semper licuit, vt quisque suo iudicio vteretur palamque reprehēderet, quod neque ritè factum videretur, siquidem hanc reprehendendi licentiam caritate subnixam libertas approbat, & tyrannica dumtaxat rabies perhorrescit & impedit. *In Polycratico libro 7. cap. 24.*

H. Sicut seruorum ita & subditorum genus plerumque querulum est, & aut se iniustè premi, aut indignè remunerari, studia aut officia malè administrari causatur, raroque inuenies qui in aliquo non detrahat præsidenti, & si omnia interdum rectè gerantur, Comicos lege, Tragicos reuolue, familiam ferè semper Patrisfamilias videbis ingratam, at non modo in curia, sed in schola, in claustro, sed & in capitulo morem hunc miraberis obtinere. Venerabilis pater Gilebertus Henfordensis Episcopus mihi referre consueuit claustralium morem, quem in seipso fatebatur expertum. Cum enim monasterium ingressus esset, feruens adhuc igne quem de nouo conceperat, magistratuum suorum ignauiam arguebat, nec mora promotus in modico miseratione complicium motus est, nondum tamen pepercit maioribus. Paulò post ad priores ascendit, prioribus compatiens, carpere non cessabat Abbates. Factus est & ipse Abbas & propitius in Coabbates, Episcoporum cæpit vitia intueri. Tandē & ipse Episcopus Coëpiscopis parcit, nec tamen ipsum inuidiæ vitio arbitror laborasse, sed vir prudens quod hominibus quodammodo ingenitum est eleganter expressit, & fortè hoc sibi præfatus pater ille imposuit, vt sic laborantium turbæ consertus benignus audiretur. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro septimo, capite vigesimo-quarto.*

Quidam frater interrogauit Abbatem Pastorem dicēs: Si video culpam fratris mei bonum est cælare eam? Dicit senex. Quacunque hora tegimus peccatum fratris nostri, teget etiam Deus nostrum, & quacunque hora prodiderimus fratrum culpas, & Deus similiter nostras prodet. *In vitis Patrum libro nono, parte octaua.* I.

Frater interrogauit Abbatem Pastorem dicens. Perturbatio mihi fit, & volo relinquere locum istum, quia audio verba de quodam fratre quæ me non ædificant. Dixit senex: Non sunt vera quæ audisti. At ille dixit. Etiam pater verum est, nam frater qui dixit mihi fidelis est. Dixit senex: Non est fidelis, qui tibi dixit, nam si fidelis esset tibi non diceret. Deus enim vocem Sodomorum audiens, non credidit nisi descenderet & videret. Dixit ille: Et ego vidi oculis meis. Hæc audiens dixit ei senex: Pone in corde tuo quia peccata tua sunt quasi trabes, illius autem fratris de quo loqueris velut parua festuca. Audiens Abbas Sisois hunc sermonem, admiratus dixit: In quo te beatum faciam Abba Pastor? Veruntamen vt preciosus lapis ita verba tua gratia & gloria plena sunt. *In vitis Patrum lib. 10. parte 4.* K*.

Interrogauit frater Abbatem Ioānem, quomodo anima habens propria vulnera non erubescit detrahere proximo suo? cui respondit senex per parabolam dicens: Erat quidam pauper vxorem habens, qui cum vidisset aliam mulierem pulchriorem, ipsam quoque sortitus est in coniugium. Erant autem vtræque nudæ, sed cum essent in loco quodam nundinę, rogabant eum ambæ dicentes. L.

Tecum

Tecum venire desideramus. Quas mittens nudas in dolium cum nauicula transfretauit, & venit ad locum. Facta autem meridie, cùm vna illarum populo recedente vidisset silentium, exiliuit in quendam locum dolio vicinum, & veteres pannos reperiens præcinxit se, & dehinc fiducialiter visa est ambulare. Altera verò intrinsecus nuda sedens dicebat marito: Ecce meretrix illa nuda est, nec confunditur. Cui maritus cum dolore. O miraculum, inquit, hæc vtcunque confusionem suam cooperuit, tu vero ex omni parte nuda non erubescis culpare vel ex parte tectam. Ita est omnis detractor, qui propria mala non videns, aliena semper accusat. *In vitis Patrum libro vigesimo-primo, parte prima.*

M. Si quando fratrem detrahentem cuiquam pro quolibet negotio cognouisset Abbas Pachomius, non solum non ei credebat, sed etiam auertens se mox ab eo veluti à facie serpentis concitus abscedebat. *In vita sancti Pachomij in vitis Patrum.*

N. Viles homines & qui per semetipsos nequeunt apparere, vituperando meliores esse se aliquid conantur ostendere. *Hæc sunt verba Socratis contra detrahentes. Origen. In historia Tripartita libro decimo, capite vndecimo.*

Item, vide Augustinus. k. Hieronymus. d. Iudex. r. s. t. u. Iulianus apostata. d. Poeta. a. Scandalum. b. Somnium. b.

DEVOTIO.

A. TEmpore Ioannis Papæ decimi-noni floruit Rex Robertus scientia & vita præclarus, qui tantæ deuotionis fuit, quod in festis sanctorum semper in aliquo monasterio propter officium voluit interesse, & non solum cum monachis cantabat, verum etiam cappa serica indutus chorum regebat, deuotissimè se habendo. Factum est autem cum castrum quoddam obsedisset, dimisso exercitu propter festum sancti Aniani Aurelianis venit, & cum chorum regendo alta voce ter *Agnus Dei* flectendo genua incæpisset, muri castri quod obsederat, funditus corruerunt. *In Chronicis Martini Poloni.*

Item, vide Maria. e. g. Martinus. a.

DEUS.

A. ANthropomorphitarum hæresis immensam illam ac simplicem diuinitatis substantiam lineamentis veris humana figuratione compositam esse pertinaciter contẽdit, quod tamen si quis fuerit Catholicis dogmatibus institutus, & gentilem blasphemiã detestabitur, & ita ad illam orationis purissimam perueniet qualitatem, quæ nullam diuinitatis effigiem, nec lineamenta corporea in sua supplicatione miscebit, orando scil. Deum sub circũscriptione alicuius corporeæ imaginis. Prædicti autem erroris fuerunt Abbas Serapion & monachi pro maiori parte per Ægyptum commorantes imperitia ac rusticitate decepti, *vt habetur in Tripartita historia libro decimo, capite septimo*, malè intelligentes ad literam quod scribitur Genesis primo. Adam scil. creatum ad Dei imaginẽ.

De cuius erroris contrario cum dictus Serapion fuisset per Catholicos informatus, quadam vice cum eiulatu exclamauit: Heu me miserum! tulerunt á me Dominum meum, & quem nunc teneam non habeo vel quem interpellem iam nescio. *Abbas Isaac in collat. Patrum quas scripsit Cassianus collat. 10. cap. 2. 3. 4. 5.*

B. Ioanne Chrysostomo regente Ecclesiam Constantinopolis, quæstio mota fuerat. Vtrum Deus corpus est & hominis habens schema, an certè incorporeus, & schemate humano est alienus. Ex qua quæstione cōtentiones & certamina plurima surrexerunt, alijs hoc affirmantibus, aliud alijs. Maximè tamen simplices monachorum corporeum & humanæ formæ Deum esse iudicabant. Plurimi reprobantes illos Deum dicebant incorporeum, & à forma corporea segregatum &c. Sed exercitati viri non sunt seducti, simplices autem ardore fidei repentè contra fratres insurgunt, & facta diuisione alterutros impetebant. *In hist. tripar. lib. decimo, capite septimo.*

C. Empedocles Deum sic dicitur descripsisse. Deus est sphæra cuius centrum est vbique & circumferentia nusquam. *Vincent. in spec. histor. libro quarto, cap. quadragesimo-quarto.*

D. Thales interrogatus an facta hominum Deos fallerent, nec cogitata inquit, vt non solum manus, sed etiā puras mentes habere velimus, cum secretis nostris cogitationibus cœleste numen adesse crederemus. *Valer. Maximus libro septimo, capite secundo. Diogenes Laertius in vita.*

E. Cæteros Deos ad benefaciendum venerabantur Romani gentiles, Febrem autem ad minus nocendum in templis colebant. *Idem libro secundo, capite quinto. Augustin. 3. de ciuit. Dei, cap. 25.*

Item, vide Benedictus. f. Iuramentum. h. Laus Dei. a. Plato. f. Punitio. b.

Dii Gentium.

A. Sylla certè cuius tempora ita mala fuerunt, vt superiora, quorum vindex esse videbatur, illius comparatione quærerentur, cum primū ad vrbem contra Marium castra mouisset, adeo læta exta immolanti fuisse scribit Liuius, vt custodiri se Posthumius Aruspex voluerit, capitis supplicium subiturus, nisi illa quæ in animo Sylla haberet dijs iuuantibus impleuisset. Ecce non discesserāt adytis arisque relictis dij quando de rerum euentu prædicebant, nihilq; de ipsius Syllæ correctione curabant, qui, scil. Romæ multa mala facturus erat, promittebant præsagiendo fælicitatem magnam, nec malam cupiditatem minando frangebant. Deinde cum esset in Asia, bellum Mithridaticum gerens, per Lucium Titiū ei mandatum est à Ioue quod esset Mithridatem superaturus, & factum est. Et postea molienti redire in vrbem, & suas amicorumque iniurias vlcisci, iterum mandatum est à Ioue per militem quendam legionis sextæ prius se de Mithridate pronūciasse victoriam, & nunc promittere daturum se potestatem qua recuperaret ab inimicis Rempublicam non sine multo sanguine. Tunc percunctatus Sylla, quæ forma militi visa fuerit, cum ille indicasset, eam recordatus est quam prius ab illo audierat, qui de Mithridatica victoria ab eodem mandata pertulerat. Quid hic responderi potest, quare dij curauerūt velut fælicia ista nunciare, & nullus eorum curauerit Syllam monendo corrigere mala tanta factu- *Virg. Aneid. 2.*

facturum sceleftis armis ciuilibus qualia non tædarent, sed auferrent omninò Rempublicam. Nempe intelliguntur sicut iam sæpe dixi dæmones negotium suum agere vt pro dijs habeantur. *Augustinus de ciuitate Dei libro secundo, capite 24. & 25. Cicero diuinat. 1. Valerius libro primo, capite sexto.*

B. Hinc quis non intelligat quantū moliantur spiritus illi exemplo suo velut diuinam auctoritatem præbere sceleribus? Quod in quadam Cāpaniæ lata planiéie vbi non multo post ciuiles acies ciuium Romanorū contra se inuicem conflixerunt, ipsi dæmones prius inter se pugnare visi sunt, Auditi enim sunt ingentes fragores, & aliqui viderunt duas acies præliari per aliquot dies, & vestigia hominum & equorum inuenerunt. Si ergo veraciter inter se numina pugnauerunt, iam bella excusantur humana. Consideretur tamen quæ sit talium malitia vel miseria. Si autem se pugnasse finxerunt, quid aliud fecerunt, nisi vt sibi Romani bellando ciuiliter tanquam exemplo deorum nullum nefas admittere viderentur. Iam enim cæperant bella ciuilia, iam multos mouerat vt ciuilia bella horrerent strages execranda. Quod miles quidam dū occiso cuidam spolia detraheret, fratrem nudato cadauere agnouit, ac detestatus bella ciuilia seipsum ibi perimēs fraterno corpori adiunxit. Vt ergò tāti mali minimè tæderet, mox hi dæmones, & excolendos & venerandos arbitrabantur, inter se pugnantes hominibus apparere voluerunt, ne imitari tales pugna ciuilica trepidaret affectio, sed potius humanum scelus diuino excusaretur exemplo. *Ibidem libro secundo, capite vigesimo-quinto.*

C. Hac astutia maligni spiritus etiam ludos (vnde iam dixi scil. eodem libro, cap. 4. 5. & 6.) scenicos sibi dicari sacrarique iusserunt, vbi tanta Deorum flagitia theatricis canticis atque fabularum actionibus celebrata sunt, vt quisquis eos talia fecisse crederet, & quisquis non crederet, sed tamen illos libentissimè sibi talia exhiberi cerneret, securus imitaretur. *Ibidem.*

D. Inter Deorum commemoratur virtutes quod dicam. Tito Latino Rustico Romano Patrifamilias dictum est in somnis in senatu nunciaret, scil. vt ludi scenici instaurarentur. *Et infra.* Cum ergò ille postero die iussa facere non ausus esset, secūda nocte hoc idem rursum seuerius imperatum est. Amisit filium quia non fecit, tertia nocte dictum est homini, quod maior ei pœna, si non faceret, immineret. Cum etiam sic non auderet, in morbum incidit acrem & horribilem. Tum ex amicorum sententia ad magistratus rem retulit, atque in lectica allatus est in Senatum, expositoque somnio statim conualuit. Tanto miraculo obstupefactus Senatus, quadruplicata pecunia ludos statuit instaurari. Quis non videat subditos homines malignis dæmonibus vi compulsos esse exhibere talibus dijs talia? In illis certè ludis poetica numinum crimina frequentantur, qui ludi iussu Senatus instaurabantur. In illis certè ludis corruptorem pudicitiæ turpissimi histriones cantabant, agebant, placabant. *Idem libro quarto, capite vigesimo-sexto, & libro octauo, capite decimo-tertio. Cicero 1. de diuinat. Liuius libro secundo.* *carmina.*

E. Maligni spiritus suo negotio, non defuerunt vt has noxias opiniones, scil. quod dij humanis voluptatibus

delectentur humanarum mentium ludificatione firmarent. Vnde etiam illud est quod Hercules æditiuus, (id est custos templi) ociosus atque feriatus lusit tesseris secum, vtraque manu alternante in vna constituens Herculem in altera seipsum sub ea conditione vt si ipse vicisset, de stipendio templi sibi cænam pararet, amicamque conduceret, si autem victoria Herculis fieret, hoc idem de pecunia sua voluptati Herculis exhiberet. Deinde cum à seipso tanquam ab Hercule victus esset, debitam cænam & nobilissimam meretricem Larentinam Deo Herculi dedit. At illa cum dormisset in templo vidit in somnis Herculem sibi commixtum sibique dixisse, quod inde discedens cum primum Iuueni obuia fieret apud illum esset inuentura, mercedem, quam sibi crederet ab Hercule persolutam, ac sibi abeunti cum primus iuuenis ditissimus Tarucius occurrisset, eamque dilectam secum sæpius habuisset, illa hærede, scilicet per eum instituta defunctus est, quæ amplissimam adepta pecuniam ne diuinæ mercedi videretur ingrata, quod acceptissimum putauerit esse numinibus, populum Romanum etiam ipsa scripsit hæredem, atque illa non comparente inuentum est testamentum, quibus meritis etiam eam ferunt honores meruisse diuinos. *Idem libro sexto, capite septimo. Plut. in problemat. Macrob. 1. Saturn. cap. decimo.*

F. Dum Philosophi paganorum intento mentis studio quærunt scrutanturque omnia, vnum Deum authorem omnium reperiunt ad quem vnum omnia referuntur. Vnde etiam nunc pagani, cum à nobis discutiuntur, non se plures Deos sequi, sed sub vno Deo magno plures ministros venerari fatentur. Restat igitur de intelligentia veri Dei per multas intelligendi suspiciones confusa dissensio, quia de vno Deo, hominum vna pœnè est opinio. *Orosius de orchest. mundi libro sexto, capite primo.*

Item, vide Deus. d. Aegyptus. a. Mirabile. a m. a p.

DIABOLVS.

Qvidam recluso nomine Petro diabolus in specie nudæ mulieris frequenter apparebat, & nudam se ingerens quanto fortius ille resistebat, tanto illa impudentius ei incumbebat. Cum ergo ab illa plurimum vexaretur, tandem ille sacerdotalem stolam accipiens collum eius cinxit, & mox diabolo abscedente cadauer putridum ibidem remansit, tantusque fœtor inde exhalabat, vt nullus qui hoc vidit ambigeret quin corpus alicuius mulieris fuisset, quod diabolus assumpsit. *In aurea legenda sub titulo de sancto Hippolyto, & in speculo hist. Vincentij lib. 28. cap. 11.* A.

Malignus spiritus, cogitationi, loquutioni & operi nostro semper insistit, vt coram Deo accuset. Quidam testantur, quod vir vitæ venerabilis Stephanus nomine Valeriæ prouinciæ presbyter fuit, qui quadam die de itinere domum regressus mancipio suo negligenter loquens, præcepit dicens: Veni diabole discalcea me. Ad cuius vocem mox cœperunt se caligarum corrigiæ dissolui, vt apertè constaret, quod ei ipse qui nominatus fuerat, B.

rat,

rat, obediisset, quod mox, vt vidit, expauit vehementer presbyter & clamauit. Recede miser recede, nō enim tibi sed mancipio meo locutus sum. Ad cuius vocem protinus recessit, & ita vt inuentæ sunt magna iam ex parte dissolutæ corrigiæ remanserunt, qua in re colligi potest antiquus hostis qui tam præsto est factis corporalibus, quantum nimijs insidijs, cogitationibus nostris insistat. *Gregorius in Dial. libro tertio, capite vigesimo.*

C* Dicebant de quodam fratre, quia sedebat in eremo, & seducebatur à dæmonibus per annos plurimos, ipse verò existimabat quod Angeli essent. Egrediebatur autem pater eius carnalis per tempus & visitabat eum, vna autem dierum tulit bipennem dicens: Quia reuertens afferam mihi pauca ligna, & præueniens dæmon dixit ad filium eius. Ecce diabolus venit in similitudinem patris tui habens pipennem vt impugnet te. Tu autem præueniens tolle illam bipennem ab eo & repugna in eum. Igitur pater eius venit, & accipiens filius eius ab ipso bipennem percussit & occidit eum. Et continuo adhæsit ei malignus spiritus & suffocabat eum. *In vitis Patrum libro vigesimo-primo, parte tertia.*

D.* Quodam tempore dæmon noctu ad ostium cellulæ beati Macarij Alexandrini pulsauit dicens: Surge & eamus ad collectam, vbi fratres ad vigiliam congregantur. Sed ille gratia Dei plenus, intellexit diaboli esse fallaciam, & ait. O mendax veritatis inimice, quid enim tibi consortij cum collecta & congregatione Sanctorum? At ille ait. Latet igitur te ô Macari quod sine nobis nulla collecta agitur? Veni & vide opera nostra. Et orans Macarius petiuit à Domino vt sibi ostenderet, si verum esset, quod gloriatus est dæmon? Abijt ergo ad collectam, & ecce vidit per totam ecclesiam quasi paruulos puerulos Æthyopes tetros discurrere, huc illuc velut volitando deferri. Moris est autem ibi sedentibus cunctis ab vno dici psalmum, cæteris vel audientibus vel respondentibus. Discurrentes ergo Æthyopes illi, si cui duobus digitulis oculos compressissent dormitabat, si cui vero in os demersissent digitum, oscitare faciebant. Vbi verò post psalmum in orationem proiecissent se fratres, percurrebant per singulos & ante alium iacentem in oratione in mulierum speciem vertebantur, ante alium quasi ædificantes aliquid atque portantes ac diuersa agentes apparebant, & quæcunque dæmones quasi ludendo formassent, hæc illi orantes in cogitationibus suis versabant. *In vitis Patrum sub titulo de duobus Macarijs.*

Quodam tempore ad sanctum Pachomium introiuit diabolus, & ex aduerso habitu simulato constituens. Aue, inquit, Pachomi, Ego sum Christus, & veni ad te fidelem amicum meum. Tunc ipse reuelante sibi Spiritu sancto visionem renuens inimici, cogitabat intra se dicens. Aduentus Christi tranquillus est, & visio eius omni timore libera, & gaudio plena. Ego autem nunc conturbatus cogitationibus æstuo, & continuo Crucis signo se muniens exsufflauit in eum, & factus vt puluis cellam eius fætore compleuit. *In vitis Patrum, in vita sancti Pachomij.* E.

F. Quidam Eremita vidit vnum solum diabolum sedentem in porta ciuitatis, & vidit Abbatiam in qua vnicuique monachorum assistebat vnus diabolus. Cum ergo quæreret ab Angelo ductore quare hoc esset? respondit. Quia in ciuitate illa omnes faciunt voluntatem diaboli, ibi vnus sufficit: sed cum in abbatia omnes sint boni, est necesse vt vnicuique vnus assistat. *Guil. Peralta in summa virtutum parte tertia, rub.* 33. *Item, vide Damnatus. c. Dæmon per totum. Discretio. b. Elatio. b. Maria. k. Martinus. p. Papa. i. Christus. o.*

DIDYMVS.

A. Didymus Alexandrinus in parua ætate cum adhuc ignoraret literarum elementa, luminibus orbatus maiore desiderio scientiæ veri luminis inflammatur, cum audisset scriptũ in Euangelio, *quod apud homines impossibile est, possibile est apud Deum.* Hac igitur promissione confisus, indesinenter Deum precabatur non vt oculorum carnalium visum, sed vt illuminationem cordis acciperet. Miscebat tamen precibus studia, & laborem & vigilias non ad legendum, sed ad audiendum continuabat. Cumque post lucubrationis laborem somnus vt fieri solet legentibus obuenisset, silentium illud non ad quietem vel otium datum ducẽs, tanquam mundum animal ruminans, cibum quem cæperat, reuocabat, & memoria & animo retexebat, quæ audierat. Itaque Deo docente in tantum profecit, vt scholæ ecclesiasticę existeret doctor Athanasio Episcopo cæterisque sapientibus admodum probatus. Sed & in cæteris, seu Dialecticæ, seu Geometriæ, Astronomiæ vel Arithmeticę disciplinis profecit, ita vt nullus eum philosophus vnquam concludere potuerit, sed statim vt responsiones eius acciperet, magistrum eum etiam illius de qua proposuisset, crederet disciplinæ. *In Eccles. hist. libro vndecimo, capite septimo, & in tripartit. hist. libro octauo, capite octauo. Sigebertus ad annũ* 281. *Hieron. in Chron. ad annum* 275.

B. Volens aliquid garrire de Spiritu sancto malui alieni oris interpres existere, quam, vt quidam faciunt, informis cornicula alienis me coloribus adornare. *Et infra.* Certè qui hunc legerit librum Didymi de Spiritu sancto, latinorum furta cognoscet, & contemnet riuulos, cum cæperit haurire de fontibus. *Hieronym. in prologo prædicti libri de Spiritu sancto quem transtulit.*

DILVVIVM.

A. Ante annos vrbis conditæ 140. sæuum diluuium in Achaia vastatione plurima totius pæne prouinciæ fuit. *Et infra.* Anno 810. ante vrbem conditam, Amphyctiõ Athenis regnauit, cuius temporibus aquarum illuuies maiorem partem populorum Thessaliæ absumpsit, paucis per refugium montium liberatis. *Orosius de orchestra mundi libro primo, capite nono.*

DIOGENES CYNICVS.

A. Alexander cognomen inuicti assequutus continentiam Diogenis Cynici vincere non potuit, ad quem cum in sole sedentem accessisset, hortareturque vt si qua vellet præstari indicaret. Mox, inquit, de cæteris, interim velim à sole mihi non obstes, quibus verbis illa inhæsit sententia. Alexander Diogenem

nem gradu suo diuitijs pellere tentat, celerius Darium armis. *Valerius Maximus libro quarto, capite tertio. Plutarch. de exilio. Tullius Tusc. 5.*

B. Multò potentior & ditior fuit Diogenes omnia tunc possidente Alexãdro, plus enim erat quod iste nollet accipere, quam quod ille posset dare. *Seneca lib. 5. de beneficijs cap. 5.*

C. Diogenes ex libertate in seruitutem venerat, quem cum emere vellet Æniades Corinthius, quid artificij nouisset percunctatus est. Noui, inquit, hominibus liberis imperare. Miratus responsum ille statim eum emisit manu, filiosque suos ei tradēs. Accipe, inquit, pueros liberos quibus imperes. *Macrobius in Saturnalibus libro primo, capite vndecimo.*

D. Antisthenis Diogenes sectator fuit potentior Rege Alexandro, & naturæ humanæ victor. Nam cum discipulorum Antisthenes nullum reciperet, & perseuerantem Diogenem remouere non posset, nouissimè clauam minatus est, vt abiret. Cui ille subiecisse dicitur caput, dicens: Nullus tam durus baculus erit, qui à tuo obsequio me possit separare. *Hieronymus libro secundo contra Iouinianum, & Ioannes Saresb. in Polycratico libr. 5. capite decimo-septimo.*

E. Diogenes cum graui dolore torqueretur, & vidisset homines ad amphitheatrum concurrentes, aiebat: Qualis hominum stultitia, currunt spectare homines feris repugnantes, & me prætereunt cum dolore naturali certantem. *Fulgentius in libro Mythologiarum.*

Molanus præfatione in Fulgentij opera, dicit librum Mythologiarum non esse legitimū fœtum B. Fulgentij

F. Virtutem & continentiam eius mors indicat, nam cum ad Olympicum agonem iam senex pergeret, febri in itinere apprehensus accubuit in crepidine viæ. Volentibus autem amicis eum in iumentum vel in vehiculum tollere non acquieuit, sed transiens ad arboris vmbram ait. Abite quæso & spectatum pergite. Hæc nox me aut victorem probabit aut victum, si febrem vicero, ad agonem veniam, si me vicerit ad inferna descendam. Ibique per noctem eliso gutture non tam mori se ait, quam febrem excludere. Deceptus enim opinione virorum fortium in extremæ difficultatis articulo ne aliunde inferretur, mortem vltroneam credidit appetendam &c. Fecit hoc Cato, fecerunt & alij, qui ferrum aut cicutam præoccupantes omnem & solam turpitudinis (vt putabant) effugiebant notam. Deinde diffusè improbatur hic error, & interseruntur hi versus:

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam, *Martialis.*
Fortius ille facit qui miser esse potest.

In Polycratico Ioannis Saresb. libro quinto, capite decimo-septimo.

G. Diogenes Antisthenem magistrū suum solebat, veluti vituperando laudare. Ipse me, aiebat, mendicum fecit ex diuite & pro ampla domo fecit in dolio habitare, melius autem dicebat ista quam si diceret, gratus sum illi quia me Philosophum & consummatæ virtutis fecit virum. *Macrobius libro septimo, Saturnalium capite tertio.*

Item, vide Paupertas. g.

Discere.

A. CVm quæreretur à quodam sapiente, quomodo tantum didicisset? Respondit: Habui specialiter tres magistros. Primus fuit timor, secundus pudor, tertius amor. Videbam enim magistrum meum virgam tenentem, & timens verberari discere non cessabam. Videbam socios

socios meos minores proficere, & inferior esse nolebam. Tandem conuersa est mihi doctrina in amorem, vt non iam timore & pudore discerem sed amore. *Iacobus de Vitriaco.*

B. Pambus cum sine literis esset, accessit ad quēdam, vt doceretur psalmum, qui cū audisset primum versum. *Psalmi 38. Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea,* secundum versum non est passus audire, dicens: Si potuero hoc opere implere, hic versus solus mihi sufficiet. Cumque doctor qui ei tradiderat versum, culparet, cur per sex menses ad eum minimè venisset respondit, quia versum illum adhuc opere non impleui. Postea verò cum multos superuixisset annos, quæsitus an didicisset versum: Quadraginta, inquit, & nouem annis vix eum implere pręualui. *Socrates in histor tripartit. libro octauo, capite primo.*

C. Sicut à magistro meo, sic à discipulo meo paratus sum erudiri. Dānabilis enim est illa erubescentia, quæ sic à minore, sicut à maiore doctrinæ beneficium non acceptat. *Petrus Bles. in quadam epistola.*

D. *Lib. 2. cap. 3.* Refert Quinctilianus in libro de institutione Oratoria quendam nomine Timotheum in arte tibiarum excellentem, duplas mercedes accipere, ab his, qui fuerant malè præinstituti, quam si omnino rudes accederent. *In Polycratico libro septimo, capite octauo, & Petr. Bles. in quadam epistolā 11.*

E. Duos è nepotibus tuis mihi erudiendos commisisti: Gulielmum prædicas subtilioris venæ & acutioris ingenij, eo quod Grammaticæ & authorum scientia intermissa volauit ad versutias Logicorum, vbi non in libris sicut fieri solet Dialecticam didicit, sed in quaternis & scedulis. Non est in talibus fundamentum scientiæ literalis, & multis perniciosa est ista subtilitas quam extollis, quid enim prodest expendere dies suos in ijs quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in claustro, nec in curia, nec in ecclesia, nec alicubi prosunt alicui, nisi duntaxat in scholis? *Pet. Bles. in epistola c. 1.*

F. Themistocles philosophus cum expletis 107. annis se mori cerneret, dixisse fertur se dolere quod tunc egrederetur de vita quando sapere cæpisset. *Hugo in suo didascalico, parte secunda.* *Theophrastus est nō Themistocles authore Cicerone in Tusc. etsi vitiosè quoque in B. Hierony. Epistolis Themistocles nominetur Epist. 2. ad Nepotianum, vt vidit Hadr. Turnebus lib. 19. Aduers. cap. 11.*

Venit Abbas Pastor, cum esset iuuenis, ad senem, vt interrogaret eū tres sermones. Cumque peruenisset ad senem, oblitus est vnum, & reuersus est ad cellam suam, & cum tetendisset manus, vt teneret clauim, recordatus est illius, & reuersus est ad senem dicens: Quia cum tetendissem manum tenere clauim, recordatus sum sermonis, quem quærebam, & non aperui cellam, sed mox ad te sum reuersus. Erat autem longitudo viæ multa nimis. Dicebat autem senex: Verè pastor gregum nominabitur nomen tuū in tota terra Ægypti. *In vitis Patrum libro vltimo, parte secunda.* G.

H. Plato patriam Athenas, præceptorem Socratem sortitus, & locum & hominem doctrinæ fertilissimum, ingenij quoque diuina instructus abundantia, cum iam mortalium sapientissimus haberetur Ægyptum peragrauit, dum à sacerdotibus eius gentis Geometriæ multiplices numeros, & cælestium obseruatione rationem perciperet. Quoque tempore à studiosis iuuenibus certatum Athenæ Platonem doctorem quærētibus petebātur, ipse Nili fluminis inexpli-

inexplicabiles ripas vastissimosque campos, effusam barbariē, & flexuosos fossarum ambitus Ægyptiorum senum discipulus lustrabat. *Val. Max. lib. 8. c. 7. Laertius in vita.*

I. Idem etiam altero & octogesimo anno decedens sub capite Sophronis mimos habuisse fertur, sic ne extrema quidem eius hora agitatione studij vacua fuit. *Ibid.*

K. Democritus, cui tantæ diuitiæ fuerunt, vt pater eius Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit, quo magis vacuo animo studijs literarum esset operatus, parua admodum summa retenta, patrimonium patriæ donauit, Athenis autem cum pluribus annis omnia temporū momenta ad exercendam & percipiendam doctrinam conferens ignotus illi vrbi vixit. *Ibid. & Hippocrates in epist. ad Demagetum.*

al. vacuam. scil. Abdera.

L. Carneades laboriosus sapientiæ miles siquidem nonaginta expletis annis, idem illi viuendi finis fuit. Ita se mirificum doctrinæ addixerat operibus, vt cum cibi capiendi caussa accubuisset, cogitationibus inhærens manum ad mensam porrigere obliuisceretur. Idem cum Chrysippo disputaturus, elleboro se ante purgabat, ad exprimendum ingenium suum attentius & illius acrius refellendum, quas potiones industria solidæ laudis cupidis appetendas effecit. *Ibidem & Cicero 1. Acad. Gellius libro 17. cap. 15.*

M. Quali porro studio Anaxagoram flagrasse credimus, qui cum è diuturna peregrinatione patriam redijsset, possessionesque desertas vidisset: Non essem, inquit, ego saluus, nisi istæ perijssent &c. *Ibidem.*

N. Socratem constat ætate prouectum, fidibus tractandis operam dare cæpisse, satius iudicantem eius artis vsum serò quam nunquam percipere, & quantula Socrati accessio scientiæ futuræ erat? sed peruicax hominis industria tantis doctrinæ suæ diuitijs etiā musicæ rationis vilissimum elementū accedere voluit. Ergo dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit locupletissimum. *Ibidem Valerius, Plato in Enthydemo, & Cicero Epist. ad Lætum lib. 9. ad Famil.*

al. vilissimum.

O. Solon qua industria flagrauerit, & versibus complexus est, quibus significat se quotidie aliquid addiscentem senescere, & supremò vitæ die confirmauit. Qui assidentibus amicis & quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis iam pressum caput erexit. Interrogatus quare hoc fecisset? respondit. Vt cum istud quidquid id est de quo disputatis percepero, moriar. *Ibidem.*

Item, vide Addiscere. a. Bernardus. d. Cato. d. Didymus. a. Diuitiæ. b. Humilitas. u. Infirmitas. k. Mors. a f. Plato. b c. Quæstio. a. Scientia. a. c. Doctrina. c. Error. a. Humilitas. i. q.

DISCIPLINA.

Vide Dominicus. b.

DISCORDIA.

A. CVm Senatus contra Hannibalem, Claudium Neronem, & Liuium Salinatorem consules mitteret, eosque vt virtutibus pares ita inimicitijs acerrimè inter se diffidentes, summo studio in gratiam reduxit, ne ob priuatas dissensiones Rempublicam parum vtiliter administrarent, quia consimili imperio nisi concordia inest, maior aliena opera interpellandi, quam suadendi cupiditas nascetur. *Ex Val. Maximo, l. 4. c. 2. & 4. & Liuio lib. 27. & 28. Polybius lib. 2. Frontinus lib. 1. cap. 1. & Scriptor de viris illustribus cap. 50.*

Pisistratus Athenarum Tyrannus cum filijs suis rectum dando consilium, non obtinuisset assensum, & ideò esset in simultate cum liberis. Vbi hoc æmulus causam fuisse gaudij comperit, ex illa discordia sperantibus in domo regnantis nasci posse nouitatem, vniuersis ciuibus conuocatis, ait, succensuisse quidem de filijs non acquiescentibus patriæ voluntati, sed hoc postea sibi visum esse paternæ aptius pietati, vt in sententiam liberorum ipse concederet. Sciret igitur ciuitas sobolem Regis cum Patre concordem. Hoc commento spem detraxit insidiantibus regnantium quieti. *In Polycratico libro octauo, capite decimo.*

Item, vide Concordia. a.

DISCRETIO.

A. Dixit Abbas Moyses: Memini quondam in annis pueritiæ cõstitutus, in partibus Thebaidis, vbi morabatur Sanctus Antonius, seniores ad eum perfectionis inquirẽdæ gratia conuenisse, & ibi fuisse diutissimè, quæsitumque quænam virtus vel obseruantia monachum possit à Diaboli laqueis ac deceptionibus custodire? vel ad perfectionis culmẽ euehere? Cum alij hoc in ieiuniorum vigiliarumque studio collocarent, alij in contemptu vniuersarum rerũ, alij anachoresim necessariam censerent, nonnulli sectanda charitatis officia definirent, cum in hunc modũ diuersis virtutibus aditum ad Deum certiorem posse decernerent, intulit beatus Antonius. Omnia quidẽ hæc quæ dixistis necessaria sunt & vtilia, sed ijs principalem tribuere gratiam nequaquam nos innumeri multorũ casus & experimẽta sinunt. Nam sæpenumerò ieiunijs ac vigilijs incubantes & cætera bona opera implentes, ità vidimus repentè deceptos, vt arreptum opus non potuerunt congruo exitu terminare, conuersationemque laudabilem fine detestabili concluserint. Illis enim sola discretio deficiens vsque ad finem ea durare non sinit, quę prætermittẽs vtrãque nimietatem via regia monachũ docet semper incedere. *Deinde subdit.* Quibus manifestissimè declaratur nullam sine discretionis gratia perfectè posse vel perfici vel stare virtutẽ, & ita beati Antonij cæterorumque sententia definitum est, discretionem esse quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, & dictas virtutes iugiter conseruet illæsas. Omnium namque virtutum genitrix & custos moderatrixque discretio est. *Cassianus in collat. Patrum, collat. 2. cap. 3. & 4.*

Et vt eandem definitionem antiquitus sic promulgatam recens quoque confirmet exemplum, recolite quod nuper vidistis. Verba sunt dicti Abbatis Moysi, senem scil. Heronem illusione Diaboli à summis ad ima deiectum, quem quinquaginta annis in hac eremo meminimus habitasse, hic igitur qua ratione delusus grauissimo corruens lapsu cunctos dolore perculit, nonne quia minus discretionis virtute ornatus, suis cõsilijs regi, quam maiorum institutis voluit obedire? Siquidem ita in ieiunijs continentiam exercuit, & solitudinis secreta sectatus est, vt ab eo participationem ineũdi cum fraternitate conuiuij nec veneratio quidẽ diei paschalis potuerit obtinere, ne à suo proposito videretur resilire. Qua præsumptione deceptus Angelum Sathanæ, velut Angelum lucis cum summa veneratione suscipiẽs in profundum puteum se præcipitauit, de B.

Ange-

Angeli videlicet sponsione, non dubitans qui eum pro merito virtutum ac laborum suorum nequaquã posse firmauerat vlli iã discrimini subiacere. Cui rei fidem vt experimento suæ sospitatis euidẽtissimè comprobaret, supradicto se puteo nocte intempesta illusum iniecit, magnum, scil. suæ virtutis meritum probaturus, cum inde exiret illæsus. De quo cum pœnè iam exanguis ingenti fratrum labore fuisset extractus, vitam die tertia finiturus quod his deterius est, ita in deceptionis suæ obstinatione permansit, vt ei ne experimento quidem mortis suæ potuerit persuaderi, quod dæmonum calliditate delusus fuisset, & cum sic mortuus est, vix à beato Paphnutio potuit obtineri vt nõ inter byothanatos reputatus, etiã memoria & oblatione pausantium indignus iudicaretur. *Vbi supra cap. 6.*

C. Duo fratres vltra eandem eremum habitantes, minus cauta discretionẽ permoti exeuntes per solitudinem, nullam escam penitus sumere decreuerunt, nisi quam per semetipsum Dominus præstitisset. Cumque iam fame deficientes à longè Matzytes conspexissẽt; quæ gens feris crudelior est, eisque contra naturam feritatis cum panibus occurrisset, vnus ex eis, subueniente discretione, velut à Domino sibi porrectos panes suscepit. Nec sine Deo factum est, vt hi qui sẽper hominum cruore gaudent, substantiam suam illis largiantur. Alius vero recusans velut ab homine sibi oblatum inedia cõsumptus est, quorum licet initia ex reprehẽsibili persuasione descenderint, vnus tamen subueniente discretione id quod temerè conceperat, emendauit. Alius autem in stulta præsumptione permansit. *Ibid.*

D. Dixit Abbas Moyses: Vera discretio non nisi vera humilitate conquiritur, cuius hęc erit prima probatio, si vniuersa non solum quæ agenda sunt, sed etiam cogitantur, seniorum reseruentur examini, vt nihil quis suo iudicio credens illis per omnia acquiescat. *Et infra.* Nullo alio vitio tam præcipuè Diabolus monachum pertrahit ad mortem quam cũ eum neglectis consilijs seniorum suo iudicio persuaserit confidere. *Ibidem cap. 11. & 12.*

Item, vide Ieiunium. c. d.

DISCVSSIO SVI.

A. Animus quotidie ad rationẽ reddendam est vocandus. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Moderator erit, qui scit sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulcrius hac consuetudine se discutiendi? *Sequitur:* Vtor ego hac potestate quotidie, cum sublatum est è conspectu lumen, & conticuit vxor moris mei conscia, totum diem meum iam scrutor, facta mea ac dicta remetior. *Seneca libro tertio, de ira capite trigesimo-sexto ante finem.*

Item, vide Peccatum. d.

DISPVTATIO.

A. Qvidam insignis dialecticus conflictum per singulos dies Episcopis nostris æquè eruditis mouebat in Nicæno Concilio, vbi de Arij impio dogmate quæstio vertebatur. Tunc ab omnibus vinci non posse putabatur, sed & cum astrictus putaretur, velut anguis elabebatur. Sed vt ostenderet Deus, quia non in ser-

in sermone regnum Dei, sed in virtute consistit, quidam ex confessoribus simplicissimæ naturæ, nihil sciēs nisi Iesum, videns illum insultantē nostris, poscit ab omnibus locum dicens se velle paucis cum philosopho sermocinari. Tum verò nostri qui simplicitatem viri & imperitiam in sermone nouerant, pauere & pudere cæperunt, ne fortè apud callidos homines risui efficeretur sancta simplicitas. Perstitit tamen senior & hinc mouit sermonis exordium. In nomine, inquit, Christi, Philosophe, audi quæ vera sunt. Deus vnus est qui fecit cælum & terram, quique homini quem de terra formauerat, spiritum dedit, & vniuersa quæ videntur & quæ non videntur virtute verbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmauit. Hoc verbū ac sapientia, quem nos filium Dei dicimus, humanos miseratus errores ex virgine nascitur, & per passionem mortis perpetua nos morte liberauit, & resurrectione sua æternam nobis contulit vitam, quem & expectamus iudicem omnium quæ gerimus esse venturum. Credis hoc ita esse philosophe? At ille velut si nunquam verbum contradicendi didicisset, ita obstupefactus virtute dictorum mutus ad omnia hoc solum potuit respondere, ita sibi videri nec aliud verum esse quam dixerat. Tum senior? Si hoc, inquit, ita esse credidisti, surge & sequere me ad dominicum ouile & huius signaculum suscipe. Et Philosophus conuersus ad discipulos vel ad auditores. Audite, inquit, ô viri eruditi: Donec mecum verbis gesta res est, verbis verba opposui, & quæ dicebantur verborum arte subuerti. Vbi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo aduersari potuit Deo. Et ideo si quis vestrûm potuit in his quæ dicta sunt sentire quæ sensi, credat Christo & sequatur hunc senem, in quo loquutus est Deus. Ita philosophus effectus Christianus tandem se gratulatus est victum. *Ruffinus in Ecclesiast. histor. libro decimo, capite tertio, & in tripartit. histor. sub aliis verbis libro secundo, capite tertio. Nicephor. libro octauo, capite decimo-quinto.*

B. Cum plurimi disputationis delectatione traherentur, vnus ex confessoribus laicis simplicem habens sensum, Dialecticis obuiauit dicens: Christus & Apostoli non nobis artem dialecticam tradiderunt, vanamque verborum fallaciam, sed puram scientiam fide & bonis operibus obseruandam. Hæc dicente iuuene, & animo sene, præsentes quidē mirati sunt, dictumq́ue probauerūt. Dialectici vero satisfactione suscepta cessarunt, orationem simplicem veritatis audientes. *Socrates in tripartit hist. vbi prius.*

DISSENSIO.

A. Regibus exactis plebs diffidens à Patribus iuxta ripam fluminis Anienis armata consedit, eratque non solū deformis, sed etiam miserrimus Reipublicæ status: à capite eius cætera parte corporis pestifera seditione diuisa. At nisi Valerij subuenisset eloquentia, spes tanti imperij in ipso pæne ortu suo corruisset. Is nāque populum noua & insolita libertate temeré gaudentem oratione ad meliora & saniora consilia reuocatū, Senatui subiecit. *Val. Max. lib. 8. cap. 9. Liuius lib. 3. Dionysius lib. 10. Plutarc. in Pompeio, & Zonaras.*

Item, vide Discordia per totum.

DI-

Dissimilitudo.

A. ADdidit Moyses de quibusdã permixtionibus rerum diuersi generis cauendis, dicens: *Non seres* *Deut. 22 vers. 9.* *vineam tuam alio semine*, (scilicet grani, vel leguminis) *ne & sementis quã seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur.* *alias suffocentur.* Quod videtur Iosephus velle, dicens hanc communionem prohibitam esse, quia dissimiliũ coniunctione natura non lætatur. *In hist. scholast. super Deuter. cap. 22.*

Dissimvlatio.

A. FAbius Maximus cum præcipuæ fortitudinis Nolanum peditem dubia fide suspectum haberet in castris, vt eo potius bono milite vteretur, quam in ipsum animaduerteret, suspicionem suam dissimulauit. Namque illum pro tribunali laudãdo, animum suum à Pœnis ad Romanos coegit reuocare. *Valer. Maxi. lib. 7. cap. 3. & Plutarch. in Fabio. T. Liuius lib. 23. Marcello id tribuit.*

Divitiæ.

A. CRates ille Thebanus in mari non paruo pondere auri proiecto. Abite, inquit, pessum malæ cupiditates. Ego vos submergam, ne submergar à vobis. *Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. Et in epistola ad Iulianũ, quæ incipit: Filius meus. Ioan. Salisberiensis in Polycratico lib. 5. cap. 7.*

B. Cum quidã à diuitijs suis in morte auxilium implorasset, nec haberet responsionẽ ab eis, ait: O fallaces diuitiæ, toto corde vos amaui, & nunc in tanta necessitate nihil auxilij possum à vobis habere: paratæ estis me deserere, nec vultis sequi. Ego vos prætermittam; & his dictis omnia dedit pauperibus. *Gulielmus Lugdun. in summa vitiorum tractatu de Auaritia Rubrica 4. & 13.*

C. Plus dolendum est paupertatem, quam opulẽtiam perijsse Romanam. In illa enim morum integritas seruabatur, per hanc non muros vrbis, sed mentes hominum dira nequitia omni hoste peior corrupit. *Augustin. Epistola quinta.*

D. Eremita quidam, vir magnæ virtutis, qui omnia propter Deum reliquerat, excepta catta, quam crebro blandiens in suo gremio refouebat, orabat Deum, vt sibi ostendere dignaretur cum quo futuræ remunerationis mansionem sperare debuisset. Quadam ergo nocte ipsi reuelatur, quod cum Gregorio Romano Pontifice. At ille fortiter ingemiscens, parum sibi voluntariam paupertatem profuisse putabat, si cum eo remunerationem acciperet, qui tantis mundi diuitijs abundaret. Alia autem nocte audiuit Dominum sibi dicentem. Cum diuitem non possessio diuitiarũ faciat, sed cupido, cur audes paupertatem tuam, diuitijs Gregorij cõparare, qui magis cattam quotidie palpando diligere comprobaris quã ille diuitias, quas non amando sed contemnendo cunctis largiendo dispergit. Itaque solitarius Deo gratias retulit. *In aurea legenda sub titulo de sancto Gregorio, & lib. 2. cap. 80. vitæ ipsius S. Greg. à Ioanne Diacono conscriptæ apud Surium loco citato.*

E. Quidam pauper manibus laborando vix sufficientem victum acquirebat. Nam post cænam nihil ei remanebat. Nocte tamen cantabat cum vxore sua, & post securus dormiebat. Vicinus autem de hoc mirantibus dixit vnus. Ego reddam eum talem quod cantare non curabit. Tunc præsentibus aliquibus proiecit sacculum pecuniæ

ante ostium pauperis. Mane dum exiret inuenit pecuniam & reuersus est domum, & abscondit pecuniam. Imminente nocte cœpit cogitare, ne argueretur de furto, vel ne latrones possent eam furari, vel si de ea emeret possessiones. Sic ergo occupatus nec cantabat, nec gaudebat, sed tristis erat. Tunc vicini cœperunt quærere, cur ita tristis esset? & cum nollet confiteri veritatem, dixit Dominus pecuniæ: Ego scio veritatem, in die tali & loco pecuniam meam inuenisti, & in domum nobis videntibus detulisti. At ille timens, & erubescens ait: Maledicta sit ista pecunia, quia postquam eam inueni; gaudium non habui. Tolle pecuniam tuam, vt lætari & cantare valeam sicut prius. *Iacobus de Vitriaco.*

F. Homo quidam, à quo sanctus Hilarion dæmonem eiecerat, simplicitate rustica decem auri libras offerens hordeaceum panem accepit ab eo audiens, quod qui tali cibo alerētur, aurum pro luto ducerent. *Hieronymus in vita sancti Hilarionis.*

Item, vide Diogenes. a. c. Eleemosyna. b. Felicitas. a. h. Iudicium Dei. b. c. Oratio. a. Roma. c.

DIVINATIO.

A. ERat tempore mortis Antigoni in Ierusalem Genethliacus, Iudas nomine, de hæresi Essæorū, qui scholasticis suis arte sua prædixerat de morte Antigoni, & diē & locū. Is cum audisset Antigonum in armis gloriantem, exclamauit: Papè, nunc pulchrum est mihi mori, quoniam ante me veritas interijt, mearumque prædictionum aliquod mendacium deprehensum est. Venit Antigonus qui hodie moriturus erat in Phyrgo Stratonis. (Locus autem ille ab hinc sexcentis stadijs distat, horæ vero dici sunt quatuor.) Cum sic eiularet senex paulo post occisus est Antigonus, cum armatus descenderet per Phyrgum Stratonis, seque locorum æquiuocatione senex agnouit fuisse deceptum. *In histor. scholast. parte 6. cap. 4.*

B. Spurinus prædixerat Cæsari, vt proximos dies 30. quasi fatales caueret, quorum vltimus erat Idus Martiæ. Eo cum fortè mane vterque in domum Caluini Domitij ad officiū conuenissent, Cæsar ait: Spurine, ecquid scis iam venisse Idus Martias. Et is: Ecquid scis illas nondum præterijsse? Abiecerat alter timorem tanquam exacto tempore suspecto, alter ne extremam quidem eius partem periculo vacuam esse arbitratus est. Vtinam aruspicem eius potius augurium, quam patriæ parentem securitas fefellisset? *Val. Max. libr. 8. cap. 11. Suetonius & Plutarc. in Cæsare.*

C. Apollinis oraculo Macedonum Rex Philippus admonitus, vt à quadrigæ violentia salutem suam custodiret, toto regno disiungi currus iussit, eumque locum, qui in Bœotia quadriga vocatur, semper vitauit, nec tamen denunciatū periculi genus effugit. Nam Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam. *Idem libro primo, capite vltimo. Cicero de Fato, Aelianus libro tertio, variar. histor.*

D. Aduersus Samnites Papirius Consul cum exercitu missus, cum à pullaribus auguribus congredi prohiberetur, tam fæliciter confecit bellum, quam constanter arripuit. *Paul. Orosius libro tertio, capite vigesimo-secundo, ex T. Liuio lib. 10. Val. Maximus libr. 7. cap. 2. & Iul. Frontinus.*

E. Anno DXVII. ab Vrbe condita L. Flaminius Consul, spretis auspicijs, quibus

quibus prohibetur pugnare, aduersus Gallos pugnauit, & vicit. *Idem Orosius libro quarto, capite decimo-tertio ex Liuio lib. 21. & Plutarc. in Flaminio.*
Item, vide Dij gentium. b. Mathesis omen. a. Roma. b. Sortilegium. a.

DIVISIO.

A. ABrahæ malum rixæ præcauentis verba sunt illa ad Loth: *Ecce tota terra ante te, discede à me, si tu ad sinistram, ego ad dextram: si tu in dextrā ego in sinistram ibo.* Hinc fortè facta est inter homines pacifica consuetudo, vt quando terrenorum aliquid partiendum est: *Maior diuidat, minor eligat. Augustinus de ciuitate Dei lib. 16. cap. 20. Fuiße olim hunc morem partiendi significāt leges declamatorum, quarum vna est, maior frater diuidat, eligat minor. Seneca libr. 6. declamat.*
Item, vide Hierusalem. c. Pomum. e. Roma. a a.

DIVORTIVM.

Vide Vxor. n. Lepra. a.

DOCTOR.

A. DOctores & salario publico, & honoribus dignos habuerunt olim Romani, apud quos Doctores receperunt salarium suum de bonis communitatis. *Augustinus de ciuitate Dei libro primo, cap. tertio.*

B. Dixit Abbas Ipericius: Ille est verè sapiens, qui facto suo alios docet, non qui verbis. *In vitis Patrum libro decimo, parte octaua.*

C. Quadam vice auditorium Tullij Iulius Cæsar intrauit; cui cum assurgeret Tullius, Cæsar inhibens ait: nō assurgas mihi, maior enim est sapientia, quam potentia. Cui dixit Tullius. Victori orbis non assurgam? Cui Cæsar. Tu maiorem laureā adeptus es; quanto maius est propagasse terminos Romani ingenij quā Romani imperij. Cuius verbi occasione à Cæsare lex instituta est, quod nemo codicē tenens cuiquā assurgat. *Plinius in libro de naturali historia, sed aliter lib. 7.*

D. Dixit Abbas Pastor, si quis docet aliquid, & non facit quod docet, similis est puteo, qui omnes ad se venientes satiat, & diluit sordes, seipsū autem purgare non potest, sed omnis spurcitia & immunditia in eo est. *In vitis Patrum, libro decimo, parte sexta.*

E. Castrorum præfectus post longam probatamque militiam, peritissimus omnium legebatur, vt ratione doceret alios quod ipse cum laude fecisset, apud Romanos. *Vegetius de re militari libro secundo, capite decimo.*

F. Pythagoricorum doctrina est tacere per quinquennium, & postea eruditos loqui. Hieronymus super illud Ecclesiastes: Tempus tacendi & tempus loquendi. *A. Gellius libr. 1. Noct. Attic. cap. 9.*

G. Senex quidam erat in Scythia, habens quidem tolerantiam corporalem, sed valde imbecillis erat in retinendis, quæ audierat. Abijt ergo ad Abbatem Ioānem Breuem, vt interrogaret eum de obliuione, & audiēs ab eo sermonem rediensque in cellā suam oblitus est eius. Iterum abijt, audiensque ab eo sermonem, reuersus rursus oblitus est: & ita sæpe vadens & reuertens dominabatur in eo obliuio. Post hæc vero occurrens seni, dixit: Nosti, Abba, quia oblitus sum rursus quod dixisti mihi? Sed ideo nō veni ne tibi essem molestus. Dixit autem Abbas: Vade, incende lucernam. Et incendit, Et dicit ei: Affer alias lucernas, & incende ex ea. Et fecit sic. Et dixit Ioannes seni: Nū aliquid læsa est lucerna, quia ex ea alias

alias incendisti? Et dixit: non. Et ait. Nec Ioannes læditur si tota Scythia veniat ad eum, nec impeditur à charitate Dei. Quando igitur vis, veni nihil hæsitans, & ita per patientiam vtrorumque abstulit Deus obliuionem à sene. *In vitis Patrum lib. 11. capite primo.*

H**. Dixit Abbas Moyses. Paulum per semetipsum vocans CHRISTVS & alloquens, cum posset ei viam perfectionis reserare, confestim dirigere ad Ananiam mauult, dicens: *Surge & ingredere ciuitatem &c.* Mittit itaque hunc ad seniorem, eumque potius illius doctrina quã sua censet institui, ne scilicet quod item gestum esset in Paulo posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum vnusquisque sibimet persuaderet, se quoque debere solius Dei magisterio potius quam seniorum formari. Vnde comprobatur nulli à Domino viam perfectionis ostendi, qui habẽs vnde valeat erudiri, doctrinam seniorum vel instituta spreuerit, paruipendens quod dicitur: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi &c. Cassianus in collat. Patrum, collat. 2. cap. 15.*

Actor. 9. vers. 7.

Deuter. 32. 7.

I. Quid vobis possum conferre doctrinæ? cum imbecillitas senectutis vt rigorem pristinum relaxauit, ita loquendi quoque ademit facultatẽ? Nam quemadmodum docere præsumam, aut in eo alium instituã, quod me iam vel minus vel tepidius exercere cognosco? Ob quam rem nullũ iuniorem mihi in hac vsque ætate cohabitare permisi, ne exemplo meo alterius districtio laxaretur. Nunquam enim erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui, cordi affixerit audientis. Verba sunt Abbatis Cheræmonis, qui iam centenarium vitæ annum excesserat, ad Cassianum & Germanum, qui ad eum causa doctrinæ & spiritualis institutionis accesserant. *Cassianus in collat. Patrum collat. 11. cap. 4.*

Item, vide Ambitio. a. homo. b. Origenes. i. Plato. e. Sapientia. a. Vxor. b.

DOLOR.

Vide Augustinus. e.

S. DOMINICVS.

BEatus Dominicus, post laborem itineris antequam ad hospitium deuenisset, sitim ad fontem aliquem extinguere cõsueuit, ne in domo hospitis plus bibendo aliquã notam incurreret. *In aurea legenda, sub titulo de eodem, & apud Surium tom 4.* A.

Tres singulis noctibus recipiebat de quadam cathena manu propria disciplinas, vnam pro se, aliam pro peccatoribus, tertiam pro his qui in purgatorio cruciãtur. *Vbi supra.* B*.

Exhortatus quendam S. Dominicus dolis impietatis hæreticæ circũuentum, vt ad Ecclesię rediret sinũ, cum didicisset cum egestate compulsum ab infidelium societate non posse discedere, deliberauit seipsum venundari, atque sui pretio redimere proximum, *Christi* imitaturus exemplum. Quod & fecisset, nisi Deus abundè prouidisset, quo miseri illius hominis releuaretur egestas. Etiam cuidam mulieri cõquestæ ei fratrem suum apud Sarracenos detineri captiuum, ille initio compassionis affectu sancius, vendendum se obtulit pro redemptione captiui. *Vbi supra.* C*.

Appropinquante peregrinationis suæ termino, conuocatis xij. Bononiensis conuentus fratribus, testamẽtum condidit dicens: hæc sunt quæ vobis tanquam filijs possidenda relinquo: *Caritatem habere, humilitatem seruare, paupertatem voluntariam possidere.* Illud vero qua potuit districtione pro- D.*

ne pro-

ne prohibuit, ne quisquam vnquam possessiones in suo ordine induceret temporales; maledictionem Dei & suam terribiliter imprecans ei qui Prædicatorum ordinem diuitiarum terrenarum puluere præsumeret maculare. *Vbi supra.*
Item, vide Exemplum. e. Honor. f.

DOMITIANVS.

A. QVæstorium virũ, quod gesticulandi, saltandique studio teneretur, amouit Senatu Domitianus. Relictas sibi hæreditates ab his, quibus liberi erant non recepit fiscales, calumnias magna calumniantiũ pœna repressit: voxq; eius erat. Princeps qui delatores non castigat, irritat. Hæc de eius bonis initijs, in quibus tamen non perseuerauit. *Suetonius libro octauo, de 12. Cæsaribus c. 8. & 9.*

DOMINVS.

Vide Augustus Cæsar. a. Cura. a. Occisio. c. Roma. g h. a f. Seruus per totum.

DONVM.

A. DAniel super thesauros erat, vt dicit Iosephus, Darij Regis Medorum, quia adeo iustus erat, vt munera oblata respueret. *In hist. scholast. parte tertia, cap. de septima visione Danielis.*
Item, vide Consiliarius. b. Munus per totũ.

DORMIENTES SEPTEM.

A. SEptem fratres apud Ephesum à Decio tormentati pro *Christo* in spelunca se clauserant, & facta oratione ibi obdormierant. Post annos suæ dormitionis circiter 192. ore speluncæ, quod in suo tempore Decius obstruxerat patefacto diuinitus, à sõno surgunt, & asserta fide nostræ Resurrectionis coram Theodosio Imperatore, iterum dormiunt in *Christo. Et infra.* Dixit autem ad Imperatorem Maximianus, vnus de prædictis. Crede nobis quod propter te suscitauit nos Deus ante diem magnæ Resurrectionis, vt credas quod resurrectio mortuorum est: Verè enim resurreximus & viuimus, & sicut infans est in vtero matris non sentiens læsionẽ, & viuit, sic fuimus viuentes iacentes & dormientes & non sentientes. Et his dictis dormierunt. *Vincentius Beluacensis in spec. histor. lib. 21. capitibus 31. & 33. Martyrolog. Rom. 27. Iulij. & ibi doctiss. Card. Baronius.*

DORMIRE.

BErnardus nullum tempus se magis perdere conqueri solebat, quã quo dormiret. Vnde etiã si forte durius stertẽtem audierit, seu minus compositè viderit iacentem, patiẽter ferre vix poterat, & carnaliter seu sæculariter eum dormire causabatur. *In aurea legenda sub titulo de eodem.* A.

Quidam monachus iuuenis quidẽ ætate sed vitæ sanctæ adeo debilis erat corpore, vt eum viuere tæderet. Hic dictis matutinis quadam nocte volens parcere capiti suo vsq; ad laudes, cum super lignum ante altare se prostrauisset, sub forma ordinis vel orationis ibi dormitans, affuit beata Virgo, & veste cũ feriens dixit: Christiane non est hic locus dormiendi sed orandi. Statim ille euigilans posteriora feminæ recedentis vidit, & vocem fæmineam audiuit. *Cæsarius in Dialogo miraculorum.* B.

Dicitur Abbas Hilarion quadraginta noctes mãsisse inter spinas stãs, & non dormiens. *In vitis Patrum libro septimo, capite primo.* C.
Item, vide Acedia. a. Debitum. a. Diabolus. d. Labor. d. Monachus. k.

Draco.

A. Draco miræ magnitudinis quem gentili sermone *Boas* vocant, ab eo quod tam grandis sit, vt boues glutire soleat, omnem latè vastabat prouinciam, & non solum armenta & pecudes, sed & agricolas & pastores tractos ad se vi spiritus absorbebat. *Hieronymus in vita sancti Hilarionis.*

Dubitatio.

Vide Academicus. a. b.

Duellum.

Vide Roma. a a.

Dux.

A. Dum diuus Iulius innumerabili multitudine & feroci impetu Neruiorum, inclinari aciem suã videret, timidius pugnanti militi scutum detraxit, eoque tectus acerrimè præliari cœpit, quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam animi ardore restituit. *Valer. Max. libro tertio, capite secundo, ex Cæsare libro secundo de bello Gallico, & Plutar.*

B. Idem alio prælio legionis Martiæ aquiliferum ineundæ fugæ gratia iam conuersum, faucibus comprehensum in contrariam partem detraxit, dexteram ad hostem tendens. Quorsum tu, inquit, abis? Illic sunt cum quibus dimicamus, & manibus quidem vnum militem, adhortatione vero acri omnem legionem correxit, vincique paratos vincere docuit. *Ibidem Valerius.*

C. Epaminondæ Thebanorum strenuissimi Ducis mortem Thebanorũ perditio sic sequuta est, vt non perdidisse ducem, sed ipsi cum eo tunc perijsse viderentur. *Paulus Orosius libro tertio capite secundo. Iustinus libro sexto. Valer. Maximus libro tertio, capite secundo. Corn. Nepos in eius vita. Cicero libro quinto epist. ad Famil. epist. 12. Diodorus Socrates l. b. 15.*

Item, vide Iulius Cæsar. e. f. g. h. i.

Ebrietas.

Alexander Macedo Clytum charissimum sibi ac fidelissimũ inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certè debuit. *Seneca epist. 83. ad Lucilium.* A.

Marcum Antonium magnum virum & ingenij nobilis quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana traiecit quam ebrietas? nec minor vino Cleopatræ amor hæc illum res hostem Reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit &c. *Seneca ibidem.* B.

Item, vide Patientia. b d. b e.

Ecclesia.

Martyrum loca & basilicæ Apostolorum in vastatione vrbis facta per Gothos, ad se confugientes suos alienosque receperunt, quia nullus illuc confugiens interficiebatur. *S. Augustinus de ciuitate Dei, libro primo, capite primo.* A.

Indicium maximum reuerentiæ pij Principis circa religionem fuit, (scilicet in Constantino) quia vbiq; administrantium sententias imperfectas esse voluit, & ad Episcopos per appellationem refugiẽdum esse sanciuit, si qui vellent ciuiles iudices refutare. Firmam verò illorum sententiam iudicans, potioremque & tanquam ab Imperatore prolatam, ab omnibus obseruandam. *In Tripartita historia, libro primo, capite nono.* B.

Anno Domini 1209. cum Aurelianensis C.

nensis & Antissiodorensis Episcopi ad expeditionem, nisi quando Rex ipse personaliter esset in exercitu, se dicerent vel ire vel mittere non teneri & generali consuetudine contra eos faciente, nullo modo ad id se tueri priuilegio possent: nec tamen ad Regis petitionem hoc emendare vellet, Rex eorum fiscalia confiscauit, ea scilicet tantum temporalia quæ ab ipso feudaliter tenebant *saisiens*, decimas autem & spiritalia eis in pace dimittens. *Vincentius Beluacensis in speculo historiali libro 30. cap. 102.*

D. Illos qui religionis cultui præsunt, quasi animam corporis suscipere, & venerari oportet. Quis enim sanctitatis ministros Dei ipsius vicarios esse ambigit? Porro sicut anima totius habet corporis principatum, ita & illi toti corpori scilicet Reipublicæ præsunt. Augustus Cæsar eousque sacrorum Pontificibus subiectus fuit, donec & ipse (ne cui omnino subesset) Vestalis creatus est Pontifex. *Ioan. Salisberiensis, in Polycratico libro quinto, capite secundo.*

E*. Cum populus lecto Euangelio Ecclesiam exiret, & foris ociosis verbis vacaret, quadam vice post Euangeliũ beatus Ioannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus cũ eis exijt, in medio'ꝑ eorũ sedere cæpit. Omnibus verò mirãtibus dixit. Filij, vbi oues, ibi pastor, aut intrate & ego ingrediar; aut manete hic & ego pariter manebo, semel ergo & bis hoc fecit, & sic populum stare in Ecclesia docuit. *Iac. de Voragine. In aurea legenda de eodem Ioanne Eleemosynario.*

F*. Beati Ambrosij constantia in tuitione ecclesiasticę libertatis apparuit. Vnde cum Imperator auferre vellet quandam basilicam, opposuit se Imperatori, vt ipse testatur in quadam Epistola & recitatur in Decreto. 21. q. 8. capite Conuenior, his verbis. *Conuenior* ipse à Comitibus, vt per me basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo iussisse tradi debere, vtpote in cuius potestate essent omnia. Respondi si à me peteret quod meum est, id est fundũ, argentum me non refragaturum, verum ea quæ diuina sunt Imperatoriæ potestati non esse subiecta, si patrimonium petit, inuadite: si corpus, occurram &c. Allegatur Imperatori licere omnia: ipsius esse vniuersa. Respondeo, Noli grauare te Imperator, vt putes te, in ea, quæ diuina sunt, imperialis aliquid iuris habere, ad Imperatores palatia pertinent, ad Sacerdotes Ecclesiæ. *In aurea legenda sub titulo de Sancto Ambrosio.*

Cum quidam vsurarius ecclesiam de vsuris & rapinis construxisset, Episcopum ad eius dedicationem inuitauit. Episcopo ergo cum suo clero officium consecrationis peragente; vidit Diabolum post altare in cathedra stantem, in habitu episcopali & dixit Episcopo: Quare tu ecclesiam meam cõsecras? Cessa iam quia ad me eius iurisdictio pertinet, quia de rapinis & vsuris ædificata est. Cũ ergo Episcopus cum Clericis territus fugeret, Diabolus continuo ipsam Ecclesiam cum grandi strepitu destruxit. *In aurea legẽda sub titulo de Dedicatione Ecclesiæ.* G*.

In Theutonia fuit quidam Comes, bonæ vitæ secundum homines: post cuius obitum quidam Religiosus vidit in spiritu dictum Comitem in inferno in supremo gradu cuiusdam scalæ, quæ videbatur erecta inter crepitantes flammas ad suscipiẽdos omnes qui ex eadem Comitis genealogia descenderent. Surgebat autem schala de immenso barathro. Hoc H*.

autem ordine succedentium series texebatur, vt qui nouus adueniebat supremum gradum teneret, & qui in eo repertus erat, ad inferiorem proximum descendebat. Cumque ille quæreret, quare ille Comes tam bonæ vitæ torqueretur, audiuit, propter quandam possessionem Metensis Ecclesiæ, quam beato Stephano proauus eius abstulit, cui iam decimus iste in hæreditate successerat. *Petrus Damiani, & ponitur in Vincentij speculo historiali libro 26. cap. 63.*

Epist. ad Dominicum ca. 8.

K. Quoniam laudabile factum Episcopi Aurelij Carthaginensis quomodo impleuit omnibus qui sciunt os laudibus Dei. Quidam cum filios nō haberet neque speraret, res suas omnes retento sibi vsufructu donauit Ecclesiæ; nati sunt sibi filij: reddidit Episcopus nec opinanti, quæ ille donauerat. In potestate habebat Episcopus non reddere, (sed iure fori, non iure poli, id est quadam æquitate naturali.) *Augustinus de vita clericorum, & ponitur 17. quæstione, capite vltimo.*

L. Matrona quædam nobilis in vicinis partibus Tusciæ habebat nurum, quæ infra breue tempus, quo filium eius acceperat, cum socru sua ad oratorij beati Sebastiani dedicationem fuerat inuitata. Nocte vero præcedēti voluptate carnis deuicta, á viro suo se abstinere nō potuit. Cumque mane conscientiam deterreret perpetrata carnis delectatio, processionem vero imperaret verecundia, plus erubescens vultus hominum, quam Dei iudicium metuens, cum socru sua venit. Mox vero, vt reliquiæ B. Sebastiani sunt ingressæ prædictā matronam (mirum) spiritus malignus vexare cæpit. *Gregorius Dialogo. libro primo, capite decimo. Plura Card. Baron. ad Martyrol. Rom. 20. Ianuarij.*

M. In Valeriæ prouincia, quidam curialis Paschali Sabbatho iuuenculam in baptismate suscepit, qui post ieiunium domum reuersus, multoque vino inebriatus eandem filiolā secum manere petijt, eamque nocte illa, quod dictu nefas est, perdidit. Cūque mane surrexisset reus, cogitare cæpit vt ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lauaret maculam peccati, perrexit, lauit, cæpitque trepidare Ecclesiam ingredi, sed si tanto die nō iret ad Ecclesiam erubescebat, si vero iret, timebat Dei iudicium. Vicit tādem humana verecundia: perrexit ad Ecclesiam, sed tremebundus stare cæpit, ac per singula momenta suspectus qua hora spiritui immundo traderetur. Et cum valde timeret, ei in illa Missæ celebritate aduersi nihil contigit, qui lætus exijt, & die altero Ecclesiam iam securus intrauit, factumque est vt iam per sex continuos dies lætus ac securus procederet. Die autem septima subita morte defunctus est. Cumque sepultus fuisset per longum tempus, cunctis videntibus de sepulchro illius flamma exijt, & tamdiu ossa eius concremauit quousque omne sepulchrum consumeret, quod faciens Dominus ostēdit quod eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. *Gregorius Dialog. lib. 4. cap. 33.*

N. Christi ecclesia postquam ad Christianos principes venit, potentia quidem & diuitijs maior, sed virtutibus minor facta est. *Hieronymus in vita Malchi Captiui monachi.*

O. Ludouicus filius Arnulphi Romanorū Imperatoris Augusti finis fuit imperij, quantum ad posteritatem Regis Caroli quondam Imperatoris culpis tam proprijs quam prædecessorum suorum exigentibus. Ecclesias

enim quas patres sui in toto orbe cõstruxerunt, non fouebant, sed potius instigante diabolo dissipabant. *Martinus Polonus in Chronicis.*

Item, vide Ambrosius. c. d. August. o. p. Bellum. f. Clericus. g. Dagobertus. a. Decimæ. k. Dedicatio. b. Diabolus. d. Dormire. b. Martinus. i. Mirabile. b. z. Papa. o. Paupertas. i. Pænitentia. i. Persecutio. a. Roma. e. Sacerdos. c. d. e. Templum. a. Theodosius senior. b.

Edmundus.

A. SAnctus Edmundus in Theologia doctor oblata plura beneficia Ecclesiastica renuit, & ne vnum quidem nisi cum onere residentiæ: quod quoties lectionibus vacare disposuit, solebat, nullius exspectato cõsilio, resignare. Tandẽ vt liberius posset absq; scãdalo, & auditorũ grauamine, verbũ Dei prædicare, beneficium vnum recepit, & retinuit quorũdam victus instantia. Tantum reuerentiæ sacræ Scripturæ detulit, quod quoties Biblia sacra aperuit prius ea osculo honorauit. *In gestis sancti Edmundi Cãtuariensis apud Surium. Et ponitur in speculo histor. Vincentij lib. 32. cap. 78.*

Elatio.

A*. QVadam die dum Pater *Benedictus* vespertina hora corporis alimẽta perciperet, eius monachus cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernã tenebat: cũq; vir Dei ederet, ipse autem cũ lucernę ministerio astaret, per superbiæ spiritum in mẽte sua tacitus voluere cœpit, quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitiũ impendo? Ad quem vir Dei statim conuersus cæpit eum increpare, dicens: Frater, quid est quod loqueris? Signa cor tuum, vocatisque fratribus præcepit lucernam de manibus tolli: ipsum vero iussit à ministerio recedere. Tunc requisitus à fratribus, quæ habuerit in corde per ordinem enarrauit, quanto superbiæ spiritu intumuerat. *Gregorius Dialog. lib. 2. cap. 20.*

B*. Palæstinus quidam, nomine Valẽs, peruenit ad eremum, in qua pluribus annis vixit, & assecutus difficilis vitæ studium ad tantum superbiæ culmen ascendit, vt diabolicis illusionibus falleretur, nescio quid magnum se esse putans, tanquam Angelorum visione ministerioque quotidie frueretur. Referebant ergo eius noti, quod vno die, dum in tenebris opus faceret, acus ei qua sportulam consuebat, cecidisset, & dum eam in obscuro cernere non potuit, lãpade sibi ministerio Dęmonis accensa tandem inuenit. Denique Diabolus in effigie Saluatoris nocte venit cum choro mille (vt finxerat) Angelorum lampades accensas tenentium, & cum flammea rota, in qua Saluatorem sedere simulauit, vno ex eis prædicente, & dicente: Placuit *Christo* conuersatio tua, & ecce venit ad te: tantum egredere de cella tua, & venientem eminus cernens adora. Egressus ergo illum vt Deum adorauit, & sequenti die congregatis ad Ecclesiam fratribus ait. Ego iam communione non egeo: *Christum* enim ipsum hodie vidi. Tunc sancti patres ferreis eum vinculis alligatum sæcularis vitæ conuersationi dederunt, vt ex eo tumor eius animi cessaret, quod nihil commune cum sanctis haberet, & sic eum per totum annum orationibus curauerunt. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus, siue Lausiaca historia.*

Item, vide Humilitas. b. Mirabile. b m. b r. b x. Obedientia. e. Superbia per totum.

ELECTIO.

A. IN quadam Ecclesia Gallicana orta est dissensio de electione Pōtificis. Compromiserunt autem in Cardinalem, qui præsens erat, vt vnum de duobus, quos nominauerant, eis daret. Cardinalis vero sanctum virū Petrum Claræuallensem consuluit. Qui respondit: In duobus falsis denarijs non potest melior inueniri. *In gestis eiusdem Petri Clareuallensis, & ponitur in Speculo historiali, libro vigesimo, capite trigesimo-secundo.*

B*. Quædam sancta reclusa dixit cuidam Abbati Cisterciensis ordinis, volēti scire vtrum expedisset ei esse Abbatem? Non expedit tibi, inquit, quia Simoniacè intrasti. Cui ille, quid dicis? nunquam Simoniam cōmisi. At illa: Instante electione aspirans tu ad Abbatiam nō simpliciter, sicut prius, ambulasti, sed dicebas monachis simplicibus, non esset honor noster si extra Abbatiam eligeremus; & tibi constabat quod in abbatia nō erat alius nisi tu ad hoc idoneus, & sic circumuenisti eos, & factus es Abbas. Quod ille confessus, abbatiæ renunciauit. *Cæsarius in Dialogo Miraculorum dist. 6. cap. 18.*

Item, vide Darius. a. Simonia. c. f. i. Prælatio. d. Episcopus. i.

ELEEMOSYNA.

A. DIxit sancta Lucia matri suæ: Mater mea te precor ne mihi de cętero nomines sponsum, sed quæ datura eras pro dote, pauperibus elargire. Cui mater: Tege & claude prius oculos meos, & quidquid volueris de facultatibus facito. Ad quā Lucia: Quod moriens das ideo das, quia ferre non potes. Da ergo dum viuis & inde mercedem habebis. Cum ergo rediissent de sepulchro Sāctæ Agathæ, fit quotidie distractio rerum, & dant in necessitatibus pauperum. *In legenda sanctæ Luciæ.*

Diues quidam videns Ioannem Eleemosynarium Patriarcham Alexandrinum in strato viles pānos habere, eo quod ceteros pauperibus erogasset, quoddam pretiosum coopertorium emit, & illi dedit. Qui cū illud nocte super se haberet, dormire non potuit. Cogitās ergo quod CCC. domini sui, scilicet pauperes de tanto pretio cooperiri possent, lamētans dicebat: Quanti incænati, quāti pluuijs madefacti præ frigore hodie dormierunt; tu autem in thalamo quiescens te coopertorio 30. numismatū calefacis? humilis Ioannes alia vice hoc non vestietur, statimque mane illud vendi fecit & pauperibus erogauit. Hoc autem audiens ille diues, illud coopertorium secundò emit, & eidem tradidit rogans vt ipsū de cætero non venderet. At ille accipiens iussit iterum vendi, & dominis suis id est pauperibus pretium erogari, quod diues audiēs iterum abijt. Et ipsum redemit, ac beato detulit, eique gratulabundus dixit: Videbimus quis deficiet, an tu vendendo, aut ego redimendo: & sic suauiter vindemiabat diuitem dicens, quod possit aliquis intentione dandi pauperibus, diuites taliter exspoliare; nec peccat: duo enim lucratur, vnū quia animas eorum saluat, alterum quia ex hoc ipse non modicam mercedem habet. *In legenda aurea in sancto Ioanne Eleemosynario.* B*.

Cum quidam miles spoliatus esset, & Ioanni Eleemosynario suam calamitatem exponeret, iussit ei dari 15. libras auri, dispensator autem tradidit ei quinque. Cumque Episcopus C**.

eopus de collecta rediret, vidua quædam dedit in scriptis notitiam xenij 5. centenariorum auri, quam ille suscipiens conuocauit dispensatores suos, quot libras dedistis ei qui recessit à me? Qui dixerunt, Domine, quindecim, vt præcepisti: Quos ille per spiritum sciens esse mētitos, proferens pitatium quod ei traditum fuerat, dixit: Si dedissetis quindecim, vt iusseram, quæ attulit quinque cētenaria attulisset 15. Continuoq́ coram ipsis viduam interrogauit si aliud Deo offerre voluisset, quæ ait: Ego manu mea scripseram 15. centenaria, sed inueni 10. per se esse deleta, & cogitaui quod esset voluntas Dei, vt non darem, nisi quinque. Tunc Patriarcha dimittēte mulierem, illi veritatem confessi indulgentiam petierunt. *Vincentius in Speculo historiali, lib. 23. cap. 108.*

D. Cum sanctus Serapion amictum suum pauperi tribuisset, & alteri obuians, qui frigus patiebatur, tunicam similiter tribuisset, & Euangelium tenens nudus sederet, interrogauit eum quidam dicens: Abba, quis te exspoliauit? Et demonstrans Euangelium. Iste, inquit, me exspoliauit &c. *In legenda aurea.*

E. Cum quædam vidua petiuisset ab eo eleemosynam, quod filij eius esuriebant, eo nihil habente, seipsum ei tradidit, vt eum venderet Græcis, quos in paucis diebus fecit Christianos. Hoc legens de Sancto Serapione, Ioannes Eleemosynarius, ait: Credite mihi, quia vsque hodie putaui quod vel aliquid facerem dans pecunias, nesciens quod & seipsos venderent quidam compassione superati. *Vincentius in Speculo Historiali libro 23. capite 109.*

F. Ioachim & Anna parentes beatæ Virginis, omnem suam substantiam trifariè diuidebant: vnam partem templo & seruientibus impendebāt, aliam peregrinis & pauperibus, tertiam sibi & familiæ suæ reseruabant. *Hoc se legisse refert Hieronymus in quodam libello de Natiuitate Mariæ, quæ in legitimis B. Hieronymi non numerātur.*

G. In magna quadam ciuitate mos fuit quod extraneum & ignotū omni anno eligebant in Principem, cui licebat facere quidquid vellet. Illo ergo in omnibus delitijs permanente, & semper sibi sic esse existimante, repente Ciues in eum insurgebant, & per ciuitatem nudum trahentes in nemorosam Insulam exulem transmittebant, vbi nec cibum nec vestitum inueniēs fame vrgebatur & frigore. Tandem quidam Rex factus cū eorum consuetudinem didicisset, infinitos thesauros ad Insulam illā præmisit, vbi post annum in exilium relegatus, cæteris fame deficientibus, ille abundauit. *Ciuitas* huiusmodi, hic mundus est, *Ciues*, tenebrarum Principes, qui nos falsa mundi delectatione alliciunt, & mors superuenit, diuitiarum vero præmissio fit manibus egenorum. *Ioan. Damascenus in historia Iosaphat & Barlaam.*

H. Peregrinus in quadam villa moriens Sclauiniam suam legauit sacerdoti: quam sacerdos recepit, sed de anima parum curauit. Postmodum sacerdos factus monachus in ordine Cistercienſi, & in dormitorio iacens, raptus est in spiritu ad loca pęnarum: vbi videns multas animas adduci & puniri, occultauit se post ostium, videnſque dæmon prædictam Sclauiniam, dixit: Cuius est vestis illa? Responderunt, Sacerdotis illius qui stat post ostium, quam quum à quodam peregrino legatā recepisset nihil beneficij animæ eius impēdit. Ad quod Diabolus: Expediamus nos statim de illa

Sclauinia est vestis peregrinātium.

illa, tollensque vestem eam in fœtidam & bullientem aquam intinxit: de qua cum faciem & collum Sacerdotis percussisset, excitatus ille exclamauit: Adiuuate, adiuuate. En morior, en incendor. Tūc surgentes monachi inuenerūt totū caput eius exustum, sicque in infirmitorium deportauerunt semiuiuum. *Cæsarius in Dialogo miraculorum, libro duodecimo, capite quadragesimo secundo.*

I. Hilarius Arelatensis Episcopus, vir doctus in diuinis, & amator paupertatis, in pauperes prius, non solum mentis sed & corporis labore pro eis sollicitus fuit. Nam pro ijs reficiendis & rusticationem cōtra vires suas homo genere clarus exercuit: sed nec in spiritualibus laborare neglexit. *Gennadius Massiliensis de viris illustribus, in Hilario.*

K. Eugenius ordinatus Carthaginēsis Episcopus, cœpit per bonam vitam reuerendus haberi, his etiam qui foris sunt & omnibus esse gratus, pecunia apud ipsum nunquam mansisse probatur, nisi forte tali hora offerretur quando nox aderat, tantum reseruabat quantum diei sufficeret, non quantum cupiditas expetisset. *In gestis eiusdem.*

L*. Anno imperij Phocæ secundo, cum quidam pauper à nautis eleemosynā peteret, nec acciperet, dicēte nauclero: desiste eleemosynam petere à nobis, qui nihil hic præter lapides habemus, & cum subiecisset pauper, omnia ergo in lapides vertātur: quidquid manducabile erat in lapides cōuersum est colore & forma rerum earundem manentibus. *Vincentius in speculo historiali libro vigesimo-tertio, capite decimo-septimo.*

M**. Osuualdus Rex Nortoambrorum, cibos sibi propter pauperes subtrahebat. Huius autem dextera manus hodie quoque cum brachio & cute & neruis incorrupta manet, toto corpore reliquo in cineres resoluto. *Helinandus in Chronicis.*

N*. Episcopus quidam Capuanus vidit Benedictum octauum Papā, quasi corporaliter equo insidentem: heu inquit, nonne tu es Papa Benedictus? Ego sum, inquit ille infelix. Quomodo, inquit, est tibi pater? Grauiter, inquit, torqueor, sed perge, inquit, ad fratrem meum Ioannem, qui nunc sedem Apostolicam occupat, eique dices vt illam potissimè summam, quæ in tali theca reposita est, pro me pauperibus distribuat, sicque redimendum me esse quādoque cognoscat. Nam cætera quæ pro me indigētibus data sunt, nil profuerunt, quia de rapina & iniustitia acquisita sunt. *Petrus Damiani, & in speculo historiali Vincentij libr. 26. cap. 21. Martinus Polonus in Chronicis.* Epist. 2. cap. 4.

O. Quidam conuersus Cantuariensis vadens ad nundinas, & quadraginta libras secum deferens, vt eas expenderet in necessitatibus domus suæ, comitem habuit in via militem veteranum, grauatum ære alieno. Tūc conuersus dixit militi se comitaturum, qui ingressi domum creditoris & cum peterent inducias, negauit ille, addens quod filium eius vinctū in carcerem poneret. Pro quo cum oraret conuersus, creditor multa conuitia ei intulit: ad quem conuersus. Hodie, inquit, liberabitur iustus iste de carcere mortis: & proijciens ante pedes eius quadraginta libras redemit filium militis de carcere, ipsumque à debito liberauit. Qui veniens narrauit fratribus quæ gesta erant. Illi vero cum essent viri spirituales, in hoc facto multum cōmendabant eum. *Guilielmus Lugdunensis in summa virtutum, parte 3. rubrica 57.*

Cum

Cum hoc ſcilicet, *quod ſcribitur Exodi 23. ver. 10. Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges eius, anno ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, vt comedant pauperes populi tui,* obſeruatum fuit, vt ait Ioſephus, in anno ſexto in tantum abundabant fruges, quod ſufficiebant ad vſum ſeptimi anni & octaui & ad ſementē. *In ſcholaſtica hiſtoria ſuper Exodum cap. de iudicijs.*

R * *. Dum Wandalorum tempore fuiſſet Italia in Campaniæ partibus depopulata, multique eſſent de hac terra in Africam tranſlati, Paulinus vir Domini, quæ ad Epiſcopium pertinebant cum habere poterat captiuis indigentibus largitus eſt. Et cum iam nihil omnino ſupereſſet, quodam die quædam vidua aduenit quæ à Regis Wandalorum genero filium ſuum in captiuitatem ductum fuiſſe perhibuit, atque à viro Dei pretium huius poſtulauit. Tunc vir Domini fœminæ, quæ dare potuiſſet inquirens, nec aliud quam ſe inueniens, fœminæ reſpondit. Quod poſſim dare non habeo, meipſum tolle, me ſeruum iuris tui eſſe profitere, & me vice filij in ſeruitium trade. Quod illa audiens, putauit deriſionem eſſe potius, quam compaſſionem. At ille dubitanti fœminæ citius perſuaſit, vt audita crederet, perrexere ergo vterq; in Africam. Procedente autem Regis genero, vidua rogata ſe obtulit, ac prius petijt vt ei donaretur filius. Quod cū vir barbarus non ſolum facere, ſed etiam audire deſpiceret, illa ſubiunxit: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo, & mihi vnicum filium redde. Cumque venuſti vultus hominem conſpexiſſet, quam artem noſſet, inquiſiuit. Cui vir domini reſpondit. Artem quidem aliquam neſcio, ſed hortum bene excolere ſcio. Quod ille libenter accepit. Suſcepit itaque ſeruum, & roganti viduæ reddidit filium. Deinde narratur qualiter horti curam gerens emptoris ſui gratiam acquiſiuit. A quo tandem oblatione ſibi facta petendi quod vellet vt cum magno munere reuerteretur, hoc ſolum petijt, vt illi omnes captiuos ſuæ ciuitatis relaxaret. *Gregorius Dialogorum libro tertio, capite primo.*

Quidam iuxta nos Deus-dedit nomine, religioſus habitabat, qui calciamenta ſolebat operari, de quo alter per reuelationem vidit quod ei domus ædificabatur. Sed in ea conſtructores ſui ſolo die Sabbathi videbantur operari, qui eiuſdem viri vitam poſtmodum requirens, inuenit, quia ex his quæ ſingulis diebus laborabat, quidquid ex victu & veſtitu ſupereſſe potuit, die ſabbathi ad beati Petri Eccleſiam deferre conſueuerat, atque indigentibus erogare. Qua in re perpende quod non immerito domus ipſius fabrica ſabbatho creſcebat. *Gregorius Dialogorum libro quarto, capite trigeſimo-octauo.* S *.

Quidam rogauit ſenem quendam, vt acciperet pecunias in ſuis neceſſitatibus profuturas. Ille a[illegible]lebat, vtpote qui opere man[illegible] ſuarum ſibi eſſet ſufficiens, ſed dum ille perſiſteret obſecrando, vt ſaltem pro indigentium neceſſitate ſuſciperet, reſpondit ſenex: Duplex mihi opprobrium eſt, quia & cum non indigeam, accipio, & aliena tribuens vanam gloriam colligo. *In vitis Patrum, libro quarto, parte 2.* T.

Venerunt aliquādo quidam Græcorum, vt darēt eleemoſynam in ciuitate Oſtracini, & aſſumpſerunt ſibi oeconomos Eccleſiæ, vt oſtenderent eis qui neceſſitatem maiorem V.

haberent. Illi autem duxerunt eos ad quendã leprosum, & dederũt ei. Ille autem nolebat accipere dicens: Ecce modicas palmas habeo, quas operor, & facio plectas, & ex eis mãduco panem. Iterum duxerunt eos ad cellam vnius viduæ, quæ erat cum filiabus suis, & cum pulsassent ad ostium, cucurrit filia nuda. Mater autem eius abierat ad quoddam opus. Erat enim candidatrix, & dabant filiæ eius vestimentum, & nummos. Illa autem nolebat accipere dicens, venisse matrem suam & dixisse sibi: Confide, quia voluit Deus, & inueni opus quod faciam hodie, vnde habeamus victum nostrum. Et cum venisset mater eius rogabant eam vt acciperet, & noluit, dicens: Ego habeo curatorem meum Deum, & vos vultis eum tollere à me hodie. Illi autem agnoscentes fidem eius glorificauerunt Deum. *Eodem libro parte 2.*

X. Quidam obtulit leproso cuidam pecuniam dicens. Habe ad expensas tuas, quia senuisti, & infirmus es. Hic autem respondit: Tu post sexaginta annos venis auferre nutritorem meum, & non acquieuit accipere. *Eodem libro parte 3.*

Y. Narrauerunt senes de quodã hortul[illegible]d omnem laborem suum in eleemosynam expenderet. Postea Sathanas immisit in cor eius dicens: Collige tibi aliquantam pecuniam ne cum senueris aut ægrotaueris opus habeas. Et collegit & impleuit lagænam de nummis. Contingit autẽ eum infirmari & putrefieri pedem eius, & expendit, quod collectũ fuerat. Postea vero venit quidam de expertis medicis, & dixit: Nisi incideris pedem tuum, putrefiet, & constituerunt diem vt incideret pedem eius. Illa autem nocte stetit Angelus Domini & dixit ei: Vbi sunt nummi quos collegisti? & vbi est spes de qua tractasti? Et collegit se & ait. Peccaui Domine, ignosce mihi. Tunc Angelus tetigit pedem eius, & statim sanatus est. Et surgens mane abijt in agrum operari. Venit ergo medicus iuxta consuetudinem cum ferramẽtis vt secaret pedem eius, & videns eum fodientem terrã admiratus glorificauit Deum. *Ibidem.*

Frater quidam dixit Abbati Pastori. Si dedero fratri meo modicum panis, aut aliquid aliud, dæmones polluunt illud vt videatur ad placẽdũ fieri. Dixit ei senex. Et si ad placẽdum hominibus fiat tale opus, nos tamen debemus fratribus præbere quod egent. Et dixit ei parabolam: Duo homines agricolæ erant in vna ciuitate habitantes, & vnus ex eis seminans collegit pauca & sordida: alius autem negligens seminare omnino nihil collegit, si ergo fiat fames quis horum potest euadere? Respondit frater. Qui fecit quãuis parũ atq; immundum. Et dicit ei senex. Ita & nos seminemus pauca, ne famis tẽpore moriamur. *In vitis Patr. l. 12. par. 1.* Z.

Monachus quidam Thebæus accepit gratiam ministerij, adeo vt omnibus indigentibus ministraret. Cõtigit autem aliquando in quodam vico, vt agapem facerent, & ecce mulier quædam venit ad eum, vt acciperet, quæ vestita erat vetustissimis rebus quam cum ita vidisset impleuit manum vt daret ei multũ. Clausa est autem manus eius & leuauit parum. Alia autem venit ad eum vestita bene, & videns vestes eius misit manum, vt ei daret parum, & aperta est manus eius, & leuauit multũ, & requisiuit de vtrisque mulieribus illis, & cognouit quia illa quæ bonis vestibus vtebatur de honestis mulieribus ad paupertatem peruenerit, illa A a.

vero,

vero alia accipiẽdi causa se rebus vetustis vestierit. *Eodem libro parte secunda.*

Ab. Monachus erat habens fratrem sæcularem pauperculum, & quidquid laborabat præbebat ei: sed quantum ille ei præbebat, tantum ille pauperior fiebat. Pergens autem monachus ille indicauit hoc seni. Senex autem dixit ei. Vltra non præbeas ei, sed dic illi: Frater quando habui, tibi dedi, tu ergo modo labora, & ex eo quod laboraueris, præbe mihi, & quidquid attulerit accipe ab eo, & vbi scis peregrinum aut senem pauperem da illud & roga eos vt orent pro eo. Ille fecit ita, & hæc dixit fratri: & discessit tristis. Et ecce prima die tollens de horto minuta olera attulit ei. Accipiens autem frater dedit senibus, & rogauit eos vt orarent pro eo: Qui cum accepisset benedictionem, reuersus est in domum suam, postea iterũ attulit ei olera & panes tres, & frater fecit sicut prius. Veniens tertio multas attulit expensas & vinum & pisces. Quod cum frater eius vidisset miratus est & vocauit pauperes & refecit eos. Dixit autẽ illi seculari fratri suo. Non opus habes aliquãtos panes? Et dixit ei: Non Domine quoniã quãdo aliquid accipiebam á te velut ignis intrabat in domum meam, & consumebat illud: nunc autem quãdo à te nihil accipio superabundo. Frater autem seni omnia indicauit. Et dixit ei senex: Nescis quia opus monachorum ignis est, & vbicunque ingreditur, consumit? Hoc autem vtile est fratri tuo, vt de labore suo misereatur, & à sanctis viris orationem accipiat, & ita multiplicabitur labor eius in Domino. *In vitis Patrũ libro decimo-tertio, parte secundà.*

Ac. Senex quidam cum alio fratre habebat communem vitam. Erat autem senex misericors. Contigit autem vt fieret fames. Et cæperunt quidam venire ad eius hospitium, vt acciperẽt agapem. Senex omnibus ministrabat panem. Videns autem frater, quod fiebat, dicit seni: Da mihi partem meam de panibus, & quod vis fac de parte tua. Senex diuisit panem, & faciebat more solito eleemosynam de parte sua. Multi autem cõcurrebant ad senem, audientes quod omnibus daret. Videns autem Deus propositum voluntatis eius, benedixit panes. Frater ille autẽ consumpsit panes suos, & dixit seni: Modicũ est quod adhuc habeo de panibus, Abba, suscipe me ad communem vitam. Et dixit ei senex: Vt vis, facio. Et cæperunt iterum simul esse. Facta autem iterum abundantia victualiũ, veniebant iterum indigentes vt acciperent agapem. Contigit autem vna die, vt intraret frater ille, & videret, quia defecerant panes. Venit etiam pauper postulans agapem. Senex ergo dixit fratri. Da ei panem. Et dixit: Iam non habeo. Et dixit senex. Intra & quære. Ingressus vidit repositionem in qua panes haberi solebant, repletã panibus. Quod cũ vidisset timuit, & tollẽs dedit pauperi, & ita agnoscẽs fidem & virtutẽ senis glorificauit Deum. *Eodem libr. par. 3.*

Ad*. Decem annis cęca mulier ducta est ad B. Hilarionem, oblataque à fratribus omnem suam substantiam se in medicos expendisse ait. Cui sanctus respondit: Si quæ in medicos perdidisti, dedisses pauperibus, curasset te verus medicus IESVS. Clamãte autem illa, & misericordiam deprecante, expuit in oculos eius, & statim Seruatoris exemplo sanauit eam. *B. Hieronymus in vita eius.*

Ae*. Orion, vir primarius, & ditissimus vrbis Hanlæ, á legione dæmonum pos-

possessus, ad Sanctum Hilarionem adductus est, & ab eo curatus. Qui post plurima dona offerens pro gratijs, repulsus est: Non legisti, inquit, quid Giez, quid Simon passi sunt? Cumq; Orion flens diceret: Accipe, & da pauperibus. Ille respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas, & nosti pauperes &c. Tristi autem illi: Noli, inquit, tristari, fili: quod facio, pro te facio & pro me. Si enim hæc accepero & ego offendam Deum, & ad te legio reuertetur. *Ibidem Hieronymus.*

A f. Cum ad sanctum Ammonē venissent quidam, ipse volens probare animos eorum dicit, dolium sibi esse necessarium, vbi aquam pro aduenientibus cōgregaret, & cum polliciti fuissent se perlaturos, vnus de ipsis graue sibi dixit, dicens, posse periclitari camelum suum, si ei tam graue onus imponeret. Tunc alter. Ego, inquit, imponam asino meo pondus, quod camelo tuo onerosū dicis, & merita hominis Dei facient quod impossibile esse possibile. Et ita dolium impositum asino prouexit vsque ad monasterium hominis Dei, ita vt nec sentiret asinus. Quem vt vidit Ammon: Bene fecisti inquit, in asino deferens dolium. Collegæ enim tui mortuus est camelus, & regressus inuenit ita gestum. *In vitis Patrum sub primo titulo de sancto Ammone.*

A g. De sancto Pambone mihi sancta Melania retulit, quod ipsa ei trecentas libras argenti obtulit. Qui cum sederet & vimen intexeret, hoc tantum ait: Det tibi Deus mercedem suam. Deinde oeconomo suo dixit: Suscipe & in fratres egentes diuide. Cumque illa stans pro munere dato benedictionem aut laudes exspectaret & nil ab eo vlterius audiret, ait: Scito Domine in hac argentaria trecentas esse libras. Qui iterum nec sursum quidem aspiciens, respondit: Si mihi istud offerres, competenter hoc diceres. Cum autem non mihi sed illi quem nō spreuisse, sed amplius honorasse duos nummos scimus, tace, quiesce. Nam qui montes lance pensauit, non opus habet à te mensuram cognoscere. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus.*

Vide Ambrosius.a. Auarus.o.p.q. Clericus.g. Dare.a. Dominicus. c. Ecclesia. a. Heremita. b. Histrio. b. Hospitalitas. g. Labor. d. Martinus. c. h. l. Monachus. x a b. Obedientia. a. Paupertas. c. d. Vsura. b.

ELOQVENTIA.

Demosthenes cum inter initia Rhetoricæ primam literā dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnauit, vt à nullo expressius referretur. Deinde propter nimiā exilitatem, vocem suam excitatione continua ad gratum auribus sonum perduxit. *Valer. Max. lib. 8. cap. 7. Plutar. in vita Cic. de oratore 1. de diuinat. 2.* A.

Lateris etiam infirmitate defectus, quas corporis habitus vires denegauerat, à labore mutuatus est. Multos enim versus vno impetu spiritus cōplectebatur, eosque aduersa loca celeri gradu scandens pronunciabat, ac vadosis litoribus insistēs declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, vt ad fremitus concitatarum concionum patientia duratis actionibus vteretur. *Ibidem Valer. Max. & Quintil. libro vndecimo, capite tertio. Cic. quinto de Finibus.* B.

Fertur quoque ori insertis calculis multū ac diu loqui solitus, præliatus est cū rerum natura. Itaque alterū Demosthenem mater, alterum industria enixa est. *Ibidem Valerius.* C.

Missi à Ducibus milites ad M. Antonium D.

tonium oratorem obtrũcandum sermone eius stupefacti, vibratos gladios vaginis reddiderunt &c. *Valerius libr. octauo, capite nono. Appianus de bello Ciuili lib. 1. Plutarc. in Mario. Velleius Paterc.*

I. Pisistratus dicendo tantum valuisse traditur, vt ei Athenienses regium Imperium permitterent, cum contra amantissimus patriæ Solõ niteretur. Quo euenit vt alioqui prudentissima ciuitas libertati seruitutem præferret. *Ibidem Valer. & Iustinus libr. 2. Plutarc. in Solone, Herodot. lib. 1.*

F. Quantum eloquentia valuisse Hegesiam Cyrenaicum philosophũ putamus, qui sic mala vitæ repræsentabat, vt eorum misera imagine pectoribus miserorum multis voluntariam mortem ingeneraret. Ideoque à Rege Ptolemæo vlterius hac de re differere prohibitus est. *Ibidem Val. Max. 8. cap. 9. Diogenes Laertius in Aristippo. Tuscul. 1. Tusculan.*

G. Eloquentiæ ornamenta in pronũtiatione apta & conuenienti motu corporis cõsistunt. *Et infra.* C. Gracchus quoties apud populũ concionatus est, seruũ post se musicæ artis peritũ habuit, qui occulta eburnea fistula pronũtiationis eius modos formabit, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto cõcitatos reuocando. Quia ipsum calor atque impetus actionis attentum huiusmodi, temperamenti æstimatione esse non patiebatur. *Val. Max. lib. 8. cap. 10. Plutarch. in Gracchis. Cic. 3. de Oratore Quintil. 1. cap. 16. A. Gellius lib. 1. cap. 11.*

H. Marcus Cicero quantum in pronunciatione & motu corporis momenti sit, oratione, quam pro Gallio habuit, significauit, M. Callidio accusatori exprobrando, quod præparatum sibi à reo venenum testibus, chirographis, quæstionibus, probaturum se affirmans remisso vultu & languida voce, & soluto genere orationis vsus est, pariterque & oratoris vitium detexit &c. ita claudendo. Tu istud, mi Calidi, nisi fingeres, sic ageres. *Ibidem Valer. libro octauo, capite decimo. Cicero in Bruto. Quintil. libro vndecimo, capite tertio.*

Demosthenes cum interrogaretur, quidnam esset in dicendo efficacissimum, respondit: ἡ ὑπόκρισις, id est pronuntiatio. Iterum deinde, & tertio interpellatus idem dixit: pæne totum se illi debere confitendi. *Ibidem Valerius Maximus. Cic. in Bruto. & 3. de Oratore. Fab. Quintil. 81. capite tertio.* L.

Æschines, cum propter iudicialem ignominiam relictis Athenis Rhodum petisset, atque ibi rogatu ciuitatis suam prius in Ctesiphontẽ, deinde Demosthenis pro eodem orationem clarissima & suauissima voce recitasset; admirantibus cunctis vtriusque columinis eloquentiam, scilicet aliquanto magis Demosthenis. Quid si ipsum, inquit, audissetis? Tantus orator, & modo tam infestus aduersarius sic inimici vim ardoremque dicendi suspexit, vt se scriptorum eius parum idoneum lectorem esse prædicaret, expertus acerrimum vigorem oculorum, terribile vultus pondus, accommodatũ singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus. Igitur etsi operi illius nihil adijci potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest, quod legitur potius quam auditur. *Idem Valerius libro octauo, capite decimo. Cic. 3. de Oratore. Plinius libro septimo, capite trigesimo.* K.

Item, vide Dissentio. a.

EMPTIO.

A. A Piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quidam iactum emerat. Extracta deinde magni ponderis aurea delphica mensa, orta controuersia est, illis piscium capturam se vendidisse affirmantibus, hoc se Fortunam tractus se emisse, dicente: Qua conditione propter nouitatem rei & magnitudinem pecuniæ ad vniuersum ciuitatis eius populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Ille respõdit; illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstaret. Tum Milesij consensu Thaleti mensam dederunt, ille cessit eam Bianti, iste Pittaco, is protinus alij: deincepsque per omnem septem Sapientium orbem, postremo ad Solonem peruenit, qui & titulum amplissimæ prudentiæ, & præmium ad ipsum Apollinem transtulit. *Val. Maximus libro quarto, capite primo. Plutarch. in Solone. Diogenes Laertius in Thalete.*

Item, vide Lex. c. Tullius. a. Mercator. b.

EPISCOPVS.

A. QVid miraris, Petre, quia fallimur, qui homines sumus? An mente excidit, quod Dauid cõtra innocentem Ionathæ filium sententiam dedit, cum verba pueri mẽtientis audiuit? Quod tamen, quia per Dauid factum est, & occulto Dei iudicio iustum credimus, & tamen humana ratione qualiter iustũ fuerit non videmus. Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non sumus? Multum vero quod vniuscuiusque Præsulis mentem curarum densitas deuastat, cumque animus diuiditur ad multa, fit minor ad singula. Hæc B. *Gregorius* ad excusationẽ cuiusdam prædecessoris sui, qui quorũdam Clericorum verbis adulatorijs deceptus, quendam sanctum virum ad Vrbem præcepit adduci. *Gregorius Dialogorum libro primo, capite 4.*

B. Hoc notum tibi sit quia post mortem meam, tu huic Ecclesiæ Episcopus nõ eris propter auaritiam tuam. Verba sunt sancti Bonifacij Episcopi ad Constantinum presbyterum Nepotem suum ad Episcopatum anhelantem. *Eodem libro, capite nono.*

C. Narrauerunt de Abbate Natiram, quia cum esset in cella sua in monte Sina, mediocriter gubernabat vitam, de his quæ erant corpori necessaria. Cum esset Episcopus in Pharã multum coarctabat animam suam in duritia continentiæ, & dicit discipulus suus: Abba, quando eramus in eremo nõ te cruciabas ita. Et dicit ei senex: Fili, illic solitudo erat, & quies, & paupertas; propterea volebam gubernare corpus ne infirmarer: nunc autem hic sæculum est, & occasiones plurimæ sunt excedendi, & si infirmus fuero sunt qui occurrant, ne perdam propositum monachi. *In vitis Patrum, libro decimo-quarto, parte quarta.*

D. Post persecutionem Diocletiani & Maximiani multitudo gentium intrauit, fœcunditas Ecclesiæ creuit in fructibus, sanctis Episcopis iuxta doctrinam Apostolicam iter fidei sincera conuersatione monstrantibus. *Ibidem in vita sancti Pachomij.*

E. Ammonius Pambonis discipulus, in Episcopum postulatus dicebat, acquiescere se omnino non posse. Cũque videret se non posse euadere, ferro sinistram aurem secuit, dicens: Vel nunc probatur non posse quod cupitis im-

re impleri, quia nullus aure præcisa debet ordinari. Ad hoc Dorotheus Episcopus respondit. A Iudæis lex ista seruatur: ego autem si dederitis mihi aliquem naribus truncum, sed moribus probum, non eum dubito facere Episcopum. Cum ergo vim facerent, iratus respondit: Si me vltra coegeritis, etiam linguam abscindā. Et tunc dimiserunt eum. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus, & Historia Tripartita libro quarto, cap. 1.*

F. Quidam Prior Claræuallensis electus in Episcopum est, quo renuente suscipere nec ad imperium Abbatis sui nec Episcopi acquiescente, non multum post defunctus cuidam monacho sibi caro apparuit: à quo requisitus quomodo sibi erat, respondit: Bene. Et adiecit. Reuelatum est mihi à sancta Trinitate, quia si promotus fuissem in Episcopum, fuissem de numero reproborum. *Gulielmus Lugdunensis in Summa virtutum, rubrica 26.*

G. De Augustino legitur quia fugiebat ab omni ciuitate, quæ non habebat Episcopum, ne in Episcopum eligeretur. *Vbi supra.*

H. Accenso Edgari Anglorum Regis animo in amorem Deo sacratæ virginis, perpetratoque peccato, & ad populi audientiam perlato. Dunstanus Cantuariensis Archipræsul dolore affectus mox illum redarguendum, velut alterum Dauid, intrepidus adijt. Cui assurgens Rex, cū manum extenderet, vt eum ad regium thronum deduceret, ille manum dare renuens. Tu, inquit, audes manū Pontificis contingere, qua virginem sacratam non timuisti præripere? Nolo esse amicus cui *Christus* fuerit inimicus. Territus Rex extemplo prosternitur, scelus flebiliter fatetur, veniam petit. Quod vt vidit Pontifex, lachrymans & ipse, Regem à terra leuauit. Deinde cum ei magnitudinem peccati exposuisset, septennem ei pænitentiam indixit; vt in toto hoc spatio coronam regni non gestaret, ieiunium in hebdomada biduale transigeret, sacratis virginibus monasterium fundaret, pauperibus thesauros largè dispergeret, &c. quæ omnia Rex impleuit. Septimo autem anno, cum pænitentię tempus exactum fuisset, Præsul accitis omnibus regni proceribus, coram populi multitudine Regi coronam imposuit: cunctis Deum in Dunstano laudantibus, puerumque ex peccatrice progenitum, de sacro fonte leuauit. *Vincentius Beluacensis, in Speculo historiali, libro vigesimo-quinto, capite septuagesimo-octauo, & Gulielmus Malmesburiensis libro secundo, capite octauo, de gestis Regum Anglorum.*

Quidam Francorum Rex à suo cōfessore quæsiuit, quare tunc temporis Episcopi regni sui non faciebant miracula, sicut olim prædecessores eorum? Ille respondit: Domine olim Episcopi regni vestri fiebant à Deo, omnino humano fauore posthabito, & tūc Deus eos iuuabat in prælaturæ regimen, & in miraculis faciendis: nunc autem per vos fiunt per preces vestras, quas electores præcepta reputant: Vos ergo tales non potestis iuuare in miraculis faciendis, ideo non est mirum si non faciant. *Hoc in Chronicis recolo me legisse.* I.

Item, Augustinus. h. i. Ecclesia. b. c. d. Eleemosyna. k. l. Germanus. a. Martinus. a. b. c. d. Mirabile. z. Mors. d. Sacerdos. c.

ERROR.

Narrauit Abbas Daniel de quodam sene magno, quia diceret per simplicitatem, quod Melchise- A.

chisedech ipse est filius Dei: quod audiens sanctæ memoriæ Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus misit ad eum. Sciens autem quod signifer esset ille senex, & quidquid peteret à Deo, reuelaretur ei, & quia simpliciter diceret hoc verbũ, vsus est tali ratione: Abba, in cogitatione mea est, quod Melchisedech sit filius Dei, & rursus alia cogitatio dicit quia non, sed homo sit, & summus Sacerdos fuerit Dei. Rogo ergo vt preceris dominũ, quatenus tibi reuelare dignetur de hoc. Senex autẽ de conuersatione sua præsumens dixit: Da mihi tres dies inducias, & ego deprecor Dominum de hac re, & renuntio tibi quod mihi fuerit reuelatum. Intrans ergo in cellam suam deprecabatur Deum. Et veniens post tres dies dixit: Homo est Melchisedech. Archiepiscopus autem dixit quomodo constat apud te, Abba? At ille: Deus, inquit, mihi ostendit omnes Patriarchas, ita vt singuli coram me transirent vsque ad Melchisedech, & Angelus assistens mihi dixit. Ecce Melchisedech. Et gauisus est Cyrillus. *In vitis Patrum, libro decimo-octauo, parte prima.*

B. Simpliciores fratres inter ruinas templi & altaris, siue in portarum exitibus quæ Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Iudæorum, & fidei pietate descendit. *Hieronymus in Comment. super illud Mathei 23. vers. 35. vsque ad sanguinẽ Zachariæ. Item, vide Augustinus. in. Deus. a. c. Heresis.*

ESDRAS.

A. TRadunt quidam modum scribẽdi à dextra in sinistram, Esdram Iudæis tradidisse, cum prius ad modum arantium scriberent, vnde & scriptura, exaratio solet dici. Scribebant enim à sinistro cornu in dextrum, & à dextro redeundo in sinistrum. *In historia scholastica parte quarta, cap. de Artaxerse & Esdra.*

ESSÆI.

ESsæi ferè in omnibus monasticã vitam agebant, nuptias fastidiẽtes, non quia coniugia censerent esse perimenda, sed cauendam intẽperantiam mulierum: nullam earum fidem seruare viro protestantes. Omnia habebant communia, probro vnguenta ducentes, squalorem decus putabant, dummodo in veste candida semper essent. Nulla eis certa ciuitas, sed in singulis domicilia habebant. Solem vt oriretur orabant, &c. Iuramentum pro periurio habebant, sectæ suæ neminem adhibentes nisi sub anni probatione. Receptum autem secum post annum duobus alijs annis mores eius probabant: deprehensum in peccatis à se pellebant, vt herbas more pecudum decerpens vsque ad obitum pæniteret. Cum decem simul sederent, nullus nouem inuitis loquebatur, spuere in medium vel in dexteram partem vitantes, à Deo sabbathum obseruantes quod nec eo die aluum purgabant. Dolabrum ferebant ligneum, quo in loco secretissimo terram ad aluum purgandam fodiebant, demissa veste diligenter se contegentes ne splendori diuino facerent iniuriam, ob id statim foueam implẽtes. Viuebant longissimè ob victus parcitatem. Animas omnes à principio creatas pro temporibus incorporari, bonas exutas corporibus vltra Oceanum degere, aiebant: malis procellosa & hyberna loca delegantes. A.

Erant

Erant in eis qui futura prædicerẽt. Quidam coniugibus sed moderatè vtebantur. Nam si omnes homines abstinendum esse arbitrantur, genus humanum deficeret. *Scholastica historia parte nona, capite 33. ex Philone Iudeo l. de vita contemplatiua. Ioseph. l.18. antiq. c.2. & l.2. c.7. de Bello Iudaico.*

EVCHARISTIA.

A*. *Psal 41. vers. 1.* Dixit Abbas Pastor. Scriptum est: *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita anima mea ad te Deus.* Quoniã ergo cerui in solitudine serpentes plurimos glutiunt, & cum veneno eorum accensi fuerint ad aquas peruenire desiderant: bibentes autem temperantur à feruore illo; ita & monachi in solitudinibus habitãtes accenduntur dæmonum veneno, & propterea desiderant sabbatho, & Dominica venire ad fontes aquarum hoc est ad corpus & sanguinem Domini nostri *Iesu-Christi*, vt purgẽtur ab omni amaritudine dæmonũ. *In vitis Patrum libro 18. parte 3.*

B. Sanctus pater Eulogius nomine, qui in offerendis sacramentis tantum gratiæ acceperat à Domino, vt vniuscuiusque accedentium ad altare Dei merita culpasque cognosceret: denique ex monachis quosdam volentes accedere retinebat, dicens: Quomodo ausi estis accedere, cum mens vestra & propositum sit in malo. *In vitis Patrum de sancto Eulogio.*

C*. Monebat S. Apollonius vt si fieri possit quotidie monachi communicarent, ne fortè qui se longè fecerit ab eis lõge fiat à Deo. Qui autẽ frequentius hęc suscipit, frequẽtius ipsum accipit Saluatorẽ &c. Sed & ipsa cõmemoratio Dominicæ passionis, cum sit à monachis, plurimum eis vtilitatis adfert ad exemplum patientiæ &c. Addebat autem quod etiam remissio peccatorum per hæc credentibus datur. *In vitis Patrum. In vita S. Apollonij.*

D.* Dixit Abbas Theonas: vt manifestius approbatur, quod etiam inimici factione nonnunquam hæc eliciatur impuritas, scilicet nocturnæ pollutionis; nouimus fratrem qui cum castimoniam integrã possideret, nec pollutionibus nocturnis tentaretur, quoties se tamen ad percipiendam communionem Dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens fœdabatur. Qui cum multo tẽpore ab ea trepidus abstineret, tandem ad seniores hanc detulit quæstionem. Sed cũ primam causam morbi huius spiritualium medicorum doctrina discuteret, quæ solet ex abundantia ciborum sumptorum descendere, eamq; in eo deprehenderet non esse, inquirunt, ne animæ forsan culpa caro exhausta, ieiunio, illusionibus etiam vrgeretur, quibus etiam districtissimi viri cum paululum elati de corporis fuerint puritate, per superbiæ vitium polluuntur, probãtesque nec animæ esse culpam nec carnis, sacris eum epulis debere misceri censuerunt ne per hãc fraudẽ, scil. medicina remedij salutaris in perpetuũ fraudaretur. Quo facto, ita omnis diabolicæ factionis scena detecta est, vt mox virtute Dominici corporis protegẽte, illa præteritæ illusionis consuetudo cessaret, in quo inimici dolus euidenter apparuit. *Ioannes Cassianus in Collationibus Patrum, collat. vigesima-secunda, capite secundo.*

E. Matrona quædam nobilis Romæ causa deuotionis oblationes facere cõsueuerat, & sũmo Pontifici die Dominico offerre, quę dum quodam die ad cõmunicandũ de manu Apostolica cum alijs accederet, illique cum

Pontifex corpus Dei porrexisset dicens: *Corpus Domini nostri &c.* subrisit illa. Quod vir Dei cernens, sacram communionem illi substraxit, & separatim super altare posuit. Expleto sacro interrogauit eam beatus Gregorius dicens: Dic quid cordi tuo immerserit, cum communicatura risisti? At illa. Recognoui, inquit, illam portiunculam ex eadem oblatione esse, quam ego proprijs manibus feci, & cum intellexerim eam corpus Christi te nominasse, risi. Tūc Sanctus exinde sermonem fecit ad populum, ipsoque cum populo orante, prædicta portio versa est in partem digiti auricularis sanguine cruentatam, cernente matrona & omni populo, vnde in fide est confirmata. *Vincentius Beluacensis in speculo historiali, libro 23. capite 20.*

F. Ad Adrianum Papā secundum Lotharius Rex, quem Nicolaus Papa pro adulterio excommunicauerat, vt se excusaret, venit, & dum Papa pro ostensione suæ innocentiæ ipsum ad communionem corporis & sanguinis Domini inuitaret, tam ipse quam omnes Optimates sui, quia indignè acceperunt, mortui sunt ipso anno. Rex vero in ipsa via redeundo placētiæ obiit. *Chronic. Martini Polon. & Figeb. ad annum 870.*

G. Cum Hugo de S. Victore infirmitate laboraret, & nullum cibum retinere posset, corpus Domini sibi dari vehementer postulabat. Tunc fratres eius turbationem sedare volentes, simplicem hostiam ad instar corporis Domini, detulerunt: quod ille per spiritum cognoscens ait: Misereatur vestri Deus, fratres, cur me deludere voluistis? Iste non est Dominus meus. Mox illi stupefacti cucurrerunt, & corpus Domini detulerunt, sed ille videns, quod recipere non valeret, eleuatis in cœlum manibus sic orauit: Ascendat filius ad patrem, & spiritus ad eum, qui fecit illum, & inter hæc verba expirauit, & corpus Domini disparuit. *In aurea legenda sub titulo de S. Pelagio Papa. Hugo Ranulphus libro septimo, capite decimo in Polychro.*

Item, vide Abstinentia. o. Comestio. b. Dæmoniacus. d. Pestilentia. e.

EVANGELIVM.

Pergens Barnabas Cyprum cum Ioanne, Euangelium S. Matthæi secum detulit, & super infirmos ponens multos sanauit. *In aurea legenda de S. Barnaba.* A.

Item, vide Eleemosyna. d. Luxuria. a.

EXACTIO.

Marcum Antonium Imperatorem laudare quis dignè possit? A principio enim vitæ suę tranquillissimus fuit, in scientia philosophica peritissimus fuit, in datione munerum post victoriā magnificus. Hic post bellum quod habuit contra Germanos, Sclauos & Sarmatas, cū exhausto ærario nil haberet quod militibus daret, magis elegit vasa sua aurea, & ornatum vxoris & multa alia ornamenta alienare, quam Senatum & prouincias grauare. *Martinus Polonus in Chronicis.* A.

Item, vide Consiliarius. b. Domitianus. a. Humilitas. e.

EXCELLENTIA.

Sextus Tarquinij filius, indigne ferens quod viribus patris expugnari Gabinij nequirent, valentiorem armis excogitauit rationem. Subito namque ad Gabinios se contulit, A.

tulit, tanquam parentis sæuitiam & verbera fugiens, & omnium alliciẽdo beneuolentiam, familiarem suum ad patrem misit indicaturum, quemadmodum cuncta in manu sua haberet, & quæsiturum quidnam fieri vellet. Iuuenili callidati senilis astutia respondit. Si quidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autem nuntij parum credulus nil respondit, sed seducto eo in hortum, maxima & excellentissima papauerum capita baculo decussit. Cognito adolescens silentio simul ac facto patris causam altioris argumenti peruidit, nec ignorauit præcipi sibi vt excellentissimum quemque Gabiniorum aut exilio submoueret aut morte consumeret. Ergo spoliatam propugnatoribus ciuitatem ei tradidit. *Valerius Maxi. libro septimo, capite primo. T. Liuius libr. primo. Dionysius libro quarto.*

Excommunicatio.

A. QVidam nobilis genere, sed degener moribus, duxit consanguineam suam. Qui propter hoc ab Episcopo excommunicatus contempsit. Cõtigit vt panes de nuptialibus mensis in plateas ante canes proiecti non tangerentur à canibus. Non post multum temporis in cubiculo dormiens fulmine ictus est. *Petrus Damiani, & Speculum historiale, lib. 26. cap. 63.*

Epist. 2. ad Hildebrandum Papam.

B. Quidam Diabolus loquens in dæmoniaco, post multas adiurationes cuiusdam beati viri, dixit: quod contemptus excommunicationis erat peccatum quo plures lucrabatur. Vnus enim excommunicatus vna die quandoque facit peccare centum personas dum facit eas communicare secum. *Gulielmus Peralta Lugdunensis in Summa Vitiorum, in Tractatu Superbiæ, rubrica 135.*

C. Cum quidam vir quoddam scelus perpetrasset, & coram S. Ambrosio adductus fuisset, dixit: Oportet illum tradi Sathanæ in interitu carnis, ne deinceps audeat talia perpetrare: quẽ immundus spiritus statim discerpere cœpit. *In aurea legenda de sancto Ambrosio.*

D. Arsius monasterij Præsul, delinquentes iuuenes non excommunicabat, sed magis ætate prouectos, dicens: Iuuenis excommunicatus spernit, prouectus vero velociter excõmunicationis dolore corrigitur. *In historia Tripartita, libro octauo, capite primo, initio, ex Socratis Ecclesiastica historia.*

E *. In Episcopatu Linconensi, quidam Faber excommunicatus sententiam contemnebat. Cum autem quadam die cum alijs comederet, venit ante eos porcus. Cui ille proijciens de pane suo ait. Nunc apparebit, si porcus iste de pane meo, qui sum excommunicatus comedet. Porcus autem panẽ tantum odorans, non tetigit. Dedit etiam vni de socijs suis, vt porco daret, qui etiam nec tunc tetigit. Dederunt alij de suo pane, quem porcus statim comedit. *Iacobus de Vitriaco. Item, vide Absolutio. a. Ambrosius. b. c.*

Exemplum.

A **. CVm quidam Princeps latronũ Abbatem quendam, suis rebus spoliasset, in via dixit Abbati: Hodie res istas vendemus & ememus nobis victui necessaria. Tunc Abbas, Fili, quare tantum laboras & exponis te periculo pro victu tuo? Veni mecum ad monasterium, & bene te curabo. Cui ille. Ego non possem comedere fabas vestras & olera, & bibere cereuisiam vestram. Respondit: Ego dabo tibi bonos pisces, & carnes, & bo-

& bonũ vinum. Vix tandem acquieuit ire ad probandum: Qui fecit ei parare pulchram camerã, & pulchrum lectum assignans ei monachum qui ei seruiret: & omni die postquam latro comederat, monachus de præcepto Abbatis tantum panem & aquã sumebat. Tunc latro quæsiuit ab eo: Quid fecisti quod ita omni die te affligis, si homines interfecisti? Cui monachus. Absit quod hominẽ vnquam contristauerim. Rursus latro. Si fornicationem aut adulterium commisisti? Tunc ille se signans ait: Domine, quid dicis? Ego à pueritia hoc monasterium intraui, & nunquã fœminam tetigi. Cui latro: Quare ergo sic te affligis? Ait. Vt Deum mihi habeam propitium. Tunc latro intra se dixit. Quam miser & infælix ego sum, qui tot mala feci, & nunquam ieiunaui. Et vocato Abbate cecidit ad pedes eius, & petijt vt reciperetur, qui postea in monasterio adeo se afflixit, vt abstinentia & religione omnes alios superaret. *Iacobus de Vitriaco, & Ioannes Egidius in scala cæli.*

B. Quidã Episcopus literatus & subtilis missus fuit ad conuersionem Anglorum, & vtens subtilitate in sermonibus suis, nihil profecit. Missus est & alius minoris literaturæ, qui vtens narrationibus & exemplis in sermonibus, pænè totam Angliam conuertit. *Beda in historia Anglorum.*

C. Sciens beatus Dominicus sæcularium corda exemplis citius moueri quam verbis, cogitauit exemplis exempla retundere, & veris virtutibus Sophisticas expugnare. Ergo vt hæreticorum familiares ostensione sanctitatis alliceret, cœpit austerè valde viuere cum suis, vigilijs, orationibus & ieiunijs, & alijs pænitentijs se macerare, ita vt mirarentur & dicerent: Isti homines Dei sunt. Hoc autem faciebant, non vt sibi fauorem humanæ laudis acquirerent, sed vt mentes infidelium ad amorem catholicæ religionis alliceret. *In gestis S. Dominici libro primo, capite octauo, apud Surium tomo quarto.*

D. Plato, & Aristoteles, & omnis in diuersum itura turba sapientũ, plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit, quia lõgum est iter per verba, breue & efficax per exempla. *Seneca epistola sexta.*

E. Dixit Abbas Nesteron: nonnunquã rectè quædam ab alijs gesta malo ab alijs præsumũtur exemplo, & ea quæ nonnullis bene cesserant perniciosa ab alijs sentiuntur. Veluti si quis illam velit illius viri imitari virtutem, quam solet Abbas Ioannes narrare. Quidam veniens ad prædictum senem habitu sæculari, cum ei quasdam frugum suarum primitias detulisset, ferocissimo dæmonio arreptum reperit. Qui cum Abbatis Ioannis obtestationes & præcepta despiciens testaretur nunquam ad illius imperium se egredi, huius aduentu perterritus, cum reuerentissima eius nominis inclamatione discessit. Cuius tam euidentem gratiam senex miratus cœpit eius vitæ ordinẽ & professionem disquirere. Ille se rusticum, vxoratum, victum quotidie quærere labore manuum, nec vllius boni sibi esse conscium testabatur, nisi quod nunquam ante ad ruris opera procederet, neq; domum reuerteretur, nisi in ecclesia pro quotidianæ vitæ commeatu Deo gratias egisset, nec se vnquam de fructibus vsurpasse, nisi prius solutis decimis: & nũquam se boues per alienam messem traduxisse, nisi prius eorum clausisset ora. Compulsum autem se vxorem accipere, cum monachum profiteri vellet, quam nemine conscio sororis

loco

loco à se virginem custodiri testabatur. Quod cum audisset senex clamauit, non immerito dæmonem illius non tolerasse præsentiam &c. *Cassianus in Collationibus Patrum, collatione decima-quarta, capite septimo.*

Item, vide Adulterium. a. Augustinus. d. Doctor. i. Aegyptius. b. Lex. d. e. f. i. Opus. a. Scandalum. c. Senectus. f. Societas. a. Taciturnitas. d.

EXEQVVTOR.

A. Milles quidã, vt ait Turpinus Archiepiscopus Remensis, in bello Caroli magni cum Mauris pugnaturus, rogauit cognatum vt si in bello moreretur equum suum vēderet, & pretiũ pauperibus daret. Quo mortuo cum equus sibi placeret, eum sibi retinuit. Postmodum, defunctus ei tanquam sol fulgens apparuit dicens: Cognate bone, per octo dies me fecisti pati pœnã in purgatorio propter equum, cuius pretium pauperibus non dedisti, sed impunè non feres. Hodie enim ferent in infernum animam tuam diaboli, & ego purgatus vado in regnum Dei. Et ecce subito auditus est clamor, velut vrsorũ & luporum & ipsum de medio abstulerunt. *In aurea legenda sub titulo de cōmemoratione fidelium.*

EXERCITIVM.

A. NVlla alia arte videmus populum Romanum orbem subegisse terrarum, nisi armorum exercitio, disciplina castrorum, vsuque militię. *H. Vegetius de re militari lib. 1. cap. 1.*

B. Antiqui sicut inuenitur in libris, hoc genere exercuere tirones. Scuta de vimine in modum cratiũ rotundata texebant: ita vt duplum pondus cratis haberet, quam scutum publicum habere consueuit. Itaque clauas ligneas duplicis æque ponderis, pro gladijs tironibus dabant, eodemque modo non tantum mane, scil. etiam post meridiem exercebātur ad palos. Duplicis autem ponderis illa cratis, & claua ideo dabant, vt cum vera & leuiora arma tiro sumpsisset, velut grauiori pondere liberatus, securior, alacriorque pugnaret. *Eodem lib. cap. 11. & 12. Vegetius.*

C. Rei militaris periti plus quotidiana exercitia ad sanitatem militum prodesse putauerunt, quam medicos. Itaque tam pedites quam equites seque & equos suos assiduè exercuerũt. *Idem Vegetius libro tertio, capite 3.*

Item, vide Eloquentia. a b c. Experientia. a. Militia. i. Vsus. a.

EXEQVIÆ.

A. DVæ ante portas Massilienfium arcæ iacent, altera quę liberorum, altera quæ seruorum corpora ad sepulturæ locum plaustro deuehuntur sine lamentatione, sine planctu luctus funeris dies finitur. Etenim quid attinet aut humano dolori indulgeri; aut Deo inuidiam fieri, quod immortalitatem suã nobiscum partiri noluerit. *Valer. Max. libro secundo, capite sexto.*

EXORCISMI.

A. EXcogitauit Salomon adiurationes, quibus morbi solent mitigari, alias quibus dæmones ejicerentur, & alias quibus abiecti non redirent. Etiam characteres, qui inscribuntur gemmis, quæ positæ in naribus arreptitij, cum radice Salomoni monstrata, statim eum à Dæmonibus liberabant. Hæc scientia maximè valuit in gente

T 3

gente Hebræorum, ante enim aduentum *Christi* sæpius homines á dæmonibus vexabantur. *In historia scholast. super tertium Regum cap. de præfectis Salomonis & inuentione exorcismorũ. Lege Delrium libro secundo magic. disq. quæst. 30. sect. 2. Iosephus libro octauo, capite secundo antiq.*

B. Erant de Iudæis Exorcistæ, qui per exorcismos Salomonis Dæmones eijciebant, si radix cuiusdam herbæ in naribus poneretur obsessi. Ait enim Iosephus, se vidisse exorcistam captum adductum ad Vespasianum, qui annulum, sub cuius gemma radix erat, posuit in naribus cuiusdam obsessi, & adiurauit dæmonem & egressus est. Vt autem probaret eiectũ Dæmonem, posuit peluim aqua plenam in medio, & adiurauit Dæmonem vt subuerteret peluim, & subuertit eam. *In scholast. histor. parte 7. capite 63.*

C. Videntes quidam Exorcistæ quod ad inuocationem nominis *Iesu Christi* Paulus eijceret Dæmones, cogitauerunt, vti eadem forma verborum sic: Adiuro vos per Iesum Christum quẽ Paulus prædicat. Et sic eijciebant dęmones. Erant autem septem filij Scenæ principis Sacerdotum qui præcipuè adiurabant dæmones, in hunc modum. Et dum quadam die adiurabant dæmonem, vt exiret de obsesso, dæmon respondit: *Iesum noui, & Paulum scio, sed vos qui estis?* Et insiliens in eos verberauit eos egregiè. Et congregati sunt omnes Magi qui per artem magicam imperabant dæmonibus, & combusserunt libros suos ante pedes Pauli. *In historia scholastica, parte octaua, capite nonagesimo-sexto.*

Act. 19. vers. 15.

EXPERIENTIA.

Q Vinctus Scæuola vates legũ certissimus, quoties de iure Prædiatorio consulebatur, ad Furiũ & Casellium, quia huic scientię dediti erant, consultores reijciebat. Quo quidem facto moderationem magis suam commẽdabat quam auctoritatem minuebat, ab his id negotium aptius explicari posse confidebat, qui quotidiano vsu callebant. Sapientissimi igitur artis suæ professores sunt, á quibus & propria studia verecũdè, & aliena callidè æstimãtur. *Valerius Maximus libro octauo, capite duodecimo. M. Tullius Cicero pro Balbo.* A.

Plato conductores sacræ aræ, de modo & forma eius secum conferre conatos, ad Euclidem Geometram ire iussit, scientiæ eius cedens imo professioni. *Ibidem b.* B.

EXTORSIO.

V Idemus sæpè milites qui talias faciunt, esse pauperes plus quam illos qui non faciunt. Et hoc est flagellum Domini, qui non finit eos ditari. *Gulielmus Peralta Lugdunensis in Summa de Vitijs in tractatu de auaritia rubrica 28.* A.

Item, vide Domitianus. a. Regnum. b. Exactio.

FABRICIVS.

C Vm Fabricio Duci Romanorum regni medietatem Pyrrhus Epirotarum Rex obtulisset, vt pacem conditionibus æquis admitteret, contemptus est, sed nec regni medietatem acquieuit accipere. Cum vero Cyneas, vir præstantissimus, qui Romam missus fuerat, reuersus, interro- A.

terrogaretur qualis Roma esset, respondit se Regum vidisse patriam: eo quod ferè omnes tales esset illic qualis esset solus Pyrrhus in Epyro, vel Græcia. Audita ergo Cōstantia Fabricij, dixit Rex: Hic est vtique ille Fabricius, qui difficilius á virtute, quā sol à cursu suo auerti potest. *In Polycratico libro quinto, capite septimo, & scriptor de Viris illust. cap. 36.*

FACIES.

Vide Andreas. a. Pulchritudo. b. Speculum. a.

FALLACIA.

Vide Cautela. b. Episcopus. a. Iuramentū. f.

FAMA.

A. DIuus Augustus filiam impudicam relegauit, & flagitia principalis domus in publicum emisit. Regalis tamen ingenij mos est in præsentium contumeliam amissa laudare, & his virtutem dare vera dicendi, à quibus iam audiendi periculum non est. *Seneca libro sexto de Beneficijs cap. 72.*

Item. vide Gloria temporalis. d. e. g. i. k.

FAMES.

A. TEmpore Caroli Calui tanta fames fuit in Gallia, vt asinos & caballos comederent. *Helinandus in Chronicis.*

B. Anno Domini 1235. facta est valde magna fames in Francia, maxime in Aquitania, ita vt homines herbas campestres, vt animalia comederent. *In speculo historiali Vincentij libro trigesimo-primo, capite decimo tertio.*

C. Recitat Agellius lib. 16. quod cum Fauorinus philosophus visitasset ægrum quendam cuius appetitus elāguerat, ait: Quid mirum? Quia (vt inquit Erasistratus) esuritionem faciunt inanes patentesque intestinorum fibræ, & caua intus ventris, ac stomachi vacua hiantia, quæ vbi, ait, cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur, tunc loco, in quē cibus capitur, vel stipato, vel adducto, voluntas capiendi cibi desiderandique restinguitur, Scythas quoque, vt tamen longius tolerent, fascijs ventrem strictissimè circūligare dicunt, & ea ventris compressione esuritionem posse depelli. *Agellius libro decimo-sexto. Noctium Atticarum, capite tertio.*

Item, vide Abstinentia. e. Cibus. c. Comestio. f. Obsidio. d. e.

FAMILIA.

FErtur Hieronymus tres à mensa clericos exclusisse, quia ipsos incompositos vidit. Turpe ducens honesto & graui viro in eius consortio aliquid incompositum inueniri. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro octauo, capite duodecimo.* A.

Scipio Æmilianus post duos inclitos Consulatus, totidéque præcipuæ gloriæ triumphos, septem seruis sequentibus, officio legationis functus est: & puto Carthaginis ac Numantiæ spolijs plures comparare poterat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare voluisset. Itaque cum per socios, & exteras gentes iter faceret, non mancipia eius sed victoriæ numerabantur: nec quantum auri & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret æstimabatur. *Valerius Maximus libro quarto, capite tertio. Iustinus libro trigesimo octauo. Plutarch. in Apophth. Athenæus libro 16. Scriptor de Viris illust. cap. 58.* B.

Item, vide Cato. c. Cubicularius. a. Cura. a. Fidelitas. a. Obedientia. c. Patientia. f.

FAM-

FANTASMATA.

A. RAtbodo Duci Frisonum, quem hortabatur sanctus Wulframus fieri Christianum, Diabolus in Angelum lucis se transformans apparuit dicens: Noli à Deorum cultu recedere. Cras accersi Wulframū, & ab eo quære quęnam sit mansio æternæ claritatis, quam tibi pollicetur: quam cum monstrare nequiuerit vtriusque partis mittantur Legati, & ego ero dux itineris, & demonstrabo domum auream quam tibi promitto. Euigilans Ratbodus narrauit cuncta Wulframo: qui dixit, sibi diabolum velle illudere. Respōdit Dux, se futurum Christianum, si illa præclara mansio non demonstraretur sibi à Deo suo. Mittuntur ergo statim quidam, Friso ex parte ducis, & quidam Diconus ex parte Wulframi qui cum paululum ab oppido processissent, obuium habuerunt quendam itineris comitem, qui dixit eis: Properate, cito monstrabo vobis pulcherrimam mansionem Ratbodo Duci præparatam. Illi autem pergentes viam latissimam & loca ignota, viderunt quādam viam diuersorum generibus marmorum polito opere decoratam, videruntque à longè domum quasi auream: & peruenerunt ad plateam quæ ante domum erat, intrantesque viderunt eam esse miræ pulchritudinis. Tunc ductor itineris ait: hæc est mansio Ratbodo præparata. Ad hoc Diaconus obstupescens ait: Si à Deo facta sunt ista perpetuo maneant; si vero à diabolo cito dispereant. Et cum signaret se signo Crucis ductor transijt in Diabolum, & aurea domus in lutum. Remansitque Diaconus & Friso in medio locorum palustrium triduoque reuertentes ad vrbem ducem mortuum inuenerunt. Friso autem baptisatus est. *Vincentius Beluacensis, in speculo historiali lib. 24. cap. 146.*

B. Fratrem Henricum Teutonicum, quondam lectorem Prædicatorum in Colonia, hoc narrantem audiui, quod eo existente Priore prouinciali, in partibus trāsmarinis accidit, vt in Atheniēsem ciuitatem gratia fratres visitandi veniret. Facta autē cęna vno vespere conuocauit ad collationē. Sedentibus cunctis super mare, prope littus nebula conscendebat, quæ post paululum annullata apparuit super mare mons altus, & diffusus, & super montem structura in modum castri murorum ambitu, turribus ac palatijs decentissima dispositione mirabilis, & ab ipso castro pons ingens magna diffusione protensus vsque ad litus, per quem equites & pedites diuersi descendebant & ascendebant. Tunc dixit prouincialis prædictus. Surgamus fratres, eamus ad orationem. Illudit enim Diabolus oculis nostris, vt curiositate nos teneat, & à Dei opere torpeamus. Secedentibus fratribus aliqui curiosi vsque ad finem permanserunt, videruntque instante nocte nullam structuræ subsistentiam comparere. *Thomas Cantipratensis libro de apibus, lib. 2. cap. 57. Item, vide Benedictus. e. Mirabile. an. ao. ap.*

FASCINATIO.

A. HOmines in Africa esse apud Plinium didici, qui dicuntur fascinare voce & lingua: vt si impensus fortè laudauerint pulchras arbores, segetes amæniores, lætiores infantes, equos egregios, pecudes astu & gustu optimas, repentè moriantur. Sunt homines in Illyricis, qui in-

terimunt.

terimunt videndo, quos diu irati conspiciunt, eosque ipsos mares & fœminas, quæ visu nocentes sunt, pupillas in singulis oculis habere binas &c. *In Polyc. lib. 5. ca. 15. Plin. l. 7. hist. nat. cap. 2. Delrio lib. 2. quæst. 12. disq. mag.*

B. *l. de Fato.* Cicero dicit Hippocratem scriptum reliquisse, quosdam fratres cum simul ægrotare cæpissent, & eorum morbus eodem tempore ingrauesceret & eodem tempore leuaretur geminos suspicatum, quos Posidonius stoicus eadem constitutione astrorũ natos, eademque conceptos solebat asserere, constitutionem cæli ac siderum quæ fuit, quando nati sunt, velle trahere ad istam ægrotandi parilitatem cum tamen multa diuersorũ affectuum & euentuum eodem tempore in vnius regionis terra eidem cælo subdita potuerunt concipi, & nasci. Potest etiam quando parentes concumbunt in eis considerari valetudo & dispositio eorum. Deinde de hac materia diffusè prosequitur contra Mathematicos ex cõceptionibus vel natiuitatibus hominũ futuros eorũ euentus & actus prognosticare volentes. *Augustinus de ciuitate Dei, l. 5. c. 2.*

C. Solent homines ad tentandũ peritiam Mathematicorum, afferre ad eos constellationes mutorũ animalium, quorum ortus obseruant, eosque præferunt cæteris, qui constellationibus inspectis dicunt non esse hominẽ natum sed pecus. Audẽt & dicere quale pecus, nam ad canina fata tentantur, & cum magnis adiurantium clamoribus ista respondent, sic decipiunt homines, vt æstiment cum homo nascitur cæteros rerum ortus ita inhiberi, vt cum illo sub eadẽ cæli plaga nec musca nascatur &c. *Eodẽ lib. ca. 7.*

D. Non immerito creditur cum Astrologi mirabiliter multa vera respondẽt, occulto instinctu fieri spirituũ non bonorum, quorũ cura est noxias & falsas opiniones de astralibus fatis inserere humanis mẽtib. &c *Ib.*

E. Amicus quidam meus nomine Firminus liberaliter institutus & excultus eloquio, mihi narrauit patrem suum fuisse librorũ Mathematicorũ curiosissimũ: & habuisse amicũ æque illa simulq; sectãtem, qui pari studio & collatione flagrabant in eas nugas igne cordis sui: ita vt mutorũ quoque animalium, si quę domi parerent, obseruarent momenta nascentiũ, atque ad ea cæli positionem notarent. Vnde illius quasi artis experimenta colligerent. Itaque docebat se audisse à patre suo, quod cũ eiusdẽ Firmini prægnans mater esset, etiã pater in illius amici familia quædam pariter vtero grãdesceret. Atque ita factũ est, vt cũ iste cõiugis, ille autem ancillæ dies & horas, minutioresq; horarũ articulos cautissima obseruatione numerarẽt, enixæ essent ambæ simul: ita vt easdẽ cõstellationes vsq; ad easdẽ minutios facere cogerẽtur vtrique nascẽti, iste filio, ille seruo, ita vt aliã positionẽ siderũ, aliasque particulas momentorũ neuter eorũ notare sinerentur. Et tamẽ Firminus diuitijs augebatur, sublimabatur honoribus. Seruus autẽ ille cõditionis iugo nullatenus relaxato Dominis seruiebat. His itaq; auditis & creditis, talis quippe narrauit omnis illa reluctatio mea resoluta cõcedit, id est illa vacillatio, quã habebã de præscientia humanorũ euẽtuum per cõstellationes, sub quibus nascuntur homines. *Et inf.* Vnde rectissimè collegi ea quæ vera cõsideratis constellationibus dicerẽtur, non arte dici, sed forte, qui autem falsa, nõ artis imperitia, sed sortis mendacio. *Augustinus libro 7. Confessionum c. 6. Item, vide Genesis. a. Miraculum. c. Mors. a o. Pharisæi. a.*

Felicitas.

A. CVm Gyges regno Lydiæ armis & diuitijs abundantissimo potitus, inflatus animo Apollinem Pythium sciscitatum venisset, an aliquis mortalium se esset fælicior: Deus ex abdito sacrarij specu, missa voce Aglaum Sophidium ei prætulit. Is erat arcadum pauperrimus, sed etate iam senior: terminos agelli sui nunquam excesserat paruuli iuris fructibus ac voluptatibus contentus. Verum profecto veræ vitæ finem Apollo non adumbratum oraculi sagacitate complexus est. Quocirca de fortuna sua glorianti insolenter, respõdit: magis se probare securitate ridens tugurium, quam tristem curis & sollicitudinibus aulam &c. Ita Gyges dum astipulatorem vanæ opinionis Deum habere cupit, vbi solida esset fælicitas didicit. *Valerius Maxim. libro septimo, capite primo. Plinius libro septimo, capite 46. Solinus capite septimo Polyhistici.*

B. Age quam prudenter Solon neminem, dum adhuc viueret, beatum debere dici arbitrabatur: quod ad vsque fati diem ancipiti fortunæ subiecti essemus. Felicitatis ergo humanæ appellationem rogus cõsummat, qui se incursui malorum obijcit. *Val. Max. libro septimo, capite secundo. Plutar. in vita Solonis.*

C. Nec parum prudens Anaxagoras, qui interroganti cuidam quisnam esset beatus, ait: Ex his, quos tu fælices estimas, nemo, sed eum in illo numero reperies, qui à te miser creditur. Non erit ille diuitijs aut honoribus abundans, sed aut ruris exigui, aut doctrinæ non ambitiosæ fidelis ac pertinax cultor, in secessu quam in fronte beatior. *Ibidem Val. Max.*

Item, vide Beatitudo. Augustinus. e.

Fæmina.

A. VIni vsus olim Romanis feminis ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur. Quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit. Cæterum vt nõ tristis earum & horrida pudicitia, sed & honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti & multa purpura vsæ sũt. *Valerius Maximus libro secundo, capite primo. a.*

B. Egnatus Metellus vxorem, quia vinum bibisset, fustim percussam interemit, idque factum non accusatore tantum, sed & reprehensore caruit. Et sanè quæcumque fæmina vini vsum immoderatè appetit, omnibus virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit. *Idem libro sexto, capite tertio. Plinius libro decimo-quarto, capite decimo-tertio. Tertullian. in Apologia capite sexto.*

C. Afrania prompta ad lites contrahendas pro se semper ad Prætorem verba fecit, non quod aduocatis deficiebatur, sed quod impudentia abundabat. Itaque inusitatis foro latratibus assiduè tribunalia exercendo ad muliebris calumniæ notissimum exemplum euasit, adeo vt pro crimine improbis fœminarum moribus Afraniæ nomen obijciatur. *Idem Val. libro octauo, capite tertio.*

D. Legitur quod S. Augustinus ne cũ sorore quidem sua habitare consensit, dicens: Quæ cum sorore mea sũt, sorores meæ non sunt. Docti vero viri magna cautela nobis debet esse instructio. *Gregorius in Registro. Possidius in vita Augustini.*

Itẽ, vide Crux. f. Dæmoniac. c. Aethiopia. a.

Feria quinta.

A. PRimitiua Ecclesia obseruauit diē Dominicam, & etiam quintam feriam in memoriam Ascensionis, & tunc fiebat processio. Multiplicatis solemnitatibus Sanctorum, sublata est solemnitas quintæ feriæ, & processio translata est ad Dominicam. *Historia scholastica parte septima, capite 196.*

Fertilitas.

A. *l. 3. c. 18. de Bello Iudaico.* IOsephus regionem Genezaram dicit admirabilem. Nam tota diuersi generis arbustis consita, nulli eorum vbertatem suam negat. Sūt palmæ, quas nutrit calor æstiuus, sunt ficus & oleæ, quibus aura mollior destinata est. Hanc dicit irrigari fonte, qui dicitur Capharnaum. Quia quidam venam Nili esse opinantur, quia Ceratinum piscem generat qui alibi nisi in Nilo non reperitur. *Historia scholastica parte septima, capite quadragesimo-primo.*

Festinatio.

A. QVidam habebat anserem, qui omni die oua ponendo aceruū faciebat, cogitauitque quod omnia illa oua simul haberet, & ventrem anseris aperiens vnum solum inuenit, & sic ex nimia festinatione, quæ in futurum. Habiturus erat, amisit. *Iacobus de Vitriaco. & Aesopus de Gallina, à vetula saginata.*
Item, vide Hannibal. i.

Festum.

A. TEstatur Gregorius Turonensis, quod quum rusticus quidam die Dominica arare præsumeret, apprehensa securi vt vomerem emēdaret, confractis digitis manubrium eius manibus adhæsit. *Vincentius in speculo historiali, libro decimo quarto, capite trigesimo-secundo.*

B. Cum pauper quidam Dominica die contra vsum Ecclesiasticum opus seruile exerceret, & in mola farinam conficeret, manus eius, qua molam rotabat, arida subito & inutilis effecta est. Procidens ille ad genua S. Audoeni, reatum suum confitetur: Et ille signum Crucis manu eius impressit, & sanauit pauperem, admonens Dominicis & festis diebus ad Ecclesiam venire, verbum Dei audire, nec vllum opus exercere seruile, siue summa necessitate. *In gestis sancti Audoëni.*

C. In Kalendis & Sabbathis prophetæ, & Doctores solebant frequentari, & audiri. *Super quartum Regum capitulo de suscitatione filij Sunamitis in historia scholastica.*

Foetor.

Vide Auaritia. b. Peccatum. b.

Fidelitas.

A. COnstantius Imperator quosdam in suo palatio probare volens Christianos, an boni ac solidi essent, præcepit vt siquidem ad sacrificandum venirent, & deos eius colerent, circa eum essent, si vero refugerent, egrederentur de palatio, gratias agentes, quod non punirentur. Cum ergo in vtroque apparerent, alij religionis desertores, alij diuina præsentibus præponentes, deliberauit illis amicis & consiliarijs vti, qui fideles in melioribus constantesque per māserant, alios autem velut effæminatos expulit á suo colloquio. *In historia Tripartita libro primo, capite septimo.*

B. Cyzium in contumeliam Romanorum Mithridates obsederat, vrbisque captiuos perduxit, & ostendit obsessis, vt miseratione suorum ad deditionem compelleret. At illi cohortātes eos ad mortem fortiter excipiendam, fidem seruauere Romanis. *Petrus Blesensis in epist. 89. ad Radulphum Andegauensem Episcopum.*

C. M. Attilius Regulus, & Publ. Furius Philus Censores L. Metellum Quæstorem, compluresque equites Romanorum, qui post infæliciter commissam pugnam Cannensem, cum eo se abituros Italia iurauerant, direptis equis publicis, inter ærarios referendos curauerunt eosque graui nota affecerunt: qui cum in potestatē Hannibalis venissent, Legati ab eo missi ad Senatum de permutandis captiuis, neque impetrasset quod petebāt, in vrbe manserunt: Quia & Romano sanguini fidē præstare conueniens erat, & M. Attilius Regulus Censor perfidiā notabat, cuius pater per summos cruciatus expirare, quam fallere Carthaginenses satius esse duxerat. *Val. Max. lib. 2. c. 9 & T. Liuius lib. 24.*

D. Petellini ab Hannibale obsessi, legatos ad Senatum auxilium implorantes miserunt. Quibus propter recentem Cannensem cladem succurri non potuit. Cæterum permissum est, vti facerent quod vtilissimum eorū incolumitati videretur. Liberum ergo erat Carthaginensium gratiā amplecti. Illi tamen fæminis, omnique imbelli ętate vrbe eiecta, quo diutius armati famem traherent, pertinacissime in muris perstiterūt: expirauitque prius eorum tota ciuitas quā ex parte vlla respectu Romanæ societatis deponeret. Itaque Hannibali non Petelliam, sed fidum Petellinæ sepulcrum capere contigit. *Idem lib. 6. cap. sexto. T. Liuius lib. 23.*

E. In omnibus belli Punici secundi malis, nihil miserabilius, quam exitium Saguntinorū fuit. Erat eorum vrbs confœderata Romanis. Hānibal fracto fœdere inter Romanos & Carthaginenses, post primum bellum punicum, causas quæsiuit, quibus eos irritaret. Saguntum ergo obsidebat: Quod vbi Romæ auditū est, missi Legati ad Hannibalem, vt ab eius obsidione discederet, contempti Carthaginem pergunt: queruntur de fœdere rupto, infectoque negotio Romā redeunt. Dum hęc mora fit, Saguntum octauo mense à Pœnis deleta est. Primo quidem hæc ciuitas fame contabuit: & suorū cadaueribus pasta perhibetur. Dehinc omniū fessa rerum, saltem captiua ne in manus hostis veniret, rogum publicè construxit, in quem ardētem ferro trucidatos omnes se suosque miserunt. *Augustinus de ciuitate Dei, libro 3. cap. 20. Val. libro 6. capite 6. Liuius lib. 21. Polybius & alij. Itē, vide Constantia. a b. Fabricius. a. Fortitudo. e. Herodes. a. Iacobus Zebedæi. a. Militia. i. Obsidio. a. Seruus. b. Victoria. n.*

FIDES.

A. CVm Iacobus Zebedæi Hermogenem Magum ad se per dæmones adduci fecisset, manibus eius à tergo ligatis, eum per Philetum discipulum suū solui fecit eique dixit: Vade liber quò volueris, non est enim disciplinę nostræ vt inuitus aliquis cōuertatur. *In aurea legēda de S. Iacobo. Item, vide Origenes. l.*

FIDVCIA SVI.

A. SCipio Africanus Maior speculatores Hannibalis in castris deprehēsos, & ad se perductos, nec supplicio affecit, nec de consilijs ac viribus Pœnorum est percunctatus, sed circa omnes

omnes manipulos diligentissimè deducendos curauit, interrogatosque an satis ea considerassent, prandio dato ipsis iumentisq; eorum, incolumes dimisit. *Valerius Max. lib. 3. cap. 7. T. Liuius libro 30. & Zonaras.*

B. Cum à Lucio Scipione ex Antiochẽsi pecunia sestertij quadragies ratio in curia reposceretur, prolato ab eo libro, quo acceptæ & expẽsę summæ continebantur, discessit, indignatus de ea re dubitari, quæ sub ipso Legato administrata fuerat. *Ibidem Valerius & T. Liuius lib. 38. Scriptor de viris illustr. cap. 49. & 53.*

C. Cum ad necessarium Reipublicæ vsum pecuniã ex ærario promi opus esset, idque Quæstores, quia lex obstare videretur, aperire nõ auderẽt, Scipio Africanus priuatus claues poposcit, patefactoque ærario legem vtilitati cedere coegit, quam quidẽ ei fiduciam conscientia illa dedit, quia meminerat omnes leges à se esse seruatas. *Ibidem Val. & T. Liuius lib. 38.*

D. Cum eo bello, quod aduersus Pyrrhum gerebatur, Pœni c. ac xxx. nauium classem in præsidium Romanis Ostiam vltro misissent; Senatui placuit legatos ad Ducem eorum ire, qui dicerent populum Romanum bella suscipere solere, quæ suo milite gerere posset: proinde classem Carthaginem reducerent. *Ibidem Valer. Max. & Iustinus libro 18.*

E. Nobiliter vterque Spartanus se habuit vel respõdit: & qui increpatus à quodam, quod in aciem claudus descenderet pugnare, sibi nõ fugere propositum esse respondit. Et referente quodã sagittis Persarũ solem solere obscurari: Bene narras, inquit, in vmbra, melius præliabimur. Eiusdẽ vir vrbis atque animi hospiti suo patriæ muros excelsos latosque ostendenti: dixit: Si mulieribus ista comparastis, rectè, si viris, turpiter. *Ibidem Val. Max. lib. 3. cap. 7. Plut. in Apophtheg. Laconicis.*

Filia.

A. Augustus Cæsar filiam suã & neptes ita instituit, vt eas lanificio assuesceret, vetaretque loqui aut agere quidquam nisi palam. Extraneorum cœtum adeo prohibuit, vt L. Tucinio claro & decoro iuueni scripserit, ipsum parum modestè fecisse, quod filiam suam venerat salutatum. *Suetonius in Augusto cap. 64.*

Filius.

A. Eduardus Rex Angliæ, qui in regno successit Elfredo, filias suas primo instituit literis erudiri, mox colo, fuso, & acu exerceri. Filios suos primo literis fecit imbui, deinde regni gubernacula addiscere. *In spec. histor. Vincentij libro 25. cap. 52.*

B. Quidam vsurarius habuit duos filios, quorum vnus nolens succedere in malè acquisitis, factus est Eremita. Alius volens succedere, remãsit cum patre. Quo mortuo successit ei, sed non multo post & ipse decessit. Cum autem nuntiatum esset Eremitæ de morte patris, & fratris, doluit valde, credens damnatos esse. Et cum rogasset Deum, vt reuelaret ei statum eorum, raptus est, & in infernum ductus, & non inueniebat eos. Sed ad vltimum exierunt de quodam puteo, primo pater, deinde filius, mordentes se & litigantes ad inuicem. Patre dicente filio, maledictus sis, quia pro te vsurarius fui. Filius æque dicebat, maledictus sis, quia nisi acquisiuisses iniustè, ego non retinuissem iniustè, nec damnatus fuissem. *Gulielmus Lugdunensis, in Summa vitiorum in tractatu de Auaritia, rubrica 11.*

C. L. Iunius Brutus, filios suos Tarquinij dominationem à se expulsam reducentes, comprehensos virgis cæsos ad palum alligatos securi percuti iussit. *Valerius Maximus libro quinto, capite octauo. T. Liuius libro secundo. Dionysius Haluarn. libro quinto.*

D. M. Scaurus, lumen ac decus patriæ cum apud Athesim flumen impetu Cimbrorum Romani equites pulsi procos. Catulo pauidi vrbem repeterent, consternationis eius participi filio suo misit qui diceret, se libentius in acie interfecti ossibus eius occursurum, quam ipsum tam deformis fugæ reum visurum. *Valerius Maxim. libro quinto, capite octauo. Auctor de Viris illust. cap. 27. Frontinus lib. quarto. Stratagemat. cap. 8.*

E. Aulus Fuluius filium iuuenem amicitiam Catilinæ sequutum, medio itinere retractum, supplicio mortis affecit; præfatus non se Catilinæ illum aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse. *Ibidem Valer. Max. & Sallustius in Catilinario. Dion. lib. 37.*

F. T. Manilius Torquatus, cum ad Senatum Macedonia de filio eius D. Silano, qui eam prouinciam obtinuerat, querelas per legatos detulisset: summo tum amplissimi Ordinis, tum etiam eorum, qui quæstum venerant consensu cognitione suscepta, domi consedit: solusque vtrique parti per totum biduum vacauit, ac die tertio plenissime, diligentissimeque auditis testibus, ita pronunciauit. Cum Silanum filium pecunias à socijs accepisse probatum mihi sit, & Republica eum, & domo mea indignum iudico. Tum tristi sententia perculsus Silanus, proxima nocte suspendio se consumpsit, at pater exequijs adolescentis non interfuit &c. *Ibidem Valer. libro quinto, capite octauo. Liuius libr. 54. Cicero primo de Finibus.*

G. Carolus magnus, quam cito ætas patiebatur, filios faciebat equitare: Filias vero lanificijs, colo, ac fuso intendere, ne per otium torpescerent. *Martinus Polonus in Chronicis.*

Item, vbi Augustus Cæsar. c. Domitianus. a. Ecclesia. k. Furtum. g. Iudicium Dei. c. Lex. d. Matrimonium. e. Militia. a. d. e. Ornatus. b. Roma. a. b. Similitudo. c. Vsura. d. Vxor. e.

Finis.

A**. Iuuenis quidam veniens ad nundinas, cum circumeundo diuersa operatoria, venisset ad quoddam, in quo erat senex venerandus, qui nihil habere videbatur ad vendendum, & ab eo quæsisset, quid venderet? Respondit senex, sapientiam. Et dixit: Et ego eam volo emere. Vende mihi pro centum marchis, quibus receptis docuit eum hanc sapientiã. *In omni tempore tuo cogita primo ad quē finem potes peruenire.* Cũque ille murmuraret, reputans se deceptum, dixit ille: *Vadas, & ne tradas obliuioni, sed vbique scribe.* Cum autem Barbarius seu tonsor quidam literatus, qui pactum fecerat cum inimicis, de iugulando eum, parans se ad radendum, & iugulandum eum, illud legisset, cogitans ad quem finem posset venire ob illã traditionē, cœpit timere, & pauescere. Quod videns ille nobilis, fecit eum stare & quæsiuit, quid haberet? Tonsor vero accepta ab eo securitate, totum reuelauit. Tunc ille cognouit, sapientiam emptam sibi plurimum profuisse. *Hubertus libro de Dono Timoris. Et Thomas Cantipratanus libro secundo de apibus, cap. 43.*

Item, vide Voluptas. e.

FLAN-

FLANDRIA.

A. TEmpore Caroli secundi, Romanorum Imperatoris, cognomen Caluij, Comitatus Flandriæ narratur exordium cepisse. Non erat tanti nominis, nec opulentiæ sicuti modo, sed à Regum Francorum forestarijs regebatur. *In Chronicis Martini Poloni.*

FLETVS.

A. REctè Lycij, cum ijs luctus inciderit, muliebrem vestem induunt, vt deformitate cultus commoti, maturius stultum proijcere mærorẽ velint. *Valerius Maximus libro secundo, capite sexto. Plutarch. in Consolatoria.*

B*. Cum Abbas Pambo de eremo ad Alexandriam descendisset, videns ibi mulierem Theatralem fleuit. Quæsitus quare fleret, ait: Duę res me mouerunt; vna de illius perditione, alia, quia non habeo tale studium placendi Deo, quale habet ista vt hominibus placeat. *In vitis Patrum libro tertio, parte secunda; & in Tripartita historia libro octauo, capite primo.*

C*. Audiens Abbas Pastor, quia mortuus erat Arsenius, fleuit & dixit: Beatus es Arseni, quia fleuisti teipsum in sæculo isto. Qui enim in hoc mundo non fleuerit, sempiternè plorabit illic. *In vitis Patrum libro decimo-quinto, capite primo.*

D. Sanctus Eutychus, cum esset Laicus, & peregrinis studijs eruditus, totum se patrum institutionibus dedit. Ex quibus & diuersas consuetudines sumpsit, vnoque volumine colligauit: Non multo post monachus effectus est. Decurso autem vitæ stadio, circumstantibus fratribus subito spiritum emisit: & cum eius discipuli, exequias pararent, viuus redijt, illisque mirantibus ait: In his quatuor annis vnum tantum diem nõ memini me cibum sumpsisse nisi prius fleuissem. Hodie autem sublato mærore consolatus est me Deus, & inter choros Angelorum tribuit mihi requietis locum. *In speculo historiali. Vincentius lib. 25. cap. 59.*

Item, vide Arsenius. b. Homo. c. d. Mirabile. a h.

FORNICATIO.

NArrauerunt de Abbatissa Sara, quia mansit 13. annos fortiter à fornicationibus dæmonum impugnata, & nunquam orauit, vt recederet ab ea huiusmodi pugna, sed solum dicebat: Da mihi, Domine, fortitudinem & virtutem. Dixerunt iterum de ea, quod apparuit ei Spiritus fornicationis corporaliter, & dixit ei: Me vicisti, Sara. Illa autem. Ego te non vici, sed Dominus meus *Iesus Christus. In vitis Patrum lib. quinto, parte secunda.* A*.

Frater quidam stimulabatur à fornicatione. Frater autem decertabat, non tamen consentiens cogitationi suæ. Post multum autem temporis discessit ab eo stimulus nil præualens ob perseuerantiam fratris, & statim apparuit lux in corde eius. *Ibidem.* B.

Alius stimulatus est à fornicatione, & surgens nocte dixit seni cogitationem suam, & consolatus est eum senex, ex qua consolatione proficiens reuersus est in cellam suam: & ecce spiritus iterum tentauit illum. Ille autem abijt ad senem. Senex autem non contristauit eum, sed loquebatur ei, quæ ad vtilitatẽ eius pertinerent, dicens: Non concedas Diabolo, nec relaxes animum tuum, sed quoties molestus est dæmon, veni, & increpa- C.*

crepatus recedet. Nihil enim sic extenuat dæmonem fornicationis, quã si reuelentur stimuli eius: & nihil eum sic lætificat, quam si abscondantur cogitationes eius. *Ibidem.*

D.* Alius stimulatus à fornicatione, cœpit decertare, & extendere abstinentiam suam per 14. annos, custodiens se ne consentiret concupiscentiæ suæ. Postea veniens ad Ecclesiam, manifestauit vniuersæ multitudini quod patiebatur, & datum est mandatum, & omnes se affixerunt pro eo hebdomada vna, iugiter orantes Dominum, & quieuit spiritus eius. *Ibidem.*

E*. Frater quidam, cum idem pateretur, rogauit quendam senem dicens: Ora pro me, Abba, quia fornicatione sollicitor. Senex autem deprecatus est Dominum, & iterum veniens idẽ dixit: similiter, & senex orauit, dicens: Domine reuela mihi vnde in hoc fratre operatio est ista diaboli. Et reuelauit Dominus quæ agebantur circa fratrem illum, & vidit eum senex sedentem & spiritum fornicationis iuxta eum, & quasi ludentem cum eo, & Angelus stabat missus in adiutorium, & indignabatur aduersus illum, quia non se prosternebat Deo, sed quasi delectabatur cogitationibus suis. Et agnouit senex, & annunciauit ei dicens: Tu consentis cogitationi tuæ, & docuit, quomodo ijs deberet obsistere. Et respirãs frater per doctrinam & orationem senis inuenit requiem à tentatione sua. *Ibidem.*

F*. Frater quidam erat probatus tentationibus in Scythi & immisit ei dæmon cogitationem mulieris pulchræ, quam cum audisset esse mortuam, ascendit vbi sepultam audierat, & fodit locum, & extorsit cruorem putredinis eius in vestimento suo, & reuersus habebat illud in cella sua, & cum nimis fæteret, ponebat ante se, & dicebat: Ecce desiderium quod quærebas, habes illud: satiare ex eo. *Eodem libro parte quarta. Simile tradit Cantipratanus libro secundo de apibus cap. 30. de Guidone Pastore.*

G*. Frater interrogauit senem dicens: Cogitatio mea semper in fornicatione intenta est, & non sinit me quiescere. Ille autem dixit ei: Quando initium facit loquendi in corde tuo, nõ ei respondeas, sed surge & ora dicẽs: *Fili Dei, miserere mei. In vitis Patrum libro quinto, parte sexta.*

H. Senex erat in Scythia, qui cum infirmaretur, valde seruiebant ei fratres. Videns quia laborarent dixit: Vadam in Ægyptum, vt non soluam fratres istos. Et dixit ei Abbas Moyses: Non vadas, quoniam in fornicationem incursurus es. Ille dicebat: Mortuum est corpus meum, & tu ista dicis? Abijt ergo in Ægptum. Quod cum audissent homines circumcirca habitantes, offerebant ei multa. Venit etiam ad eum quædam virgo fidelis, volens ei obsequium præstare. Post modicum tempus, cum melius habuisset, ex eius congressu illa concepit. Interrogata illa vnde conceperit, respondit de sene. Illis autem non credentibus, senex dixit. Ego hoc feci, custodite infantem. Ablactatum ergo eum tulit senex in humeris suis, & die qua erat festiuitas in Scythia, occurrit & intrauit Ecclesiam coram multitudine fratrum. Illi autem videntes eum fleuerunt. Qui dixit: Videtis infantem hunc? filius est inobedientiæ. Cauete ergo, fratres, quia in senectute hoc feci, & orate pro me, & pergens ad cellam suam ad initium primæ suæ conuersationis reuersus est. *Eodem lib. parte septima.*

I. Moyses Æthiops genere, niger colore, latro publicus & homicida fuisse dicebatur. Compunctus autem ad monasterium se contulit, sed dæmonibus eum vrgentibus, vt ad antiquam fornicationem rediret, ita tentatus est, vt pæne à proposito recederet. Quas impugnationes cum sancto Isidoro referret, ille respondit: Noli tristari, quoniam adhuc principia tua hæc sunt. Sicut enim canis à macello, quo vesci assuetus est, non recedit: Quod tamen si clausum fuerit, abscedit, sic & tu, si in abstinentia perstiteris, fatigatus dæmon, cui ciborũ fomenta non porrigis, molestus esse cessabit. Ex tunc Moyses curam fortiter gerens, nihil præter panem accepit, maximo tamen operi incumbens. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus.*

K. S. Euagrius ordinatus est Lector à S. Basilio, postea Diaconus à S. Gregorio Nazianzeno. Huic fortiter sẽper spiritus fornicationis incubuit, vnde per totam noctẽ in hieme nudus in puteo stabat vt gelu carnes constringerentur. *Ibidem Heraclides.*

L. Innocentius presbyter, cum quo vixi tribus annis, simplicissimus hominum fuit. Qui cum olim sub Imperatore Constantio militasset, sæculo renuntiauit. Filium suum Paulum maledixit, eo quod filiam presbyteri cuiusdam corrupisset. Deprecatusque est Deum dicens: Da illi, Domine talem spiritum, vt in carne sua nunquam tempus inueniat ad peccãdum. Rectius enim fore credebat, si cum atrocitate dęmonis, quam si cum impuritate corporeæ voluptatis certaret. Quod vt dixit, ita factũ est. Nam vsque nunc idem Paulus ferreis catenis vinctus, in mõte Oliueti consistit à dæmone vexatus. *Ibidem Heraclides in Paradiso.*

An homini liceat Dæmonem alteri immittere, vide P. Petrum Thyræum de dæmoniacis cap. 16. Sulpitius in vita S. Martini Dialog. 1. scribit quendam Anachoretam à Deo postulasse & impetrasse, vt per menses aliquot eius corpus dæmonio inhabitante affligeretur, ob periculum superbiæ, quod metuebat. Cognouit sanè ille Anachoreta quemadmodum & hic Innocentius non semper præteritis & commissis peccatis tribui dæmonum torturam, sed quandoque admitti, ne in peccata homines labantur, Deumque offendant.

Item, vide Adulterium. Antonius. b. a. Clericus. e. Ecclesia. m. Lex. c. Luxuria. a. Tentatio. b. c. d. m. q. r. s. Idem à D. Bernardo factum legitur.

FORTITVDO.

A. Scipio Æmilianus, cum sub Lucullo Duce in Hispania militaret, atque Intercatia præualidum oppidum obsideretur, primus eius mœnia conscendit &c. deforme sibi existimans, quibus dignitate præstaret ab his virtute superari. *Valerius Maximus libro tertio, capite secundo. T. Liuius libro quadragesimo-octauo. Appianus Iberica. Scriptor de Viris illustr. capite 58.*

B. Lucium Sicinium tentatum tradunt certi auctores inter quos M. Varro, centies & vigesies in aciem descendisse, eo robore animi atque corporis vtentẽ, vt maiorem semper victoriæ partem traxisse videretur quinque & quadradraginta vulnera pectore accepisse tergo cicatricibus vacuo. *Idem libro tertio, capite secundo. Dionysius libro decimo. Plinius libro septimo, capite vigesimo-septimo.*

C. Lucius Cordus Scæuula cũ á Porsena Tuscorum rege Romã diuturno bello vrgeri ægrè ferret, castra eius clam ferro cinctus intrauit:

immolantem ante aras conatus est occidere. Cæterum inter molitionem pij pariter ac fortis propositi oppressus, nec causam aduētus texit, & tormenta quantopere contemneret, mira patientia ostendit. Perosus enim (credo) dexteram suam quod eius ministerio in Regis cæde vti nequiuisset, foculo iniectam exuri passus est. Dij immortales ipsum Porsenam oblitum periculi sui in admirationē verterunt, nam reuertere inquit ad tuos Muci, & eis refer te, cum vitam meam petieris, á me vita donatum. *Idem libro tertio, capite tertio. T. Liuius libro secundo. Dionys. Halycarn. libro quinto.*

D. In campis Marathonijs à decem millibus Atheniensibus & auxiliaribus mille aduersus sexcenta millia Persarum pugnatum est tanta virtute, vt hinc viros, inde pecudes putares. Victi Persæ in naues fugerunt, ex quibus multæ suppressæ, multæ captæ. In eo prælio Cinægyri militis Atheniensis gloria emicuit, qui post prælij innumeras cædes, cum fugiētes hostes ad naues egisset, onustam nauem dextra tenuit, nec prius dimisit quam manum amitteret: qua amissa, sinistra nauem tenuit, quam cum amisisset, ad postremum morsu nauem detinuit, sicque nec cædibus fatigatus, nec manibus amissis victus truncus velut rabida fera dimicauit. *Iustinus libro secundo. Val. Max. libro tertio, capite secundo, ex Herodoto lib. 6. Suetonius.*

E. Cum pestifera seditione Syracusarum, tota Regis Gelonis stirps, euidētissimis exhausta cladibus ad vnicam filiam Harmoniā virginem esset redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret; nutrix eius, æqualem illi puellam regio cultu ornatam, hostilibus gladijs obiecit. Quæ cum ne ferro quidem trucidaretur, cuius esset conditionis, ederet: Proclamauit admirata illius animū Harmonia, & tātæ fidei superesse nō sustinuit: reuocatosque interfectores, professa quænam esset in cædem suam conuertit. *Valerius libro tertio, capite secundo. Liuius lib. 24.*

In quodam congressu Troianorum cum Francis, quibus tunc decem Reges præsidebant, apparuit fortitudo Corinæi Ducis: qui tam validè percussit Consulem vnum in summo capite, vt eum dissecaret in duas partes toto corpore diuiso. Nepos autem Bruti Turnus, & ipse fortissimus, qui solo gladio suo 600. viros ibi peremit. *Sigebertus in Chronicis: Speculum historiale Vincentij Beluacensis libro decimo-septimo, capite quinto.* F.

Tempore Iustini senioris Imp. quidam Luguidinus nomine, tam fortis erat, vt in vno die laboraret, quantū alij duodecim: & solus comedebat quantum duodecim. Is orauit S. Brigidam, vt rogaret Deum, quatenus eius ingluuiem salua sua fortitudine temperaret, quod & fecit, nam post preces cibo vnius viri contentus, laborabat quantum duodecim. *In gestis S. Brigidæ, & speculum historiale lib. vigesimo-secundo, capite 32.* G.

Cum Christiani castrum quoddā Sarracenorum obsiderent, Sarraceni nobilem quendam captum opposuerunt machinæ, sperantes per eum Christianos desistere à iactu lapidū. Illo autem clamante, vt propter eum non desisterent, cum Christiani cœpissent lapides iacere, primo ictu lapidis ruptus est funis, quo ille ligatus pendebat, & sic cadens in fossam abstractus est á Christianis, & liberatus. *Gulielmus Lugdun. in Summa virtutum parte 3. Rubrica 30.* H.

Item, vide Consilium. d. Patientia.

FOR-

FORTVNA.

A. REx Macedonum Perseus, captus à Romanis in triumpho cum filijs ante currum actus est, & post apud Albam in custodia defecit. Filius eius iunior fabricam ærariam, ad tolerandam inopiam Romæ didicit, ibique consumptus est. *Orosius in Orchestra mundi libro quarto, capite vigesimo Diodorus Siculus libro trigesimo primo. Velleius Paterculus.*

B*. Valerianus Imperator ad extremũ Dei præsidio destitutus à Rege Persarum Sapore captus, ignominiosa apud eum seruitute consenuit, & donec vixit acclinis humi Regem ascensurum in equum non manu, sed dorso sustulit. *Paulus Orosius libro septimo, capite vigesimo-secundo, vide & Trebellium Pollionem in eius vita. Simile de Baiazete Turcarum Imp. sub Tamaclano referunt historici.*

C*. Anno Henrici secundi Imperatoris xix. Durandus fit Leodiẽsis Episcopus: qui quasi fabula in theatro mundi fuit, quod vir ex humillimo & pauperrimo seruilis conditionis genere dominis suis carnalibus dominabatur. *Sigebertus in Chronicis.*

D. Diuinæ fortunæ vulnus Pheræo Iasoni quidam exitij eius cupidus intulit. Nam cum inter insidias gladio eum percussisset, vomicam, quæ à nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, vt hominem pestifero malo liberaret. *Valerius libro primo, capite octauo è Cicerone lib. 1. de Natura Deorum.*

E. Alcibiadem quasi duæ fortunæ partitæ sunt. Altera quæ ei nobilitatẽ eximiam, abundantes diuitias, formam præstantem, fauorẽm ciuium propensum, summa imperia, assignarit. Altera quæ exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret. *Idem libro sexto, capite nono. Plutarch. in eius vita, & Probus. Iustinus libro quarto & quinto.*

F. Ad inuidiam vsque Polycratis Samiorum Tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit, omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere &c. velle ac posse in æquo positum erat: semel duntaxat vultum mutauit, per quem breui tristitiæ salebra succussum, tũc cum admodum gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi esset expers abiecit: quem tamen continuo recuperauit, capto pisce qui eum deuorauerat. Sed hunc qui semper ita felix fuerat, Orontes Darij Regis Præfectus in excelso Micalensis montis vertice cruci affixit: è qua putres eius artus & tabido cruore manantia membra, atque illam læuam, cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam Samos amara seruitute aut quamdiu pressa liberis ac lætis oculis aspexit. *Ibidem Val. Max. libro sexto, capite nono. Herodot. Strabo libro decimo-quarto. Geograph. Cic. 3. de Finibus. Plinius lib. 37. cap. 1.*

G.* Dionysius cum hæreditatis nomine à patre Syracusanorum, ac pæne totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opum Dominus, exercituum Dux, classium rector, equitatuum potens, propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit: eodẽque tempore tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis Fortunæ crederet, magister ludi factus ex Tyranno monuit. *Ibidem. Iustinus lib. 21. Cic. tertio Tusculan.*

H*. Syphax Rex consimilem iniquitatem fortunæ expertus est, quem hinc amicum Roma, per Hamonem, illinc Carthago per Hasdrubalem vltro peti-

petitum ad penates eius venerat. Cæterum eo claritatis euectus, vt arbiter & victor populorum existeret, parui temporis interiecta mora cathenatus à Lælio legato ad Scipionem Imperatorem pertractus est, cuiusque dexteram regio insidens solio arroganti manu attigerat, genibus eius supplex procubuit. Nimirum opes humanæ caducæ affluunt subitò, sed repentè dilabuntur &c. *Ibidem Valer. Maxi. lib. 6. cap. 9. ex Tito Liuio libro 30. Polybio lib 14. & Appiano.*

I. Chilon vnus è septem sapientibus, quæsitus quid esset Fortuna, respondit: Ignarus medicus, multos enim excæcat. *In libro de moribus Philosophorum Laertius.*

Item, vide Compassio.a. Crœsus.a. Felicitas.b. Gloria g. Humanitas.d. Iulianus Apostata.b. Pater. b. Promotio. a. b. c. Mutatio.

FRANCIA.

A. CLodouæo Rege defuncto Clotharius filius successit. Ab hinc Frãcorum Regibus à solita fortitudine & scientia degenerantibus, regnum disponebatur per maiores domus, Regibus nomine solo regnantibus: quibus moris erat principari quidem secundum genus, & nil agere vel disponere, quam irrationabiliter edere, & bibere, domique morari, & Kalendis Maij præsidere coram tota gente, & salutare, & salutari: obsequia & dona accipere, & rependere, & sic secum vsque ad alium Maium permanere. *Sigebertus in Chronicis anno 662.*

B. Pipino principi maiori regiæ domus Francorum defuncto successit Carolus filius eius, qui multas victorias faciens reliquit duos filios eiusdem aulæ regiæ Principes, Carolomannum & Pipinum, sed Carolomannus relicta sæculi pompa, Cassinensis monachus factus est. Pipinus vero aulam regiam strenuè gubernabat. Sed cum Childericus Rex esset inutilis, & remissus, consuluit Pipinus Zachariam Papam, quis potius Rex esse vel dici deberet. Ille qui magnos pro regni pace sustineret labores, an ille qui ocio deditus, solo regio nomine contentus esset? Cui Papa respondit: illum debere Regem vocari, qui bene Rempublicam regeret. Qua Franci responsione animati, Childericum in monasterium truserunt, Pipinumque Regem creauerunt, circa annum Domini 740. *In aurea legenda de S. Pelagio Papa. Reginoin Chronic. Sigebert. in Chronic. sic Vuenceslaus Imperator ob ignauiam ab electoribus imperio exutus, atque subrogatus Rupertus Bauariæ Dux.*

Leo ostiensis in chro. Cass. lib. 1. c. 7. Petrus Diacon. L. de sanctis Cassi. ca. 21. Paulus Diaconus de gestis Lõgob. lib. 6. cap. 5. S. Bonifacius Episcopus Moguntinus in epistola ad Zachariam. Cedrenus in vita Bernis Isauri.

C. Childerico in monasterium intruso, progenies Clodouæi defecit succedente Pipino, cuius insignis posteritas per multa post tempora regnum obtinuit. *In speculo hist. lib. 24. cap. 154.*

D. Pipinus à S. Bonifacio Archiepiscopo Maguntiæ in Regem vngitur, & regnauit annis octodecim. A Stephano quoque Papa eius generatio per filios suos in hæreditatẽ regalis successionis in perpetuum benedicitur, & omnis aduena anathemate interdicitur. *Sigebertus in Chronicis ad annũ 750. Ammonius lib. 4. cap. 61.*

E. Ludouico Rege filio Lotharij mortuo Francis regnum transferre volentibus ad Carolum ducem fratrem Lotharij Regis: dum ille rem ad cõsilium differt, regnum vsurpat Hugo, qui dictus est Capet, & Marescallus Franciæ, & Comes Parisiensis filius Hugonis magni ex Hacuide sorore primi Othonis Imperatoris; sicque defecerunt Reges de stirpe Caroli, & translatum est regnum in pro-

genìem

geniem Comitum Parisiensium. Legitur quod Caroli progenies reprobata videtur, vel creditur, quia iam Dei gratiam negligens Ecclesiarum potius neglectrix quam erectrix videbatur, sed hoc Dei iudicio relinquimus. *In speculo historiali. Vincentius. lib.17.cap.4. & Plinius lib.31. cap.126.*

F. Circa annum Domini 1200. Innocentius Papa ad petitionem Philippi Regis Franciæ, duos infantes suos scil. filium nomine Philippum, & filiam vnam legitimos hæredes esse mandauit, & postea suis literis cõfirmauit. *In speculo hist.lib.30.cap.67.*

G. Anno Domini 1223. Philippus Frãcorum Rex dormiuit in *Christo*, cui Ludouicus filius eius successit in regnum. In hoc rediijt regnum ad stirpem Caroli Imperatoris, de qua originem habuit ex parte matris. *In spec. hist. lib.31.cap.125. & 126.*

Item, vide Bellum. Humilitas.e. Mulier.g.

FRANCISCVS.

Vide Laus.d. Laus Dei.a. Liber.a.

FRATER.

Vide Dij gentium.b.

FRAVS.

Vide Iuramentum.i.k. Lis.a.

FRIGVS.

Vide Patientia.ba.

FVGA.

A. Rex quidam in India duos monachos per eremum gradientes ad se fecit adduci, & ait eis: Non audistis præcones meos clamantes, vt nullus vestræ superstitionis in hac regione post tres dies inueniretur, alioqui igne cremaretur? Quibus dicentibus se quidem de regionibus illis, vt iusserat, egredi, mortem tamen non timere. Tunc Rex ait: Si mortem non timetis, cur fugam arripuistis? At illi: Mortem á te minatam non fugimus, sed tui miseremur, & ne maioris damnationis tibi causa simus, discedere cogitamus. Tunc Rex iratus, iussit eos igne cremari. *Damascenus in historia Barlaam & Iosaphat.*

Item, vide Athanasius.a. Filius.d.

FVLGENTIVS.

Dicebat S. Fulgentius: vt monachus forsitan lautioribus cibis vtatur interdum cogit infirmitas corporis: vt autem cupiat in quibuslibet exiguis rebus iuris proprij dominium vendicare, superbæ voluntatis & auaræ cupiditatis signum est. Item veri monachi sunt qui iustificatis voluntatibus suis, parati sunt nihil velle, nihil nolle, sed Abbatis tantum consilia & præcepta seruare. Dicebat monachum his quæ acceperit debere esse contentum. Lectionis studium non amantes minus diligebat amator scientiæ spiritualis: Etsi virtute corporis esset destitutus ab eo peculiariter amabatur. *In gestis S.Fulgẽtij Ruspẽsis Episc. (qui prius fuerat monach. & Abbas) & spec.hist.l.21.c.106.* A.

Item, vide Clericus.a.

FVLMEN.

Puella virgo Lucij Ælij Equitis Romani filia equo insidens ictu fulminis exanimata est, sed omnibus sine scissura vestimẽtis adẽptis ac pectoris pedumq; vinculis dissolutis, monilibusq; discussis, ipso corpore illæso, nisi quod obscænũ in modũ nuda & lingua exorta iacuit. Equus stratorijs frænis, cingulis dissolutis procul exanimis iacuit. *Orosius l.5.cap.15. & Iulius Obsequius de Prodigijs. M. Acilio Balbo, C. Porcio Catone Coss.* A.

B. Fulmen aliquando percutit, & adurit dolium & stat vinum ad tempus, & non defluit nec diffunditur. *Seneca de naturalibus quæstionibus libro secundo.*

FVNDA.

A. Fvndarum vsum primi Balearum Insularum habitatores inuenisse, & ita peritè exercuisse dicuntur, vt matres filios paruos nullum cibum contingere finerent, nisi quem ex funda iactato lapide percussissent. *Vegetius de re militari libro primo, capite decimo-sexto.*

FVRIA.

Vide Dæmoniacus. b. Mors. a h.

FVRTVM.

A*. Qvidam vicini ouem furatus est, & comedit. Cum autem S. Patricius hortaretur furem satisfacere; & nullus compareret, quodã die dum totus populus in Ecclesia præsens esset, præcepit in virtute *Christi*, vt in cuius ventrem ouis intrasset coram omnibus balatum daret, quod factum est. *In S. Patricio Aurea legenda.*

B*. In monasterio Fundensi quidam monachus erat hortulanus. Fur venire consueuera, & occultè olera auferre. Cumque ille multa plantaret, quæ minus inueniret, inuenit iter vnde fur venire consueuerat. Qui & reperit serpentem cui dixit: Sequere me, atque ad aditum furis perueniẽs dicit. In nomine *Iesu* præcipio tibi, vt aditum istum custodias, protinus serpente parente, monachus ad cellam rediit. Cumque meridie cuncti quiescerent, more soluto fur aduenit, & dum in hortum pedem poneret, vidẽs quia tensus serpens clausisset viam, & tremens factus post sespsum concidit, eiusque pes per calceamentum in sude sæpis inhæsit, sicq; dum hortulanus rediret deorsum capite pependit. Consueta autem hora veniens pendentem in sæpe furem reperit. Serpenti autem dixit: Gratias Deo, implesti quod iussi, recede modo. Ad furem vero ait: Quid est frater quod in labore monachorũ furtum facere præsumpsisti? Et pedem illius à sæpe soluit, & omnia quæ furto appetebat ei præbuit, dicens: Vade, & furtum non amplius facias, sed cum necesse habes huc ad me ingredere. *Gregorius Dialogorum libro primo, capite tertio.*

Iter agebat Agathon cum discipulis suis, & inueniens vnus ex eis paruissimum fasciculum cicerulæ viridis in via, dicit seni. Pater si iubes tollo illud. Senex admirans dixit: Tune illud posuisti? Respondit, non. Quomodo ergo, ait: Vis tollere quod non posuisti. *In vitis Patrum lib. quarto parte prima.* C.

Abbas Zenon ambulans in palestinam, cum laborasset resedit, vt manducaret iuxta cucumerarium. Suadebat enim animus dicens. Tolle cucumerem & manduca: Et respondens cogitationi suæ dixit. Fures ad tormenta vadunt: proba ergo teipsum si ferre potes tormenta. Qui consurgẽs stetit in cauma quinque diebus, & defringens seipsum in sole dicebat quasi animus eius, non possum portare tormenta. Dixit ergo: Si portare tormenta non potes, ergo non rapias, vt manduces. *Eodem libro parte secunda.* D.

Dixit Isaac Abbas: Scio fratrẽ metentem in agro, qui voluit manducare spicam tritici, & dixit Domino agri: Vis manduco vnam spicam? Ille miratus dixit: Tuus est ager, E.

Pater,

Pater, & me interrogas? *Ibidem.*

F. Narrauit Abbas Daniel, quia quando erat in Scythi Abbas Arsenius, erat ibi monachus quidam rapiens ea quæ senes habebant, Arsenius volēs eum lucrari & senibus præstare quietem dixit ei. Quidquid vis dabo tibi, tantum non rapias. Et dedit ei aurum & nummos. Ille autem iterum rapiebat. Senes vero videntes quia non quieuit, expulerunt eum dicentes: Quia si inuenitur frater habens aliquid de infirmitate corporis, oportet sustinere eum; si autem furatur, & non quiescit admonitus, expellite eum, quia animæ suæ detrimentum facit, & omnes conturbat. *In vitis Patrum libro primo, parte secunda.*

G. Cum S. Ammo resideret in eremo, adolescens qui morsu canis rabidi in rabiem versus erat, multis vinctus cathenis ad eum deducitur, rogantibus pro eo parentibus. At ille: Quid mihi molesti, inquit, estis? Supra merita mea est quod petitis: sed tamē hoc vobis indicare possum, quod in manibus vestris est sanitas eius. *Reddite bouem quem furati estis.* Et sine mora reddiderunt, & iuueni sanitas redditur. *De S. Ammone in Vitis Patrum, & Tripartita historia libro primo, capite vndecimo.*

H. Furtum quasi sacrilegium detestabatur S. Paula apud virgines sanctimoniales, quas regebat, & quod inter sæculi homines leue putabatur, hoc in monasterijs graue docet esse delictum. *S. Hieronymus in vita S. Paulæ.*

Item, vide Didymus. b. Mirabile. b z. Monachus. g. Patientia. n. q. y. a b.

FVTVRVM.

Vide Dæmon. k. Diuinatio. i. Præscientia.

GAVDIVM.

Vix verisimile est in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen: Nunciata enim quæ ad lacum Thrasymenū incederat, mulierum duarum altera sospiti filio ad ipsam portam facta obuia, in eius complexu exspirauit. Altera cū falso filij mortis nuntio mæsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. *Valerius Max. libro nono, capite duodecimo. T. Liuius lib. vigesimo-secundo. Plinius libro septimo, capite 53. discrepat.* A.

B. Inuentius Thalna collega Tib. Gracchi Consulis, iterum cum in Corsica, quam nuper subegerat, sacrificaret, receptis literis decretas ei à Senatu supplicationes nuntiantibus, intento animo illas legens caligine orta ante foculum collapsus, mortuus humi iacuit. *Ibidem Valerius & Plinius lib. 7. capite 53.*

Item, vide Iosephus. a. Lætitia.

GELV.

A. Anno 22. Constantini Imperatoris quarti, gelu magnum fuit à Kalendis Octobris vsque ad Februarium. Hinc pelagus Ponti vsque ad centum miliaria fuit in duritiam lapidis versum, habens triginta cubitos à superficie in profundum. Nix quoque per viginti cubitos illud cooperuit. *In speculo historiali. Vincentij libro 24. cap. 158.*

B. Anno Domini 975. gelu magnum fuit à Kalendis Nouembris ad æquinoctium vsque vernale. *Sigebertus in Chronicis.*

C. Anno Domini 1087. fuit gelu magnum, & glacies validissima à Kalendis Nouēbris vsque ad mediū mensis Aprilis. *Idem.*

S. GEN-

S. GENGVLPHVS.

A. S. Gengulphus fontem emit in Gallia, & eum oriri fecit in Burgundia, cuius venditor dũ emptorem rideret, repentè fontem suum vidit siccatum. *In gestis eius.*

B. Idem dormiens in domo sua occisus est à quodam clerico, qui cum vxore sua adulterari solebat, dumq; vxori illius, scilicet propter adulterium ab eo separatæ, referretur ab ancilla, illum tanquam martyrem facere miracula, irridens ait: Ita Gẽgulfus miracula facit, vt anus meus cantat. Mox ab ano suo turpes sonos & numerosos vellet nollet cæpit emittere, quod ei contigit in omni vita sua sexta feria, in qua vir eius martyr effectus est. *Vbi supra. Eius festum 11. Maij in Ioan. Molani Natalib. Belg.*

S. GERMANVS.

A. *ad Antisiodorẽsis.* GEnere nobilissimus in vrbe Altissiodorensi natus, & liberalibus studijs eruditus: tandem Romã ad discendam iuris scientiam venit; vbi tantum dignitatis accepit, vt eum Senatus ad Gallias trãsmitteret, & apicem ducatus Burgundiæ obtineret. Post fuit Episcopus suæ vrbis. Vxore in sororem mutata, & substantia pauperibus erogata corpus suum per triginta annos sic afflixit, vt nunquam frumentum, non vinum, non legumina, nec salem pro sapore sumeret &c. *In aurea legenda sub titulo de S. Germano.*

Item, vide Dæmon. a.

GLACIES.

Vide Prodigium. m.

GLADIATOR.

A. GLadiatores dicebantur olim Romæ, qui in spectaculis causa exercitij vel gloriæ vel præmij pugnabant inter se, & quandoque cum bestijs, & se mutuo cædebant, & consueuerunt esse serui: *Vt patet per totum Liuium libro octauo de bello Punico secundo.*

GLORIA ÆTERNA.

Vide Tædium. b.

GLORIA TEMPORALIS.

A. NOn est laudis possidere diuitias, sed pro *Christo* eas spernere, vnius vrbis contempsit gloriam S. Paula, nunc autem totius orbis opinione celebratur, quam Romæ habitantem ex Roma nullus nouerat, latentem in Bethleem miratur terra: & quanto se plus deijciebat tanto magis subleuabatur à *Christo*. Latebat & non latebat, fugiendo gloriam, merebatur gloriam &c. *Hieronymus in vita S. Paulæ.*

B. Nulla est tanta humilitas quæ dulcedine gloriæ non tangatur. *Et infra.* Themistocles theatrum petens cum interrogaretur cuius vox auditu illi futura esset gratissima, dixit: eius à quo artes meæ optimè canentur. *Valerius libro octauo, capite 14. ex Cicer. pro Archia poeta.*

C. Gloria ne ab his quidem qui contemptum eius introducere conantur negligitur: quandoquidem ipsis voluminibus nomina sua libenter adijciunt. *Valerius libro octauo, capite decimo-quarto; ex Tusculan. Cicer. 1. & pro Archia poeta.*

D. Pausanias cum Hermoclem percontatus esset, quomodo posset subito clarus euadere? atque is respondisset,

disset, si aliquem virum illustrem occidisset, continuo Philippum interemit. Tam enim se parricidio quam Philippum virtute notum posteris reddidit. *Ibidem. Diodorus Siculus & Plut. in Alexandrio. Iustinus lib.* 9.

E. Inuentus est qui Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet, vt opere eius pulcherrimo cōsumpto nomen eius per totum terrarum orbem vulgaretur. Quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit. At bene consuluerant Ephesij decreto memoriam teterrimi hominis abolendo, nisi Theopompi magnæ facūdiæ ingenium historijs eū suis comprehendisset. *Ibidem & Strabo lib.*14.

F. Apud Rauennam S. Arnulphus die Dominica, post cuius matutinas solus remanserat in Ecclesia ad orandū: vbi cuiusdam peccatoris anima, quā diabolus ad infernum trahebat, cæpit clamare. S. Arnulphe electe Dei, succurre. Tunc ille orauit, & anima ad corpus redijt, & homo reuixit, & cuius meritis saluatus fuerit, indicauit. Statim S. Arnulphus ad gloriam fugiendam fugit. *In gestis eius.*

G. Venit frater quidam ad Abbatem Theodorum, & fecit tres dies, rogans illum, vt audiret ab eo sermonem. Ille vero non respondit ei: & exiuit tristis, dicens: Abba, quare non es loquutus? Et dixit, quia negotiator est, & alienis verbis vult gloriari. *In vitis Patrum lib.* 8. *parte* 1.

H. Abbas Nisteron maior ambulabat in eremo, cum aliquo fratre. Et vidētes draconem fugerunt. Dicit ei frater: Et tu, Pater, times? Respondit, non timeo, fili, sed expedit. Draconē videns fugi, quia non habui effugere spiritum vanæ gloriæ. *Eodem lib. p.* 2.

I*. Alius interrogauit Abbatē Theodorum, & cœpit quærere de rebus quas necdum fuerat operatus, & dixit ei senex: ad hæc tibi nec nauem inuenisti nec vasa tua in ea posuisti nec nauigare cœpisti. Cū ergo prius operatus fueris, rem de qua nunc loqueris, tunc de ipsa re loquere. *Eodem libro, parte prima.*

Voluit aliquando Iudex prouinciæ videre Abbatem Pastorem, & non acquiescebat senex, ne ex hoc vanam gloriā incurreret. Iudex vero tenuit filium sororis eius velut malefactorem, dicens: Si venerit senex & rogauerit pro eo, dimittā eum. Et venit mater pueri ad Pastorē fratrem suū & cœpit plorare ad ostium. Ille autem non respondit: Illa increpabat eum dicens: Etsi viscera ferrea habeas, flectat te saltem miseratio sanguinis tui. Ille dixit ei: Pastor nō generauit filios. Et ita discessit: Audiens hoc Iudex, misit dicens: Vel verbo iubeat, ego eum dimittam. Senex vero remandauit dicens. Examina causam secundum legem, & si dignus est morte, moriatur; si autem non, fac quomodo vis. *Eodem libro, parte secunda.* K**.

Iudex venit videre Abbatem Simeonem, & præcedentes Clerici dixerunt ei: Abba paratus esto, quoniā Iudex venit, vt à te benedicatur. Et dixit: Ego etiam præparabo me, & cooperiens se sacco suo, & tenens in manu sua panem & caseum sedit in egressu cellulæ suæ, & cœpit manducare. Venit ergo Iudex cū officio suo, & videntes eum spreuerunt dicētes; Est ille monachus solitarius, de quo talia audiebamus? Statimque sunt reuersi. *Eodem libro, parte tertia.* L.

Non mirum tantam cenodoxiæ, id est vanæ gloriæ inesse virtutem, vt irruentem quempiam in fornicationis labem valeat refrenare, cum sit multorum experimentis sæpe probatum, quod ita M.

ita eum, quem semel veneni sui peste corruperit, infatigabilem reddat, vt faciat ab eo, ne biduana quidem vel triduana sentiri ieiunia. Quod etiam nonnullos in hac eremo frequenter nouimus fuisse confessos se in cœnobijs Syriæ constitutos, quinis diebus refectionem sine labore tolerasse. Nunc autem tãta fame se etiam ab hora tertia perurgeri, vt vsque ad nonam vix queant quotidiana differre ieiunia. Super qua re pulchrè Abbas Macarius cuidam percunctanti, cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur, qui in cænobijs hebdomadibus integris, refectionem sæpe cõtemnens, non sensisset esuriẽ, respondit: Quia hic nullus est ieiunij tui testis, qui te suis laudibus nutriat, atque sustentet. Ibi autem te digitus hominum & cenodoxiæ, id est vanæ gloriæ refectio saginabat. *Verba sunt Abbatis Serapionis in Collationibus Patrum, quas scripsit Cassianus, Collat. 5. cap. 22.*

N. Abbas Pynuphius cum non longè à Panephysi ciuitate in Ægypto Abbas & presbyter ingenti cœnobio præsideret, timens ne sibi spiritualiter inuisa popularis fauoris inanitas fructum præmij euacuaret æterni, occultè monasterium fugiens ad intima Tabennensium secreta peruenit: vbi non eremi solitudinem, non singularis vitæ securitatem, (quam etiam imperfecti quique laborem obedientiæ in cænobijs non ferentes superba nonnunquam præsumptione sectantur) sed celeberrimo elegit cænobio subiugari, vbi ne vllo habitus sui proderetur indicio, indutus veste sæculari post multas preces & lachrymas vt susciperetur, obtinuit. *Cassianus Collat. vigesima, capite primo.*

O. Quidam Sanctus fugandorum dæmonum potestate præditus, non solum præsens neque verbo tantum, sed absens quoque interdum cilicij sui fimbrijs, aut epistolis missis corpora obsessorum curabat, hic miro modo frequentabatur á populis. Ferebatur omni potu penitus abstinere, & pro cibo septem tantum caricis sustentari. Interea sancto viro, vt ex virtute honor, ita & ex honore vanitas cœpit obrepere: quod malum vt primum potuit in se sentire grassari, diu multumque discutere conatus est: sed vbique nomen eius dæmones fatebantur. Virus interim latens serpebat in pectore. Totis ergo precibus conuersus ad Deum fertur orasse, vt permissa in se quinque mensibus diaboli potestate, similis ijs fieret quos ipse curauerat. Statim correptus, omnia quæ energumini perferre solent, perpessus est. Quinto demum mense purgatus est non tantum dæmone, sed, quod illi erat vtilius ac optatius, vanitate gloriæ. Hæc Postumianum narrasse scribit. *Sulpicius Seuerus Dialogo primo, capite quarto.*

Item, vide Aristoteles. c. Eleemosyna & Honor. c. n. Humilitas. y. z. Laus. a. b. c. d. e. Miraculum. d. Missa. x. Mors. a. l. n. Ostentatio. a. Roma. a f. a b. a i. Tentatio p.

GORGIAS.

A. Gorgiæ Epirotæ fortis viri clara fuit origo, qui in funere matris suæ vtero elapsus inopinato vagitu suo lectum ferentes (in quo mater mortua portabatur ad comburendum) stare coegit, ex ipso genitricis rogo lucem & cunas assequutus. *Valerius libro primo, capite octauo.*

GRANDO.

Vide Alexander. a. Tempestas. a. b. Prodigium m. Gothi. a. o.

GRATIARVM ACTIO.

A. QVidam iuuenis nobilis nobilem & speciosam filiam desponsare renuens, postmodum vidés virginem quãdam pauperé manibus operantem & ore Deum laudantem ait ad eam. Quid est quod agis, ô mulier? Ad quod illa: sicut parua medicina à magno labore liberat, sic gratiarum actio in paruis donis, magnorum efficitur auctrix donorum. Hæc quæ extrinsecus sunt nostra non sunt: quæ in nobis vero sunt, nostra sunt. Videns iuuenis eius prudentiam, eam à patre suo petijt in vxorem: quam habens factus est valde gloriosus & diues. *In aurea legenda sub titulo de Barlaam.*

B. Cum frater quidam dixisset, nihil se aspicere quo non ædificaretur: alius dixit: Quid tibi confert visio bufonis? At ille multum, quia nihil merui quare me fecit Deus hominé, non bufonem. *Helinandus in Chronicis, libro octauo.*

Item, vide Homo. e. Hieronymus. d. Paupertas. a d.

GRATITVDO.

A. MAgnum grati populi Romani specimen in Quinto Fabio Maximo enituit. Nam cum quinque Consulatibus salutariter Reipublicæ administratis recessisset, certatim æs contulit, quo maior ac speciosior fieret funeris eius pompa. *Valerius Maximus libro quinto, capite secundo, §. tertio. Scriptor de Viris illustribus, capite trigesimo secundo.*

B. Mithridates Rex magnificè gratus apparuit: quoniam pro Leonico salutis suæ defensore á Rhodijs nauali pugna excepto, omnes hostium captiuos permutauit, satius esse existimans ab inuisissimis circumscribi, quam bene merito gratiam non referre. *Ibidem Valerius.*

C. Quidam institores Venetij cum applicuissent, viderunt leonem spiris draconis non procul à littore inuolutum trahi violenter in speluncam à dracone. Pandoces autem qui repentè huic spectaculo conuenerant, Draconem inuadunt & perimunt, & leonem liberant: qui non ingratus per aliquot dies quibus illi Pandoces morati sunt, quotidie pellem vnam à se capti animalis aduexit. *Petrus Damianus libro sexto, epistola 4.*

D. Dicebát de Abbate Olympio, quia seruus esset & descendebat per singulos annos in Alexandriam portans mercedem Dominis suis, & occurrebant ei, & salutabant eum: Mittebat autem senex aquam in peluim, & afferebat vt lauaret pedes eorum. Illi autem dicebant: Noli. Et ille: Confiteor, quia seruus sum vester, & gratias ago, qui dimisistis me liberum seruire Deo: sed tamen lauo vobis pedes, suscipite mercedes meas. Illi autem non acquiescebant. Et dicebat eis: Credite mihi, si non vultis recipere mercedes meas, remaneo hic, & seruio vobis. Illi autem reuerentiam exhibétes ei, dabát in potestaté eius, vt faceret quod vellet. *In vitis Patrũ libro 15. parte quarta.*

E. Antonius, vt venientibus pro ijs quæ sibi detulerant aliquod munusculum rependeret, laborabat. *Athanasius in vita eius.*

F. Referebat Paphnutius presbyter de Marco monacho, quod bellua quædam ostium eius capite percussit, & ingressa catulum suum cæcum ante

ante pedes eius proiecit. Quem ille tenens & expuẽs in oculos eius illuminauit, eumque mater abducens sequenti die viro sancto pellem ouis exhibuit, qui eam S. Athanasio reliquit, à quo postea S. Melania eandem accepisse se dixit. *Heraclides libro qui dicitur Paradisus.*

G**. Habitant plerique in eremo in secretiori Thebaide sine vllis tabernaculis, quos Anachoretas vocant. Viuunt herbarum radicibus, nullo vnquam certo loco consistunt. Ad quendam ergo hoc ritu viuentem leæna miræ magnitudinis veniens, eius pedibus se aduoluit, & cum lamentatione quadam procumbẽs indicabat gementis pariter & rogantis affectum. Anachoreta ergo sequitur, donec ad speluncam bestiæ peruenitur: vbi iã illa adultos quinque catulos nutriebat, qui cæcitate tenebantur. Tum sanctus animaduertens, quid bestia desideraret, inuocato *Christi* nomine, contrectauit lumina clausa, ac ijs negata lux patuit. Leæna post quinque dies ad authorem tanti beneficij reuertitur, eidemque inusitate detulit pro munere feræ pellẽ, quam ille non dedignatus est accipere. Hæc Posthumanum narrasse scribit. *Seuerus Dialogo primo, cap. 9. Item, vide Hieronymus. c. Leo. a.*

GRAVITAS.

A. CVm Decio Bruto se tota pæne Lusitania dedidisset, ac sola gẽtis eius vrbs Cinninia pertinaciter arma retineret, tentata redemptione propè modum vno ore Legatis Bruti respondit: ferrum sibi à maioribus, quo aurum tuerentur, non aurum, quo libertatem ab Imperatore auaro emerent, relictum. *Valerius Maxim. libro sexto, capite quarto.*

Nec parum grauè Spartani cuiusdam dictum, si quidem dignitate & nobilitate præstans, & in petitione magistratus victus, maximæ sibi lætitiæ esse prædicauit, quod aliquos patria sua se meliores viros haberet. Quo sermone repulsum honori adæquauit. *Ibidem & Plut. in Apophtheg. Item, vide Imperator. a.* B.

S. GREGORIVS.

CVm apud S. Mariam maiorem, in die Paschæ Grægorius missã celebraret, & pax Domini pronunciaretur, Angelus respondit: *Et cũ spiritu tuo.* Vnde Papa apud illam Ecclesiam stationem facit in die Paschę, nec sibi cum dicit: *Pax Domini*, in huius miraculi testimonium nihil respondetur. *De S. Gregorio in aurea legenda.* A.

Item, vide Damnatus. a. Detractio. u. Humilitas. g.

GVLA.

REfert Trogus Põpeius, quod teterrimus ille tyrannus Siciliæ Dionysius, dum gulæ & edacitati vacaret, lumen perdidit oculorum. Nihil enim magis prædatur oculos quam vẽtris ingluuies. Ideo Lucilius, Silanus, Lepidus, Consul, & alij plerique leguntur tulisse leges cibarias, quas alibi Cato Censorius sumptuarias vocat. *Petrus Blesensis in quadam epistola, & Macrobius lib. 3. Satur. cap. 17.* A.

HABITVS.

APud Philosophos erat reprehensibile, gestare habitum philosophicum absque vitæ philosophicæ honestate, vt ait Agellius lib. 9. c. 2. Noctium Atticarũ, loquens de quodam. A.

dam turpis vitæ, ferente tantum philosophicum indumentum. Ad Herodem, inquit, Atticum & Atheniensē Consularem virum, ingenio amæno, & græca facundia celebrem, adijt quidam palliatus & crinitus, barbaque propè vsque ad pubem porrecta, quę tunc erant quidam philosophorum insignia, & petijt ab eo æs sibi dari ad panes emendos. Tunc ille interrogat, quis nam esset. At ille vultu sonituque vocis obiurgatorio, philosophū se esse dixit. Mirari quoque se addidit, cur quærendum putaret, quod videret. Cui alius. Video, inquit Herodes, barbam & pallium, sed philosophū nondum video. Quasi diceret, habitus non facit philosophum. Tunc hi, qui cum Herode erant, dixerunt illum esse erraticum hominem, & nullius rei, incolamque esse rerum sordentiū. Tunc ille Herodes. Demus, inquit, huic aliquid æris tanquam homines, non tanquam homini (id est considerantes nostrā honestatem, nō illius indignitatem.) Aiuntque tunc illum dixisse: Dolori mihi est, quod huiusmodi animalia spurca & probra nomen vsurpāt sanctissimum, vt philosophi appellemur. Et subdit: Maiores mei, inquit Atheniēses, nomina iuuenum fortissimorum Hermodij, & Aristogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia, Hippiam tyrannum interficere adorsi sunt, ne vnquam seruis inde liceret talibus nominibus nuncupari, & decreto publico sanxerunt. Quoniam nefas ducebant nomina libertati patriæ deuota, seruili contagio pollui. Cur enim patiemur nomen philosophiæ illustrissimum in hominibus teterrimis sordescere? *Ioannes Galensis in suo compendiloquio de vita & dictis philosophorum illustrium parte secunda, cap. 3.*

Hannibal.

Superior Hannibal à Duilio Consule nauali prælio victus, timensque amissæ classis pœnas dare, offensam astutia mira auertit. Nam priusquam cladis nuncius domum perueniret, quēdam ex amicis ornatum Carthaginem misit. Qui postquam curiam intrauit: Consulit, inquit, vos Hannibal, cum Dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias aduenerit, an cum eo confligere debeat, acclamauit Senatus non esse dubium, quin oporteret. Tum ille: Conflixit, inquit, & superatus est. Ita liberū ijs non reliquit id factū damnare, quod ipsi fieri debuisse iudicauerant. *Valerius Maxim. libro septimo, capite tertio. Scriptor de Viris illustrib. cap. 38. Zonaras. Paulus Orosius, libro quarto, capite septimo.* A.

Alter Hannibal Fabium Maximū inuictam armorum suorum vim saluberrimis cunctationibus pugnæ ludificantem, vt aliqua suspicione trahendi belli respergeret, totius Italiæ agros ferro atque igni vastando, vnius eius fundum immunem ab hac iniuria reliquit. Profecisset aliquid tanti beneficij insidiosa adumbratio, nisi Romanæ vrbi & Fabij pietas, & Hannibalis vafri mores fuissent notissimi. *Ibidem Valerius Maximus, libro septimo, capite quarto. Titus Liuius lib. 22. Plutar. in Fabio. Sex. Iul. Frontinus lib. 1. Stratagematum cap. 8.* B.

Carthaginensium Dux Hannibal, cuius maiore ex parte virtus sæuitia constabat, in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxit &c. *Idem libro 9. cap. 2. L. Florus lib. 2. cap. 6.* C.

Quia vehemens aduersus Romanos Auulcaris odium fuit, quatuor enim D.

enim puerilis ætatis filios intuens, eiusdem numeri catulos leoninos, in perniciem imperij nostri alere se prędicabat. E quibus Hānibal adeo maturè patris vestigia insequutus est, vt eo exercitum in Hispaniam traiecturo, nouem annorum natus altaria tenens, iuraret se cum-primum per ætatem potuisset, hostem populi Romani futurum. *Idem lib. nono, capite tertio. T. Liuius lib. 21. & 35. Polybius libro secundo. Aemilius Probus in vita Hamilcare. Scriptor de Viris illustrib. capite quadragesimo-secundo.*

E. Hannibal bellū aduersus Romanos & Italiā professus aduersus ipsam fidē acrius gessit, mendacijs & fallacia, quasi præclaris artibus gaudens. Quo euenit, vt alioquin insignem nominis sui memoriam relicturus in dubio maior ne an peior vir haberi deberet & poneret. *Idem libro nono, capite sexto. Petrus Victorius lib. decimo-tertio Variarum Lectionum cap. vigesimo, de Annibalis diritate, & Horatius.*

F. Apud eum defensionis locus innoxio Gubernatori non fuit, quem à Petilia classe Africam repetens freto appulsus, dum tam paruo spatio Italiam, Siciliamque diuisas inter se nō credidit, velut insidiosum cursus rectorem interemit: posteaque diligentius rei veritate comperta absoluit; cum eius innocentiæ nihil vltra sepulchri honorem dari potuit. *Idem libro nono, capite octauo, & Seruius in 3. Aeneid. Pomponius Mel., libro secundo, capite septimo.*

G. Hannibal Romanorum cecidit exercitum, vsque ad hostium satietatem, & donec præciperet militi suo, vt vel ferro parceret, de cæsorum cadaueribus in torrente vergello pōs solidus factus est. Victoris iussu duo modij annulorum Chartaginem missi sunt. Procul dubio Roma tunc diem vltimum habitura erat, si Hannibal quemadmodum vincere, sic & victoria sciret vti. *In Polycratico libro tertio, capite decimo.*

Hannibal de nocte surgere solitus, requiescebat ante noctem: Crepusculo demum socios vocabat ad cænam, neque amplius quam duobus lectis discumbebatur apud eum. Idē cum sub Hasdrubale militaret Imperatore, plerumque super nudam humum sagulo tectus, somnos capiebat. *Ioannes Saresb. in Polycrat. libro quinto, capite nono.* H.

Helena.

HElena Constantini mater, templum mirificum in eo loco, in quo crucem repererat, regia ambitione construxit. Clauos quoque quibus corpus dominicum fuerat affixum, ad filium detulit: quibus frænos ornauit, quibus vteretur ad bellum, & alijs galeam. Ligni vero ipsius salutarem partem detulit filio, partē verò thecis argenteis conditam dereliquit in loco, qui & nunc ad memoriam sollicita veneratione seruatur. *In Ecclesiastica historia libro decimo, capite sexto.* A.

Reliquit etiam hoc indicium religiosi animi Regina. Virgines enim quas ibi reperit Deo sacratas, inuitauit ad prandium, quas tanta deuotione curasse dicitur, vt ipsa manibus suis famulę habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, ac Regina orbis famularum Christi se famulam deputaret. *Ibidem.* B.

Hæreditas.

LAta est quondam Romæ lex Voconia sic dicta ab authore suo Voconio, ne quis hæredem fæminam A.

minam faceret, ne vnicam quidem filiam. Qua lege quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro, scilicet in personis priuatis, quamuis rationabilis esse possit in personis publicis, sicut in Regibus. *Augustinus de ciuitate Dei lib. 3. cap. 21.*

Item, vide August. o. p. Diuisio. a. Ecclesia. k. Successio. a. b.

Heremita.

A. Retulit Abbas Dulas dicens, quod ambulantes aliquãdo in eremo, ego & Abbas meus Bessarion, venimus secus quandam speluncam in qua inuenimus quendam fratrem sedentem & operantem plectam de palmis, qui noluit nos respicere. Egressi inde ambulauimus videre Abbatem Ioannem. Redeuntes autẽ per speluncam illam, vbi illum fratrem videramus, intrantes inuenimus quia dormierat in pace. At vero senex ait mihi. Colligamus corpus eius. In hoc misit enim nos Deus: Cum autem colligeremus eum inuenimus, quia mulier erat, & miratus est senex, dicens: Ecce quomodo & mulieres colluctantur aduersus diabolum in eremo, & nos in ciuitatibus dehonestamur. Glorificantes ergo Deum inde recessimus. *In vitis Patrum libro vigesimo, parte prima.*

B. Dixit Abbas Germanus Abbati Abraham, ab eo volens instrui: Certi sumus tam præsentis habitus huius vilitatem, scil. quo vtimur quam quotidiana hæc nudipedalia in illorum scil. parentum & fratrum vicinia nullatenus exercere nos posse, sed nec labore quidem illic simili ea quæ sunt ad victum necessaria prouisuros, sicut etiam hic in ista solitudine á nostris parentibus valde remota, aquam ceruicibus ex tribus milibus exhibere compellimur, nec nostra enim nec illorum verecundia hæc nos coram illis agere omnino patietur. Sanè quam proposito nostro oberit si illis scil. parentibus subministrantibus vniuersa nos sollicitudine parãdi victus penitus absoluti, lectioni tantum & orationi operam dederimus? quasi diceret, (videtur quod nihil.) Respondit Abbas Abraham. Non meam contra hoc vobis sed beati Antonij sententiam proferã: Nam cum ad illum quidam frater veniens anachoriticam disciplinam minime diceret admirandam, maioris dicens esse virtutis, si ea quæ perfectionis sunt, inter homines quispiam quam in eremo positus exerceret, beatus Antonius vbi ipse consisteret, percũctatur. Cumque ille se iuxta parentes suos habitare dixisset, & eorum præbitione ab omni cura diurni operis absolutum, lectioni tantum & orationi vacare, Antonius: Dic, inquit, Fili, vtrum in eorum damnis vel aduersis casibus contristaris? Ille autem ita esse confessus est. Tunc senex: Noueris te in futuro sæculo etiã in eorum sorte censendum, cum quibus in hac vita participas in damno & prosperitate. Apostolus ait: *Non otiosi fuimus inter vos, nec gratis panem ab aliquo manducauimus, sed in labore & fatigatione, nocte ac die operantes ne quem vestrûm grauaremus.* 1. Thes. 2. vers. 9. His & similibus beatus Antonius aduersus quosdam vsus verbis, & nos magisterio sui informauit exempli, vt parentum blãdimenta & omnium quæ victui necessaria subministrant, agapem insuper, & omnem amænæ habitationis gratiam deuitemus. *Ioan. Cassianus in Collat. Patrum, collat. 24. cap. 11. & 12.*

C. Cum de Palestinæ monasterijs ad Diolcum oppidum venissemus ad ordinem Anachoretarum, qui excellentior

lentior habetur, quam ordo Cœnobitarum, cunctorum testimonijs instigati, videre properauimus. Hi nãque in cœnobijs primum diutissimè cõmorantes, omnem patientiæ ac districtionis reguiã diligẽter edocti, & humilitatis ac nuditatis virtute possessa, atque ad purũ vitiorum vniuersitate cõsumpta, durissimis dæmonũ prælijs congressuri penetrant eremi profundè secreta. *Ioannes Cassianus de institutis monachorum libro quinto, capite trigesimo-sexto.*

Item, vide contemplatio. e. Monachus. a.

Hæresis.

A. NVnquam Manichæis aut alijs hæreticis, saltem amicabilia verba largitus est S. Antonius, nisi tantum ea quæ possent eos ab errore auertere, denuntians talium amicitias & sermones perditionem esse animæ. *Athanasius in vita S. Antonij.*

B. Cum Polycarpo Smyrnæ Episcopo forte fuisset obuius Marcion hæreticus, & diceret: Cognoscis nos? Respondit. Cognosco primogenitum diaboli. *S. Hieronymus de viris illustribus cap. 27. Irenæus libro secundo contra hæreses c. 2. Eusebius libro quarto histor. Eccles. cap. 14.*

C. Papias, Ioannis auditor, Hierapolitanus Episcopus, author fuit hæreticorum, qui dicuntur Chiliastæ, (id est millenarij,) qui scil. post resurrectionem aiunt in carne cum Sanctis Dominum regnaturum, (vt refert *Hieronymus de viris illustribus capite vigesimo-octauo,*) non tamen inter hæreticos, sed inter Sanctos habetur, sicut nec Irenæus Lugdunensis, nec Victorinus, & tamen in hac opinione Papiam secuti sunt. Multi enim Sancti simpliciter in aliquibus errasse leguntur, vt Beatus Cyprianus, de hæreticis rebaptizandis, qui tamen error eis non imputatur, propter cæteras virtutes, quæ in eis pollebant, & quia non ex obstinatione, sed errabãt ex ignorantia & simplicitate. *Helinandus in Chronicis, & Vincentius in speculo historiali lib. 2. cap. 93.*

Herodes.

A. COmmissum est prælium inter Augustum & M. Antonium, cui non interfuit Herodes, missus ab Antonio contra Regẽ Arabum. Victo ergo Antonio, cum Augustus Rhodũ venisset, nec victum Antonium reputaret, cum superesset Herodes, periculis occurrens, deposito habitu regio in cultu priuato stetit ante Cæsarem & ait: Fateor me vtilem fuisse Antonio & fidelem, quod expertus fuisses sub Actio, si interfuissem; verũ nec omnino defui, auxilia & frumenta mittens, nec modo deessem, si mihi acquiescẽs occidisset Cleopatram, odij nostri fomitem. Vna ergo cum victo victus sum, coronamque cum fortuna deposui: ad te veni spem salutis de virtute præsumens. Ad hæc Cæsar: Imo saluus esto, & nunc regnato tertius, meritus es vt plurimos regas cum amicitiam tanta fide tuearis. *In historia scholastica parte sexta, capite 21. Iosephus libro decimo-quinto, capite nono antiq.*

B. Audiens Iudæos mortem suam expectantes cum gaudio, ex omni Iudæa nobiliores iuuenes collectos iussit concludi in Hippodromo, præcipiens Salomæ sorori suæ, vt cum animam efflarent, statim illos occideret, vt omnis Iudæa in morte ipsius etiam in vita plangeret. Hoc tamen illa non fuit executa. *In historia scholastica parte sexta, capite decimo-nono. Iosol. 17. cap. 8. antiq.*

Mortuus

Mortuus est trigesimo anno postquam à Romanis Rex declaratus est: in alijs fortunatissimus, in rebus domesticis infelicissimus fuit. *Ibidem Comestor p. 6. cap. 20.*

S. HILARION.

A. VEnerũt ad Hilarionem ægrotantem multi religiosi viri, quos omnes adiurauit ne puncto quidem horæ post mortem seruaretur, sed statim in eodem loci hortulo terra operirent sicut vestitus erat in tunica cilicina, cucullа, & sago rustico. Iamque præter sensum, nec quidquã viui hominis supererat, & tamen apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times anima, egredere quid dubitas? Septuaginta propè annis seruiuisti *Christo*, & mortem times? In hæc verba spiritum exhalauit. *B. Hieronymus in vita S. Hilarionis.*

HILARITAS.

Vide Conuiuium. c.

S. HILARIVS.

A. HIlarius infantem sine baptismo defunctum suis orationibus ad vitam restituit. *In legenda ipsius.*

B. Cum ad quoddam Episcoporum concilium venisset, videns quod ei nullus assurgeret, nec aliquem locum daret, patienter ferens, humi se posuit, dicens: *Domini est terra.* Statimque nutu Dei terra, cui insidebat, se sursum erexit, & vsque ad æqualitatem aliorum Episcoporũ se leuauit. *Ibidem in legenda ipsius.*

HISTRIO.

A. MAssiliensis ciuitas seueritatis custos acerrima est, nullũ aditum in scenam minus dando, quorũ argumenta maiore ex parte stuprorũ continẽt actus, ne talia spectãdi consuetudo etiam imitandi licẽtiam sumat. *Valerius Max. libro 2. cap. 6.*

B. Cum in curijs Principum, frequẽs histrionum turba soleat conuenire, vt ab eis pecunias & vestes, verba ioculatoria varijs adulationibus plena proferendo, ab eis extorqueant, Philippus Rex Francorum videñs hæc esse vana, & animæ saluti contraria, Deo promisit, quod omnes vestes suas quãdiu viueret, intuitu Dei pauperibus erogaret, mallens nudum Christum in pauperibus vestire, quam ioculatoribus vestes dando peccatum incurrere. Quoniam histrionibus dare, est dæmonibus immolare. *In gestis Francorum.*

C. Peractis Missarum solemnijs in Ecclesia B. Pauli Martyris á S. Bonifacio Episcopo, cũ ad nobilis viri Fortunati nomine in illo loco manẽtis mensam venisset, dictus Episcopus ab eo multũ rogatus, priusquã Deo hymnũ diceret, sicut quidã ludendi arte solent victũ quærere, repẽtè ante ianuã vir cum simia astitit, & cymbala percussit. Quẽ sanctus vir sonitum dedignatus, dixit: Heu heu mortuus est miser iste. Ego ad mẽsam refectionis veni: os adhuc ad laudẽ Dei non aperui; & ille cum simia veniens cymbala percussit. Adiunxit tamen atque ait. Ite & pro charitate ei cibum potumq; tribuite, scitote tamen quod mortuus est. Qui infelix vir dũ panẽ & vinũ ex eadem domo percepisset, egredi ianuã voluit, sed saxum ingẽs subito de tecto cecidit, eique in verticem venit, die vero altero obijt. Qua in re, Petre, pensandũ est, quantus sit viris sanctis timor exhibendus. Tẽpla enim Dei sunt &c. *Gregorius Dialogorum libro primo, capite nono.*

Item, vide Laus. f. Prouidentia Dei. b. Superstitio. a.

HOMICIDIVM.

A. *Gen. 4. vers. 9.* DIxit Deus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, id est notorium est quod fecisti quia effusio sanguinis hoc indicat, nec eget accusatore quod in euidenti est. Inde est quod in Ecclesia etiam si nemo accuset, pro sanguinis effusione trahuntur suspecti in causam, quia sanguis clamat. *In historia scholastica super Genesim cap. de oblationibus fratrum.*

Item, vide Ioannes Euangelista. d. Macarius. a, Iudex. l. Papa. n. Seuerus. a.

HOMO.

A. ETiam secundum corpus est homo factus quodã modo ad imaginem Dei, quoniam *os homini sublime dedit*, vt Deum & cælestia videat, & imitetur. Vnde cum quæsitũ esset à quodam Philosopho, ad quid homo factus esset? Respondebat, vt contempletur cælum, & cæli numina. *Historia scholastica super Genesim, capite, de hominis creatione. S. August. libro vigesimo-secundo de ciuitate Dei, capite vigesimo-quarto.*

B. Prometheus frater Atlantis, primus dictus est fecisse homines, tum quia de rudibus doctos fecit, tũ quia legitur fecisse hominum imagines, quas arte quadam ambulare fecit. Inuenit etiam primus annulum ferreũ & inclusit gemmam. Tradidit autem vt in quarto digito poneretur, quem medicum vocãt, ad ornatum, digniorem hunc reliquis dicens, quia ab eo, vsque ad cor quædam vena pertingit. *Eodem libro capite de morte Isaac. Ex Agellio libro decimo Noctium Atticarum capite decimo.*

C. Solon, cum ex amicis quendam grauiter mærentem vidisset, in arcem produxit, hortatusque est vt per omnes ædificiorum partes oculos circũferret: quod vt factum animaduertit. Cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis. Et olim fuerunt, hodieque versentur: & in sequentibus sæculis sunt habitaturi, ac dimitte mortalium incommoda, tanquam propria deflere. Qua consolatione monstrauit, vrbes esse humanarum cladium consepta miseranda. *Valerius Maximus libro septimo, capite secundo. Plut. in vita Solonis.*

Idem aiebat: si in vnum locũ cuncti mala sua contulissent, futurum vt propriam deportare domum, quam ex communi miseriarum aceruo, portionem suam ferre mallent. Quo colligebat non oportere nos quæ fortuita patimur præcipuæ & intolerabilis amaritudinis iudicare. *Ibidem.* D.

Idcirco oculos ad cælum erectos habemus, vt contempta terra cęlum desideremus, & vt Deum præ omnibus diligamus. Idcirco. Plato egit naturæ gratias, quod homo natus esset. *Helinandus in Chronicis libro octauo.* E.

Anaxagoras cum ab eo quæreretur, cur natus esset, ostenso cælo syderibusque respondit. Ad horum omniũ contemplationem. *Calcidius super Timæum Platonis.* F.

Coluber nudum hominem timet, vestitum persequitur. *Hieronymus in epistola ad Præsidium.* G.

Item, vide Miraculum. a i. a k. Mors natiuitas. a.

HONESTAS.

PHilosophis iam pridem placuit perniciosiorem nullam esse opinionem illorum opinione, qui vtile separant ab honesto, & sententiam verissimam esse, honestum & A.

vtile

vtile in se vsquequaque conuerti. *Ioan. Salisb. in Polycratico libro quarto, capite quarto, ex Officijs Ciceronis.*

Honor.

A. Hildebrandus Archidiaconus, qui postea Papa Gregorius; cum tãquam Cancellarius circuiret prouincias, vt perperam acta corrigeret, die quadam cum equitaret cũ multa turba obsequentium, Hugo Cluniacensis Abbas in extremo examine cum monachis suis prosequebatur, visoque eminus tanto viri honore, cœpit cogitare in animo, vnde esset tantus honor homuncioni exilis staturæ, despicabilis parentelæ: procul dubio ei ex superbia hoc accidere, quod tot obambulatores haberet. Vix hoc mente versarat, cum Archidiaconus reflexo equo à longè Abbatem aduocans, ait: Male cogitasti. Non enim mihi hanc gloriam (si verè gloria dici potest:) quæ cito trãsit, vel imputo, vel ab alijs mihi imputari volo, sed beatis Apostolis, quorum priuilegio mihi exhibetur. Erubescens Abbas hoc solum respondit: Quomodo nosti cogitatum meum? Ab ore, inquit, tuo, quasi per fistulam ad aures meas peruenit. *In speculo historiali. Vincentius libro vigesimo-sexto, capite* 44.

B. Cum quidam Philosophus in vili habitu non posset ingredi palatium Principis, mutauit habitum pulchrũ, & admissus est. Qui cæpit osculari pallium suum venerabiliter, quod cũ ille miraretur dixit: Honorantem me honoro Quod enim virtus non potuit, vestis obtinuit. *Innocentius de vilitate conditionis humanæ. Similia habet Laurẽtius Bexerlinc in apophtheg. verbo vestium vsus.*

C. In monte Argentario vir quidam fuit vitæ venerabilis. Hic mulierem, cuius maritum suscitauerat, ex gaudio flentem & vocem amplius edentem compescuit, dicens: Tace, tace, sed si quis quæsierit quomodo hoc factum sit, dicite quia Christus opera sua fecit. Dixit hoc & exijt: & in eodem loco vltra non apparuit. Nam honorem fugiens, egit vt ab his á quibus visus in tanta virtute fuerat, nunquã iam in hac vitá videretur &c *Gregorius Dialogorum libro tertio, capite decimo-septimo.*

D. Cum Antonius Pauli primi Eremitæ speluncam fuisset ingressus, ipsis residentibus, coruus aduolans panem integrum deposuit. Post cuius abscessum. *Eia,* inquit Paulus, *Dominus nobis prandium misit.* Sexaginta anni iam sunt, quod dimidij semper fragmen panis accipio, verum ad aduentum tuum, suis militibus *Christus* duplicauit annonam. Ergo gratiarum actione celebrata, vitrei fontis super marginem vterque consedit. Hic, qui frangeret panem, aborta contentio, pæne diem duxit in vesperam. Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure refellebat ætatis. Tandem consilium fuit, vt apprehẽso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars sua remaneret in manibus. *B. Hieronymus in eius vita.*

E. Sanctus Abraham præponebat in honore locupletibus pauperem, & omnes simul diligens honorabat. *In vita eius.*

F. Interrogatus S. Dominicus, cur non libentius in Tolosana Diœcesi, quã in Carcassone moraretur. Quia in Tolosana inquit, diœcesi multos inuenio, qui me honorant: apud Carcassonem vero æque omnes me impugnant. *In aurea legenda de eodem.*

G. Cum quidam eremita, nomine Effrem, in extasi positus esset, vidit colum-

columnam ignis, cuius caput vſque ad cælum pertingebat, & vocem audiuit: Talis eſt Baſilius, quaſi hæc columna ignis. Veniens ergo in ciuitatem in die Epiphaniæ vt tantũ virum videre poſſet, cum vidiſſet eum ſtola candida indutum cum Clericis venerabiliter incedentem, ait intra ſe: Vt video fruſtra laboraui. Iſte enim cum in tali honore ſit poſitus, nõ poteſt talis eſſe vt vidi. Ille hoc in ſpiritu videns, iubet eum ad ſe introduci, qui vidit linguam igneam per os eius loquentem, & ait: Verè magnus Baſilius, verè ſpiritus ſanctus loquitur per os eius. *In legenda eiuſdem. Gregor. Nyſſenus in eius vita de columba, & volumine, viſis.*

H. Ciuitas Atheniẽſis bonos ciues corona decorandi prior conſuetudinẽ introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum periculis cingendo caput. *Valerius Max. lib. 2. cap. 1.*

I. Actius Poeta Iulio Cæſari Straboni in collegiũ Poetarum venienti nunquã aſſurrexit: quod in comparatione cõmunium ſtudiorũ aliquanto ſe ſuperiorẽ eſſe conſideret. Quapropter inſolentiæ crimine caruit. *Idẽ lib. 3. c. 7*

K. Perſe Rege deuicto Paulus, cum Macedonicis opibus veterem atque hæreditariã vrbis noſtræ paupertatẽ eouſque ſatiaſſet, vt illo tempore primũ populum Romanũ tributi præſtandi onere liberaret, penates ſuos nulla ex parte locupletiores fecit: præclare ſecum actũ exiſtimans, quod ex illa victoria alij pecuniã, ipſe gloriam occupaſſet. *Idem libro quarto, cap. 3. Plut. in Paulo Aemilio. Cic. 2 offic.*

L. Hoc (*Virtutem ſcil. eſſe viam ad gloriam & honorem*) inſitum habuiſſe Romanos, etiam deorum apud illos ædes indicant, quas coniunctiſſimas conſtituerunt *Virtutis & Honoris*: pro dijs habentes quæ dantur à Deo: quia honorem & virtutem tanquam Deos colebant. *Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 5. capite 12. Valerius Max. lib. primo, capite 1. Liuius lib. 27. Plut. in Marcello.*

Honores, quos petiuit Cato, petere non debuit, ſed ciuitas ob eius virtutem non petenti dare. *Auguſt. ibidem.* M.

Apus Romanos quando eligebantur Conſules, Tribuni, & huiuſmodi, illi qui ſe reputabant dignos, veniebant ad locũ vbi fiebat electio in veſte candida, & ex hoc Candidati dicti ſunt, & petebant magiſtratum: & ſic fecit Cato, licet minus inſtanter & ambitioſè quam alij. *Ibidem.* N.

De illo Catone dicit Salluſtius: *Quo minus petebat gloriam, illum magis ſequebatur. Auguſtinus ibidem.* O.

Item, vide Ambitio. b. d. e. Emptio. a. Gloria. a. Humilitas. q. y. z. Inuentio. a. Martinus. t. Mors. a q.

Horæ.

A. Quidam vir ſanctus, dum eſſet in choro, vidit diabolum quaſi ſacco pleno oneratum. Quæſiuit quid portaret? Ille ait: Hæ ſunt ſyllabæ, & dictiones ſyncopatæ, & verſus pſalmodiæ quæ iſti Clerici in matutinis furati ſunt. Et quæ ſunt, quale nomen habes? Et ait: Vocor Titinillus. Ille autem fecit inde verſum: *Fragmina pſalmorũ Titiuillus colligit horũ.*

Item, vide Auguſtus. g.

Hospitalitas.

A. Intrare oppidum Maſſilienſium nulli cum telo licet, præſtoque eſt, qui id cuſtodiæ gratia acceptũ exituro reddat, vt hoſpitia, quemadmodum venientibus humana ſunt, ita ipſis quoque tuta ſint. *Valer. Max. libro ſecundo, capite ſecundo.*

B. T. Quintius Criſpinus Campanũ Badium hoſpitio exceperat, & ægrum recrea-

recreauerat: à quo post Campanorum defectionem in acie ad pugnam prouocatus, cum & viribus corporis & animi virtute aliquanto esset superior, monere ingratum, quam vincere maluit. Quid agis, inquit, demens? Vnus tibi Romanorum Quintius placet, in quo scelesta exerceas arma: cuius penatibus & honoris vicissitudinem & salutem tuam debes? Vtrique cæleste numen dedit debitum exitum. Siquidem in eo prælio Badius obtruncatus est, Quintius insigni pugna clarus euasit. *Valerius libro quinto, capite primo. T. Liuius lib. 25.*

C. Quotidie Gregorius peregrinos ad mensam suam inuitabat. Inter quos die quadam vnus adfuit, cuius manibus, dum ipse aquam fundere vellet, vrceum accepit, sed in cuius manibus aquam funderet non inuenit. Cumque hoc miraretur, nocte Dominus per visionem ei dixit: Cæteris diebus me in mẽbris meis, hesterno me in memetipso suscepisti. *In aurea legenda, & in eius vita Ioan. Diaconus.*

D. Tempore, quo Normanni pæne totam Franciam vastauerunt, translatum est corpus beati Martini Altisiodorum, vbi cum propter multa miracula, quæ ibi fiebant plurima, conferrent aduenientes, orta est lis pro partitione pecuniæ inter Turonicos & Altisiodorenses. Ad quam soluendam leprosus inter duorũ Sanctorum corpora ponitur, & tota nocte custoditur. Mane pars illa quæ Martino fuit proxima, apparuit curata, altera adhuc remanente leprosa. Obuertunt B. Martino latus morbidum. Altero mane repertus est totus curatus, cedente Germano hospiti suo. *In Chronicis Martini Poloni, & Speculo historiali Vincentij lib. 25. c. 45. Gulielmus Malmesb. l. 2. de gestis rerũ Ang. c. 4.*

al. Autisiodorũ.

Abbas quidam Cisterciensis, cum durus esset & inhumanus, sibi similes nequiores in porta, hospitio, & alijs locis ponebat. Accidit quod ioculator eo diuerteret: qui vix panem nigerrimum cum aqua potuit obtinere. Recedens cœpit cogitare quomodo se possit de illo nequissimo vindicare. Cui occurrit Abbas, de foris veniens. Cui Histrio ait: Vnde venit Dominus meus Abbas? Gratias vobis refero, & toti conuentui, quia frater ille, qui præest hospitio, hac nocte me splendidè procurauit, piscium plura fercula, vina pretiosa, calciamenta, etiam bona, cum cultello & corrigia mihi dedit. Statim vt ille ad abbatiã venit, vocato conuerso coram conuẽtu & eo durissimè verberato, eum ab officio remouit, sicque Histrio se vindicauit. *Iacobus de Vitriaco.* E.

F. Abbas quidam de ordine nigro hospitalis, & erga pauperes multum misericors, tales etiam habebat officiales: & quanto plus pauperibus contulit, vel hospitio plures recepit, tanto Deus amplius domui illius benedixit, & bona multiplicauit. Post cuius mortem, successor eius auaritia stimulatus, pietatis officiales amouit, & tenaces instituit, & defunctum indiscretum asserẽs, hospitalitatẽ prorsus exclusit, & beneficia cõsueta subtraxit pauperibus. Charitate subtracta, subtraxit etiam Deus manũ suã, ita vt breui vix haberent, quod manducarent. Die autẽ quadam vir quidã petiuit hospitiũ, quem ostiarius clanculo recipiens, & cum timore pauca, quæ habebat, ei ministrauit. Dixitque; Modo plura non possum tibi apponere, licet aliquãdo viderim, quod si vnus Episcopus huc diuertisset, cũ magna abundantia susceptus fuisset. Respõdit ille: Duo fratres expulsi sũt de monasterio isto: vnus vocabatur,

Date & alter *Dabitur*. Nisi redierint, non potest monasterium prosperari. Sicque ab oculis eius recessit. Puto aliquam personam fuisse angelicam, per quam dominus fratrum illorum primam reuocare voluit charitatem. Quæ portarius Abbati & conuentui retulit. Sicque resumpta est hospitalitas, & Deus eis, vt prius, benedixit. *Cæsarius Dialog. miraculorum distinct. 4. capite 68.*

G. Perrexerunt quidam Patrum ad Abbatem Ioseph, vt interrogarent eum de susceptione fratrum, si deberent sibi relaxare abstinentiam congaudendo cum ipsis? & priusquam interrogarent eum dixit. Deus dicit: *Date quæ sunt Cæsaris Cæsari; Et quæ sunt Dei Deo.* (Mat. 22.) Cum gaudio ergo fratres suscipere debemus. Quando soli sumus opus habemus lugere. Qui audientes sunt admirati. *In vitis Patrum libro decimo-tertio, parte prima.*

H. Dixit Abbas Cassianus, quia venimus á Palæstina in Ægypto ad quendam senem & fecit nos gustare, & hortabatur nos satietas adhuc sumere cibum. Et cum dixissem, quia non possum, ille respondit. Ego iam superuenientibus fratribus diuersis sexies mensam apposui, & ego sexies manducaui, & adhuc esurio, tu vero semel manducans ita satiatus es, vt iam manducare non possis. *Ibidem.*

I. Datum est aliquando in Scythi mandatum, vt ieiunarent illa hebdomada, & facerent Pascha. Contigit autem vt ipsa hebdomada venirent ad Abbatem Moysem fratres de Ægypto, & fecit eis modicum pulmentum. Et cum vidissent vicini fumum dixerunt Clericis Ecclesiæ quæ illic est. Ecce Moyses soluit mandatum, & coxit apud se pulmentum. Illi dixerunt: Quando venerit loquemur ei. Sancto autem sabbatho videntes Clerici magnam conuersationem Abbatis, Moysi dixerunt coram plebe. O Abba, mandatum quidem hominum soluisti, sed Dei mandatum fortiter alligasti. *Ibidem.*

K. Dixit Abbas Pastor: Nos non didicimus ianuam ligneam claudere, sed magis linguæ ianuam cupimus clausam habere. *Ibidem.*

L. Frater quidam venit ad quendam solitarium, & cum egrederetur ab eo, dixit: Ignosce mihi Abba, quia impediui regulam tuam. Ille respondens dixit: Mea regula est, vt te in hospitalitate recipiam, & in pace dimittam. *Ibidem.*

M. Dicebant de quodam sene in Syria, qui iuxta viam eremi habitabat, & hoc erat opus eius, vt quacunque hora veniret monachus de eremo, cum fiducia faciebat eum gustare. Venit aliquando solitarius, & ille petebat ab eo, vt gustaret. Qui cum nollet gustare ait: Ego ieiuno. Contristatus senex dixit ei. Ne prætermittas puerum tuum, obsecro ne despicias me, sed veni oremus. Ecce enim arbor hic est, cui curuanti genu & oranti inclinata fuerit ipsum sequamur. Curuauit genu solitarius, & nihil factum est. Flexit & ille senex & statim curuata est arbor. Quod videntes gauisi sunt & gratias egerūt Deo. *Eodem libro parte secunda.*

N. Venerunt aliquando duo fratres ad quendam senem. Consuetudo autem erat seni non manducare quotidie. Qui cum vidisset fratres cum gaudio suscepit eos, dicens: Ieiunium mercedem suam habet, & iterum Qui manducat propter charitatem, duo mandata implet, quia voluntatem propriam derelinquit, & mandatum Dei implet reficiens fratres. *Ibidem.*

O. Multa de hospitalitate differebat S. Apollonius, & iubebat vt fratres quasi

quasi dominos suscipiamus. Nam & eos adorari ideo traditio habet, vt certum sit in aduentu eorum aduentum Domini *Iesu* haberi. Ieiunia sanè legitima, quarta, & sexta feria monebat non esse soluenda, nisi grãdis necessitas fieret. Dicebat ergo: Si forte in diebus supradictis superuenerit aliquis fratrum, si ante horam nonam laboris causa velit reficere, ponendam ei esse mensam soli: quod si nolit non esse cogendum. Commũnis namque huius obseruãtiæ traditio est. *In vitis Patrum in vita Apollonij.*

P. Itaque vt norunt aduentum fratrum, indifferenter soluere quotidiana ieiunia solent: Discedentibus illis refectionem ob illos indultam continentia maiore cõpensant &c. *Cassianus de institutis monachorum libro 5. capite 34.*

Item, vide Conuiuium. a. Iulius Cæsar. b. Honor. d. Latro. a. Recreatio. a. Socrates. s.

HOSTIS.

A. CVm Lacedæmonij agros Athenienses depopularentur, agros Periclis Atheniensis ducis intactos reliquerunt, sperantes se acquirere illi posse, aut periculum ex inuidia, aut ex suspicione proditionis infamiam. Pericles id prospiciens, & futurum populo prædixerat, & ad inuidiæ declinandum impetum agros ipsos dono Reipublicæ dederat. *Iustinus libro tertio.*

B. David Abner, licet aduersarium, interemptum fleuit: quo facto docuit etiam fidem cum hostibus esse seruãdam, honorandamque etiam in hoste virtutem. *Ambrosius in Apologia Dauid.*

2. Regum cap. 3.

C. Acerrimè cum Scipione Africano Metellus Macedonicus dissenserat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio ad graues inimicitias progressa fuerat. Sed cum occisum Scipionem proclamari audisset, mæsto vultu: *Concurrite*, inquit, *ciues, concurrite, mœnia nostræ vrbis euersa sunt.* Scipione enim Africano intra suos penates quiescenti vis illata est. O Rempublicam morte Africani miseram, & Macedonici tam ciuili lamentatione felicem. *Valerius Maximus libro quarto capite primo.*

D. Filios suos monuit, vt funebri eius lecto humeros subijcerent, atque huic exequiarum illum honorem vocis adiecit, non fore vt postea id officium ab illis maiori viro præstari posset. Vbi illa tot in curia iurgia? vbi tam multæ pro rostris altercationes? vbi maximorum Ducum & Ciuium tantorum togata prælia? omnia nimirum ista præcipua veneratione prosequenda deleuit moderatio. *Ibidem Valerius, & Plinius libro 7. capite 47.*

E. Syphacem Numidiæ Regem captiuum in custodia Tiburi mortuum Senatus publico funere censuit efferendum; ne regias reliquias iacere inhonoratas pateretur, consimili clementia in Perse Rege vsus est. *Valerius Maximus libro quinto, capite primo. T. Liuius lib. 30.*

F. Legatis Romanorum ad redimendos captiuos castra Pyrrhi Regis petentibus, quo tutius venirent, Lyconem Molossum misit obuiam, quoque honoratius exciperentur, & ipse extra portam occurrit, secundarum rerum prouentu non corruptus. *Eodem Valerius libro, capite primo.*

G. Hannibal Æmilij Pauli apud Cannas trucidati corpus quantum in ipso fuit, insepultum iacere passus non est. *Ibidem ex T. Liuio libro 22.*

Hanni-

H. Hannibal T. Grachum Lucanorum circumuentum insidijs, cũ summo honore sepulturæ mandauit, & ossa eius in patriam portanda militibus nostris tradidit. *Ibidem.*

I. Ne Samnites quidem paruas pænas pependerunt, quod Herennij Pontij salutare consilium neglexerunt: qui authoritate & prudẽtia cæteris præstans, ab exercitu & duce eius filio suo consultus, quidnam fieri de Legionibus Romanis apud Furcas Caudinas inclusis deberet, inuiolatas dimittendas respondit. Postera die de ea re interrogatus, deleri eos oportere dixit, vt aut maximo beneficio gratiã hostium mererentur, aut grauissima iactura vires confringerentur. Sed improuida victorum temeritas, dum vtramque partem vtilitatis aspernit, sub iugũ missas in perniciem suam accendit. *Valerius libro septimo, capite secundo. Liuius libr. nono. L. Florus 1. cap. 16.*

Item, vide Alexander. e. Compassio. a. e. Humanitas. b. c. d. Maria. c.

HVMANITAS.

A. Africani posterioris humanitas latè patuit. Expugnata enim Carthagine, circa ciuitates Siciliæ literas misit, vt ornamenta tẽplorum suorum à Pœnis rapta per Legatos suos recuperarent, beneficiũ dijs pariter & hominibus gratum, eos victoriæ maximos fructus ratus, si dijs ornatum templorum restitueret. *Valerius libro quinto, capite primo. Cicero Verrina 6.*

B. L. Paulus cum Persen parui temporis momento captiuum ex Rege ad se adduci audisset, occurrit ei, conatumque ad genua procũbere dextera manu alleuauit. Introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere fecit, nec honore mensæ indignum iudicauit. Nam si egregium est hominem abijcere, non minus tamen laudabile infelicis scire misereri. *Ibidem. T. Liuius lib. 45. Plutarc. in vita.*

Gnæus Pompeius Tigranem Regem, qui & per se magna cum populo Romano bella gesserat, & Mithridatem Ponto pulsum, viribus suis protexerat diutius supplicem iacere passus non est: sed diadema, quod abiecerat capiti reponere iussit: &c. æquè pulchrum esse iudicãs, & vincere Reges & facere. *Ibidem.* C.

Cn. Pompeij caput tribus coronis triumphalibus spoliatum abscisso corpore vt Cæsar aspexit, oblitus hostis, soceri vultum induit, & cum Pompeio tum proprias tum etiam filiæ suæ lachrymas reddidit. Caput autem plurimis odoribus cremandum curauit. *Ibidem & Plutarc. in Cæsare & Pompeio. Appianus libro secũdo. Ciuil. bell.* D.

Catonis morte Cæsar audita, & se illius gloriæ inuidere, & illum suæ inuidisse dixit: patrimoniumque liberis ipsius incolume seruauit. Et Hercle diuinorum Cæsaris operum non parua pars Catonis salus fuisset. *Ibidem libro quinto, capite primo. Dion. lib. 43. Plutarc. in Cæs. & Catone.* E.

Marcus Antonius Marci Bruti corpus sepeliendum liberto suo tradidit, & quo honoratius cremaretur inijci ei suum paludamentum iussit, iacentem non hostem, sed ciuem deposito æstimans odio. *Ibidem Valerius, Plutarc. & Appianus libro quarto Ciuil. Bellorum.* F.

Hannibal M. Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius quam consideratius speculatur, interemptum, Punico donatum sagulo, & corona donatum laurea G.

rogo

rogo imposuit. Dulcedo humanitatis vincit iram, prosternit odium, hostilemque sanguinem hostilibus lachrymis miscet. *Valerius libro 5. capite primo. T. Liuius lib. 27. Plut. in Marcello. Item, vide Cōpassio. Hostu. b. c. d. e. f. g. h.*

HVMILITAS.

A. CVm Abbas Ioannes Romam venisset, & Gregorium Papam per medium vrbis transire vidisset, voluit ei reuerentiam exhibere. Cernens Gregorius quod volebat se in terram proijcere, festinauit, & primo se prostrauit, nec inde surrexit, quoadusque Abbas primo surrexit. *In aurea legenda de S. Gregorio.*

B. Gallicanus dux Romani exercitus ducatui cessit, & omnia pauperibus tribuens *Christo* pauper seruiuit. Huius rei fama ita creuit, vt ab oriente & occidente venientes viderent virum, ex Patricio & Consule lauantē pedes pauperum, ponentem mensā, aquam manibus effundentē, languētibus sollicitè ministrantem. *In aurea legenda de Sanctis Ioanne & Paulo.*

C. Sancta Elizabeth Regis Hungariæ filia, tanta se humilitate deprimebat, vt non pateretur se ab ancillis dominam vocari. *In aurea legenda de eadem.*

D. Cum Heraclius Imperator, lignum sanctę crucis, quod Cosdroe Rex Persarum abstulerat, Hierusalem reportaret, & de monte Oliueti descendēs per portā, qua Dominus intrauerat, cum equo regio & ornamentis regijs intrare vellet, repentè lapides portæ descendentes clauserunt se inuicem & factus est paries. Cumque attoniti mirarentur, viderunt signum crucis in cœlo flammeo fulgore splendescere. Angelus quoque accipiens illud manibus stetit supra portam, & ait: Quandò Rex cælorum per hunc aditum introiuit, non se purpuratum nec diademate renitentem exhibuit, sed humilis aselli tergo insidens cultoribus suis humilitatis exemplum reliquit. His dictis in cælum redijt. Imperator gaudens depositis Imperij insignibus, discalciatus, zona linea præcinctus, crucem Domini manu suscipiens, lachrymans properauit ad portam, & duritia lapidum cæleste sensit imperium, populo Deum laudante. Tunc Imperator ait: O crux splendidior &c. Tunc pretiosum lignum in loco suo reposuit. *In historia de Exaltatione S. Crucis, & apud Martinum Polonum in chronicis.* *Adeundus Car. Baro. ad annum 628.*

E. Regina Bathildis vxor Clodouæi Regis, filij Dagoberti, pestem Simoniacam à Francia extirpauit, & exactiones publicas cessare fecit. Construxit cœnobium monialium nomine Calam, in quo religionis habitum suscepit, quæ plusquam cæteræ sorores, excrementa stercorum etiam proprijs manibus emundabat. *Vincentius in speculo historiali libro 24. cap. 116. Sigeb. anno 662.* *Consulatur Car. Baro. ad annum 661.*

F. Placilla, vxor Theodosij senioris, de diuinis legibus eum admonebat perfectè, seipsam prius erudiēs. Claudorum & debilium maximam habebat curam, non seruis vtens sed per semetipsam agens, per ecclesiarum Xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, ius gustans, offerens coclearia, quæ seruorum sunt omnia. Dicebat aurum distribuere opus imperij est. Viro suo sæpe dicebat. Oportet te semper, marite, cogitare quid dudum fuisti, quid modo sis: Hoc si cogitaueris, ingratus benefactori non eris &c. *In Tripartita historia libro nono, capite 31. Theodoret. lib. 5. capite 8. Niceph. lib. 12. cap. 42.*

G. Didymus Philosophus ad Alexandrum scripsit. Deus præsto est largiri sapientiam, sed non habes vbi recipias, quasi diceret: In solo humili corde recipitur, quo tu cares. *Gulielmus Lugdunensis in Summa virtutum, parte 3. rubrica 57.*

H. Ferunt Agathoclem Regem in vasis fictilibus cenasse, quærētique causam respondit. Rex ego cum sim Siciliæ, figulo sum genitore satus.

Fortunam reuerenter habe quicunque repentè

Diues ab exili progrediere loco.

Ioannes Galensis, ex Ausonio Plut. in apop. Iustin. lib. 22. Diodo. lib. 19.

I. Quia opinio sanctitatis viri, vitæ venerabilis, Constantij nomine, excreuerat, multi hinc videre eum cupiebant. Quidam vero rusticus ex longinquo quadam die venit. Eadem vero hora casu cōtigerat, vt sāctus vir in ligneis gradibus reficiēdis lampadibus deseruiret. Erat autem pusillus valde, exili forma, atque despecta: Cum is quisnam esset, inquireret, hi qui illum nouerant, monstrauerunt. Sed ille eum despectum videns non credidit, sed irrisit dicens: Ego grandem hominem credidi, iste de homine nihil habet. Quod vt vir Dei audiuit, in eiusdem rustici complexum ruit, gratias illi agens, quod de se talia iudicasset dicens: Tu solus es, qui in me oculos apertos habuisti. *Vt superbi honoribus, sic humiles sua despectione gratulantur. Gregorius dialog. libro primo, capite sexto.*

K. Frater quidam cum dicerent ei cogitationes suæ, exaltatus es, magnus factus es, ipse temperans vitia cogitationum suarum humiliter reuocabat culpas suas dicens: Et vbi sunt omnia illa peccata mea, quæ feci? Exhibeo primum seruitium Deo meo, & credo, quod faciat mecum misericordiam. Hoc modo euincens spiritus cogitationum malarum, postea visibiliter ei apparuerunt, dicentes: Turbati sumus à te. Et dicit eis, Quare? & dixerunt: Nos te humiliamus, tu te erigis in altum. *In vitis Patrum lib. 14. parte 3.*

L. Dixit Antonius: Vidi omnes laqueos inimici tensos in terra & ingemiscens dixi: Quis putas transiet istos? Et audiui; *Humilitas. In vitis Patrum lib. 15. parte 1.* *Doroth. Abb. ser. 2. de cordis humilitate Apophtheg. SS. Patrum.*

M. Theophilus Episcopus Alexandrinus venit aliquando ad montē Nitriæ & venit ad eum Abbas ipsius montis, & ait ei Episcopus: Quid amplius inuenisti in via ista, Pater? Et respondit senex: Culpare meipsum sine cessatione. Et dixit ei Episcopus: Non est alia via sequenda, nisi hæc. *Eodem libro parte tertia.*

N. Abbati Macario in via occurrit diabolus cum falce messoria: voluitque eum percutere, & non potuit, sed dixit: Multam à te patior violentiam, quia non possū præualere tibi. Quidquid tu facis facio: Ieiunas tu & ego penitus non comedo, vigilas & ego non dormio: vnum est solum in quo me superas. Et dicit Macarius, quod est illud? Respondit: *Humilitas tua, per quam non possum præualere aduersum te. Eodem libro parte quarta.*

O. Dicebant de Abbate Moyse, quia cum factus esset clericus, volens eum Episcopus probare, dixit Clericis: Quando intrat ad altare, expellite eum, & sequimini vt audiatis quid dicat. Cum ergo cœpissent eū foras mittere, dixerūt ei: Exi foras. Æthiops autē ille egrediens dicebat: Bene tibi fecerūt cinerate, cacabate (id est cinere asperse, & niger vt cacabus) qui cū homo non sis, te in medio hominum dare præsumpsisti. *Eodem libro p. 4.*

P. Venerunt quidam in Thebaide, ad senem,

ſenem, habentes ſecum obſeſſum á dæmonio. Senex cum diu rogaretur dixit dæmoni: Exi de factura Dei. Reſpondit dæmon: Exeo, ſed interrogo te vnum verbum. Dic mihi, qui ſunt hædi, & qui ſunt agni. Et dixit: Hædi tales ſunt qualis ego. Agni qui ſint, Deus ſcit. Et audiens dæmon clamauit dicens: Ecce propter humilitatem tuam exeo: & exiuit eadem hora. *Eodem lib. parte 7.*

Q*. Manebat quidam monachus in ſuburbano Conſtantinopolis ciuitatis, & cum tranſiret Theodoſius Iunior per viam illam, reliquit omnes, qui in obſequio eius erant, & venit ad cellam eius. Monachus videns eum, agnouit quia Imperator eſſet, ſic tamen ſuſcepit quaſi vnum militum. Cum intraſſent, orauerunt, & ſederunt. Cœpit autem Imperator interrogare dicens: Quomodo ſunt Patres in Ægypto? Reſpondit: Orant omnes pro ſalute veſtra. Ille autem circumſpiciebat in cella eius ſi quid haberet, & nihil vidit, niſi paruam ſportulam habentem modicum panis & lagenam aquæ. Et dixit ei monachus: Guſta modicum. Et dedit ei aquam vt biberet. Reſpondit Imperator. Scis quis ſim ego? At ille, Deus, inquit, te ſcit quis ſcis. Tunc ait: Ego ſum Theodoſius Imperator. Ille ſtatim adorauit ſalutans humiliter, & dixit Imperator: Beati eſtis vos quia ſecuram vitam habetis, & non cogitatis de hoc ſeculo. Veritatem autem dicam, quia in imperio natus ſum, & nunquam delectatus ſum pane & aqua ſicut hodie: ſatis enim libenter comedi. Et cæpit ex tunc honorare eum Imperator. Senex vero egrediēs fugit, & iterum venit in Ægyptum. *Ibidem.*

R*. Quidam fratri apparuit diabolus transformatus in Angelum lucis, & dixit: Ego ſum Gabriel, & miſſus ſum ad te. Ille autem dixit ei: Vide ne ad alium miſſus ſis. Ego non ſum dignus, vt Angelus mittatur ad me. Diabolus vero ſtatim diſparuit. *Ibidem.*

Dicebant Senes: Si vel pro veritate Angelus tibi apparuerit, non ſuſcipias faciliter, ſed humilia teipſum dicens: Non ſum dignus Angelum videre, viuens in peccatis. *Ibidem.* S*.

Narrauerunt de alio ſene, quia ſedens in cella, & ſuſtinens tentationes, videbat dæmones manifeſtè, & contemnebat eos. Cum autem diabolus vinci ſe videret, venit & oſtendit ſe ei dicens: *Ego ſum Christus.* Videns eum ſenex clauſit oculos ſuos. Dixit dæmon: Quare clauſiſti oculos tuos? Reſpondit. Ego hic Chriſtum nolo videre, ſed in alia vita. Audiens diabolus diſparuit &c. *Ibidem.* T*.

Narrauerunt de ſene quodam, qui perſeuerauit ieiunans ſeptuaginta hebdomadas, ſemel in hebdomada reficiens. Hic poſtulabat à Deo de quodam ſermone ſanctarum Scripturarum, & non reuelabat ei Deus. Dixit ergo: Ecce tantum laborem ſumpſi, & nihil profeci. Vado ergo ad fratrem meum, & requiram ab eo. Qui cum egreſſus clauſiſſet oſtium, miſſus eſt ad eum Angelus Domini dicens: Septuaginta hebdomadæ quibus ieiunaſti non te fecerunt proximum Deo. Nunc vero quando ita humiliatus es, vt ires ad fratrem tuum, miſſus ſum indicare tibi ſermonem, & aperiens ei de re quam quærebat, diſceſſit ab eo. *Eodem libro parte 7.* V*.

Duo monachi fratres carnales habitabant ſimul, & volebat eos diabolus ſeparare. Semel iunior incendit lucernam, & poſuit eam ſuper candelabrum. Euertit autem dæmon X*.

candelabrum, pro qua re cecidit eum frater maior cum ira. Ille vero dixit: Habe patientiam in me, Frater, & iterum accendo eam. Et ecce virtus Domini venit & torquebat dæmonem illum vsque mane. Dæmon autem nunciabat Principi suo quod factum fuerat. Et audiuit Sacerdos paganorum, id quod dæmon retulerat principi suo, & egressus factus est monachus, & ab initio conuersionis tenuit humilitatem dicens: *Humilitas soluit omnem virtutem inimici*, sicut eos audiui loquentes dicendo. Quia quando perturbamus monachos, conuertitur vnus ex eis, & agit pœnitentiam & destruit omnem virtutem nostram. *Eodem libro in fine.*

Y. Narrauit S. Basilius dicens: Fuit in quodam monasterio fœminarum quædam virgo, quæ stultam se, & dæmonem se habere simulabat. Et vsq; adeo abominabilis ab alijs errore habebatur, vt ne quidem cibum cum ea caperent. Talem siquidem elegerat vitam, vt à coquina nunquam recedens totius illic ministerij impleret officium &c. nulli vnquam fecit iniuriam, nulla ipsius murmur audiuit. Et ecce cum ab omnibus cæderetur, cuidam nomine Piocherio sancto viro astitit Angelus dicens: Vis videre mulierem te sanctiorem? Vade ad Tabennesiotarum monasterium, & vnam ex ipsis inuenies habentem in capite coronam, ipsamque agnosce esse te meliorem. Cumque illa fuisset exhibita, omnibus alijs prius visis, vidissetque frontem eius panno inuolutam, proiecit se ad pedes eius dicens: Benedic me. Quod & ipsa ad pedes eius fecit. Omnes autem sorores obstupuerunt, dicentes: Noli, Abba, talem iniuriam sustinere. Fatua est enim ista. Tunc S. omnibus ait: Vos, inquit, estis fatuæ. Deprecor Deũ vt tã dignus ac ipsa in die iudicij merear inueniri. Quo audito omnes ad eius pedes prociderunt, confitentes se dictæ virgini diuersas iniurias irrogasse. Post paucos autem dies non ferens illa tantam suam gloriam, egressa est de monasterio illo occultè, & quò ierit vel quo fine defecerit, ad nullius potuit notitiam peruenire. *Libro 18. parte quarta in vitis Patrum.*

Z. Dicebant de quodam sene, quia in inferiori parte Ægypti sedebat quietus, & vnus sæcularis fidelis ministrabat ei. Contigit autem vt filius illius infirmaretur. Qui rogabat senem, vt rogaret pro puero. Surgens senex abijt cum ipso, & ille præcurrens intrauit in domum dicens: Venite obuiam illi solitario. Videns eos senex à longè exeuntes cum lampadibus, cognouit quia sibi venirent in occursum. Et exuens vestimenta sua misit ea in flumine, & cœpit lauare stans nudus. Minister ille laicus erubuit, & videns eum nudum, rogauit homines illos dicens: Reuertimini, quia senex ille mente excessit. Veniensque ad senem dixit ei: Quid hoc facere voluisti? Omnes enim dicebant, quia dæmonium habet. Qui dixit: Et ego volui audire. *In vitis Patrum libr. 21. parte tertia.*

Aa. Iuuenis quidam Siluanus nomine, de scena conuersus, & in monasterio S. Pachomij susceptus, iugiter flebat. Coactus à fratribus fateri, cur ita fleret, ait: Non vultis vt plangam cum videam me foueri multis obsequijs fratrum sanctorum, quorum & puluis pedum mihi venerandus est? Non ergo plangam quod homo de scena multis

tis peccatis obnoxius officia tanta percipiam? *In vita S. Pachomij.*

Ab. Fratrum quendam qui mecum ab initio iuuentutis vsque hodie vixit, noui pro contemptu suo semper gratias agere, consuetum. *Heraclides libro qui dicitur Paradisus.*

Ac. Constantinus Imperator construxit intra palatium Lateranense Saluatoris nostri Ecclesiam, duodecim cophinos terræ de fundamentis proprijs humeris deportando. *Martinus Polonus in Chronicis.*

Item, vide Arsenius. g. h. Iactantia. a. Minister. a. Moderatio. a. Mors. a. b. l. m. n. Patientia. f. h. i. Seruitium. a.

HVNGARI.

A. GEns Hungarorum tempore Caroli Imperatoris tertij, adeo inculta fuisse narratur, vt carnibus crudis ad cibum, humano vero sanguine vterentur ad potum. *Martinus Polonus in Chronicis.*

IACOBITÆ.

A. HEbræi vocauerunt Samaritanos Iacobitas, quia supplantauerant Israelitas à finibus suis. *Scholastica historia sup. 4. Reg. cap. de ciuitate 10. tribuum.*

S. IACOBVS ALPHÆI.

A. DE Iacobo Alphæi sic Egesippus: Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ frater Domini Iacobus, cognomine Iustus, ab ipsis Domini têporibus perdurans vsque ad nos. Hic ex vtero matris fuit sanctificatus: vinum & siceram non bibit, ferrum in caput eius non ascendit, oleo non est vnctus: balneis non est vsus. Huic soli licebat intrare in sancta sanctorum. Solus ingrediebatur templum, & iacebat super genua sua orans pro populi indulgentia, ita vt orando callos faceret in genibus ad modum cameli. *Et infra.* Ita opinatissimus in obseruatione iustitiæ habebatur, vt & Iudæorum prudentes quique crederent, hanc esse causam statim consequutæ oppugnationis Hierosolymorum quod in illum sceleratas manus miserant. *In ecclesiastica historia libro secundo, capite vigesimotertio. Hieronym. de viris illustribus c. 3.*

B. Dicunt quod iste Iacobus primus inter Apostolos celebrauit. Nam propter suæ sanctitatis excellentiam hunc illi honorem fecerunt Apostoli, vt post Ascensionem Domini primus inter eos Missā celebraret Hierosolymis. *In aurea legenda de eodem.*

In Parasceue, mortuo Domino, sicut dicit Iosephus, & Hieronymus l. de viris illustribus cap. 3. Iacobus votum vouit se non comesturum, donec videret dominum resurrexisse. Ipsa autem resurrectionis die eidem Dominus apparuit, & eis qui cum eo erant dixit: Ponite mensam & panē. Deinde panem benedixit, & dedit Iacobo, dicens: Surge frater mi, comede, quia filius hominis resurrexit à mortuis. *Vbi supra.*

C. Iacobus Mariæ sororis matris Domini filius, post passionē Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, triginta annis Hierosolymam rexit. *B. Hieronymus de viris illustribus cap. 3.*

S. IACOBVS ZEBEDÆI.

A. TRiginta viri de Lotharingia ad S. Iacobum properantes omnes vno excepto, fidē mutui seruitij sibi promiserūt. Vnus ergo infirmatus quindecim diebus à socijs expectatur, sed tandē ab eis relinquitur, & à solo

illo qui fidem non promiserat, ad pedem montis S. Michaelis custoditur, & eodem die moritur. Statim autem in specie equitis adfuit. S. Iacobus, viuum valde timentem consolans, & dicens: Trade mihi hunc mortuū, & tu ascende post me equum istum; sicque illa nocte quindecim diætas peragentes ad montem gaudij, qui ad dimidiam leucam contra S. Iacobum ibi vtrumque S. deposuit præcipiens vt Canonicos. S. Iacobi ad sepeliendum suum peregrinum conuocaret, & socijs diceret, quod propter fidem fractam eorum peregrinatio nil valeret. Qui iussa compleuit, & stupentibus socijs ea quæ S. Iacobus dixerat intimauit. *Calixtus Papa in libello quem edidit de miraculis S. Iacobi.*

B. Refert Hugo de S. Victore, quod cuidam ad S. Iacobum pergenti diabolus in specie S. Iacobi apparens, felicem se fore si ob honorem suum se necaret, asseruit. Qui mox gladium accipiens se occidit. Et cum hospes plurimum timeret, ne suspectus haberetur, Ecce qui fuerat mortuus, mox reuixit dicens: quod cum dæmon ad supplicium eum traheret S. Iacobus eum liberauit, & per sententiam iudicis vitæ est restitutus. *In aurea legenda de eodem.*

Item, vide Oratio. i. De hoc Hugo lib. 2. de Sacram. p. 16. c. 2.

IACTANTIA.

A. Apud Ioannem Heremitam prophetiæ gratia habebatur, vt magis quòd ventura prædiceret illorum qui percontabantur, quam suis meritis ascriberet; dicebat enim non pro se hæc, sed pro illis qui audiunt à Domino prænunciari. *In vitis Patrum de S. Ioanne eremita.*

B. Vidimus sanctum Apollonium apud Thebaidem sub quodam monte habentem monasteria. Erat enim Pater monachorum circiter quingētorum. Quindecim ergo annorum secessisse eum ferebant ad eremum, & ibi cum quadraginta annis fuisset, audiuit vocem Domini delatam esse: Apolloni, per te perdam sapientiam sapientium in Ægypto, omnem culturam dæmonum subrues. Perge ergo nunc ad loca habitabilia. Generabis enim mihi populum perfectum, æmulatorem bonorum operum. Ille ait: Aufer ergo à me Domine, iactantiam, ne fortè elatus super fratres meos cadam ab omnibus bonis tuis. Respondit ei diuina vox: Mitte manum tuam ad ceruices tuas, & quod apprehenderis constringe, & sub arena obrue. At ille sine mora iniecta manu ad ceruices suas, apprehendit quasi puerulum quendam Æthiopem, & continuo submersit eum sub arena clamantem & dicentem: Ego sum, ego sum, superbiæ dæmon. Post hæc ad eum vox facta est à Domino: Perge, nunc omnia quæcunque poposceris à Deo, consequeris. *In vitis Patrum de beato Apollonio.*

Olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, sed apud degentes in eremo Abbatis Sereni, quam ob hoc vnusquisque refecturus instillat, non vt eius ex hoc haustu quandam percipiat suauitatem, sed vt hoc vsu iactantiam cordis quæ pro abstinentia districtiore blandè solet ac latenter irrepere, stimulos elationis obtundat. *Cassianus in Collat. Patrum, collatione septima, capite primo.* C.

Legitur de Mario, cum multa fecisset egregie, vna sui iactitatione gloriam famæ perdidit, & quia sibi præsumpsit ascribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ D.

commen-

commendationis vota. demeruit. *Petrus Blesensis in quadam epistola.*
Item, vide Didymus. b. Diogenes. g. Humilitas. p. Martinus. p. Mirabile. c. g. Patientia. a x. Seipsum. a. Socrates. c.

IDIOMA.

A. MAgistratus vero quantopere suã populique Romani maiestatem retinentes se gesserint hinc cognosci potest, quod inter cætera obtinendæ grauitatis indicia, id quoque magna cũ perseuerãtia custodiebant, ne Græcis vnquam nisi Latinè respõsa darent, quin & ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excussa per interpretem loqui cogebãt. *Valerius libro 2. cap. 2. §. 2.*

B. Crassus cum in Asiam ad Aristonicum Regem debellandum Cõsul venisset, tanta cura linguæ Græcæ notitiam animo comprehendit, vt eam in quinq; diuersa genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret: quæ res maximum ei sociorum amorem conciliauit. *Valerius libro 8. capite septimo, §. 6. Cicero in Bruto. Quintil. libro vndecimo, capite secundo.*

C. Cyrus omnium militum suorum nomina: Mithridates, vigintiduarum gentium quæ sub regno eius erant, linguas didicerunt. Ille, vt sine monitore exercitum salutaret, hic, vt eos quibus imperabat, sine interprete alloqui posset. *Ibidem & Plinius lib. septimo, cap. 24. Solonus, & Quintil. lib. vndecimo, capite 24.*
Item, vide lingua. a.

IDIOTA.

Vide Augustus. d.

IDOLATRIA.

A. CVm circa annum 481. ab vrbe condita Carthaginenses peste laborarent, homicidijs pro remedijs vsi sunt. Quippe homines vt victimas immolabant, ætatemque impuberem, quæ etiam hostium misericordiam prouocaret, aris admouebant. *Orosius in Orchestra mundi, libro quarto, capite sexto. Diodorus Siculus lib. vigesimo Bibliothecæ.*
Item, vide Aegyptus. i.

IEIVNIVM.

A. VEnerunt Abbas Siluanus, & discipulus eius Zacharias ad quoddam monasterium, & fecerunt eos gustare modicum, antequam ambularent, & exeuntibus illis inuenit discipulus eius aquam in via & volebat bibere. Dixit ei Abbas Siluanus: Zacharia ieiunium est hodie. Cui ille dixit: Manducauimus, Pater. Dixit ei senex: Illud manducare charitas fuit, nos autem teneamus ieiunium nostrum. *In vitis Patrum libro quarto, parte quarta.*

B. Interrogauit Abbas Ioseph Abbatem Pastorem dicens: Quomodo opus est ieiunare? Dixit Pastor: Ego volo vt quotidie manducans subinde paululum cibi subtrahat sibi, ne satietur. Dixit Abbas Ioseph: Ergo cũ eras iuuenis non ieiunabas biduanas, leuando dixit ei senex: Crede mihi, quia triduanas & hebdomadam. Sed hæc omnia probauerunt senes magni; & inuenerunt quia bonum est quotidie manducare per singulos dies parum minus, & ostenderunt nobis hanc viam regalem quia leuior & facilis est. *In vitis Patrum libro decimo, parte quinta.*

C. Dixit Abbas Moyses: Oportet nos vniuersas cogitationes in corde nostro sagaci discretione discutere. Malignus enim nocet, cum se miscuerit iustis Abbas Ioannes qui Lycij morabatur, nuper illusus fuit, nam cum exhau-

exhausto corpore perceptionem cibi biduano ieiunio distulisset, accedenti ei ad refectionem die postero veniens diabolus in forma Æthiopis ad eius genua prouolutus: Ignosce, inquit mihi: quia hunc laborem tibi indixi. I aque ille se calliditate diaboli circumuentum intellexit, sub colore continentiæ. *Cassianus Collatione prima, cap. 19. 20. & 21.*

D. Dixit Abbas Theonas ad Germanum & Cassianum, quærentes ab eo cur apud Ægyptios monachos à Pascha vsque ad Pentecostem non ieiunabant? nec in oratione genua curuabantur? Oportet quidem nos authoritati Patrum consuetudinique maiorum vsque ad nostrum tempus concedere, & diligenter custodire: verum quia huius rei causas vultis scire. Si velit quis in fratris aduentu, in qua Christum debet humanitate reficere, gratissime cõplecti, & austeritatem ieiunij custodire, nonne potius inhumanitatis crimen incurrit, quam laudem & meritum religionis conquirit? Vel si cum defectio vel deb.litas carnis reparationem viriũ, escæ perceptione deposcit, non acquiescat aliquis rigorem abstinentiæ non relaxare; nonne magis crudelis sui corporis homicida, quam suæ salutis prouisor æstimandus est? Ita cum tempus festiuitatis escarum cõgruum fotum, & refectionem necessariæ absolutionis indulget, si quis ieiuniorum obseruantiam rigidè voluerit retentare, necesse est, vt non tam Religiosus quam inconditus & irrationalis habeatur. *Et infra.* Istis diebus genua non curuantur, quia inflexio genuum velut pænitentiæ & luctus indicium est. *Cassianus Collatio. 21. capit. 12. 14. 16. 20 21.*

Item, vide Abstinentia. Ambrosius. a. Bened. a. Hospitalitas. k. l. m. p. q. Recreatio. a.

Ignis.

Chaldæi ignem adorabant, & per ignem traijciebãt paruulos suos, sed nos traijcimus per aquam baptismi. Tradunt Hebræi, quod quia Thare, & filij eius, cum essent in Chaldæa, noluerunt adorare ignem, proiecti sunt in ignem á Chaldæis, & combustus est Aram frater Abrahæ, Abraham vero á Domino liberatus est. Vnde sæpe ei dicitur à Domino. *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de Vr Chaldæorum. Historia scholastica parte S. cap. 33.* A. *Vide Tertullia. in ca. 12. Genes. Genes. cap. 12.*

Item, vide Mirabile. a t. b t. b s. Vesta. a.

Ignorantia.

Vide Academicus. a.

Ieremias Propheta.

A. Ægyptij honorauerunt Ieremiam sepelientes eum iuxta tumulum Regum memores beneficiorũ, quę præstiterat Ægypto. Oratione enim sua fugauerat bestias, & serpentes aquarum, quas Græci Crocodilos vocant. Credunt etiam quod adhuc de puluere eiusdem loci aspidum percussiura sanatur & fugãtur crocodili. *Historia scholastica parte tertia, cap. de descensu reliquiarum in Aegyptum & obitu Ieremiæ.*

B. Epiphanius. Audiuimus de eo á viris senioribus, quod Alexander Macedo veniens ad sepulchrum Prophetæ, & cognoscens loci mysteriũ, transtulit ipsum in Alexandriam, & sepeliuit gloriosè. Et ex tunc á terra illa prohibiti sunt Crocodili & aspides. *Ibidem.*

HIERONYMVS.

A. *Epist. 22.* QVodam tempore, sicut ipse Hieronymus in epistola ad Eustochium perhibet, dũ de die Tullium, & de nocte Platonẽ auidè legeret, eo quod sermo incultus in libris propheticis sibi non placeret, circa mediam quadragesimam, tam subita & ardẽti febre corripitur, vt toto frigenti iam corpore, vitalis habitus in solo pectore palpitaret. Dũ ergo exequiæ funeris pararentur, subito ad tribunal iudicis trahitur. Et interrogatus cuius cõditionis esset, Christianum se esse liberè profitetur. Ad quẽ iudex: Mentiris, inquit, Ciceronianus es non Christianus. At Hieronymus obmutuit, & cõtinuo iudex iubet eũ cædi durissimè. Tunc clamauit: Miserere mei, Domine, miserere. Tunc qui astabant precabantur, vt misereretur senis. Tunc iurare cœpit: Si vnquam habuero codices seculares, si legero, te negabo. Sic dimissus subito reuiuiscit. Tunc lachrymis totum se inuenit profusum, & ex verberibus quæ ante tribunal susceperat, scapulas reperit liuentes. *Eadem in aurea legenda.*

B. Quadam die aduesperascente, cum Hieronymus cum fratribus, quibus præerat, ad sacram lectionem audiẽdum sederet, subito quidã Leo claudicans monasterium ingressus est. Quo viso, cum cęteri Fratres fugerent, Hieronymus ei quasi hospiti obuiauit. Leo ergo dum pedem læsum sibi ostenderet, vocatis fratribus sibi pedem præcepit ablui, & diligenter eius plagam inquiri, inuenerunt ergo eius plantam à sentibus vulneratam. Adhibita ergo diligenti cura Leo conualuit: & omni feritate deposita, inter eos quasi domesticum animal habitauit. Tum Hieronymus de fratrum cõsilio hoc ei iniunxit officium, vt asinum quem habebant, qui ligna de nemore deferebat, ipse Leo ad pascua duceret, & ductum ibidem custodiret. Quod & fecit. *Ibidem.*

C. Multos detractores & persequutores passus est, nam ipse dicit in epistola ad Asellam. Gratias ago Deo meo, quod dignus sum quem oderit mundus. *Vbi supra.*

Item, vide Caro.

HIERVSALEM.

A. BIennio à Tito Hierusalem obsessa tãta fames omnes detinuit, quod parentes filijs, & filij parentibus, viri vxoribus, vxores viris cibos ex ipsis dentibus eripiebant. Titus videns vallos à cadaueribus repletos, & patriam ex eorum fœtore corruptã, manus cum lachrymis ad cælum leuauit dicens: Deus, tu vides quod non facio. Tanta enim fames erat, vt calciamẽta sua & corrigias comederent. Matrona etiam diues & nobilis à prædonibus spoliata, filium lactantem iugulauit, & mediam partẽ capiens comedit, ad cuius odorem prædones carnes coctas petunt. At illa residuam partem eis ostendens, filium suum esse dixit. Illi autem horrore perculsi discesserunt. Tandem secundo anno capta est Hierusalem, venditi sunt triginta Iudæi pro vno denario, sicut vendiderunt Christum pro 30. denarijs &c. *In aurea legenda de S. Iacobo Alphæo, vide Iosephum de bello Iudaico, & Aegesippum lib. 7. c. 8.*

Idem à feminis Mediolanensibus factitatũ scribit Paulus Diacon. hist. Misc. lib. 16.

B. Post longa tempora, scil. à destructione Hierusalem, facta per Romanos, quidam Iudæi eã reædificare volentes, primo mane plurimas cruces de rore inuenerunt, quas territi fugientes, & secundo mane redeuntes,

exhausto corpore perceptionem cibi biduano ieiunio distulisset, accedenti ei ad refectionem die postero veniens diabolus in forma Æthiopis ad eius genua prouolutus: Ignosce, inquit mihi: quia hunc laborem tibi indixi. I aque ille se calliditate diaboli circumuentum intellexit, sub colore continentiæ. *Cassianus Collatione prima, cap.* 19. 20. *&* 21.

D. Dixit Abbas Theonas ad Germanum & Cassianum, quærentes ab eo cur apud Ægyptios monachos à Pascha vsque ad Pentecostem non ieiunabant? nec in oratione genua curuabantur? Oportet quidem nos authoritati Patrum consuetudinique maiorum vsque ad nostrum tempus concedere, & diligenter custodire: verum quia huius rei causas vultis scire. Si velit quis in fratris aduentu, in quo Christum debet humanitate reficere, gratissime cõplecti, & austeritatem ieiunij custodire, nonne potius inhumanitatis crimen incurrit, quam laudem & meritum religionis conquirit? Vel si cum defectio vel debilitas carnis reparationem viriũ, escæ perceptione deposcit, non acquiescat aliquis rigorem abstinentiæ non relaxare; nonne magis crudelis sui corporis homicida, quam suæ salutis prouisor æstimandus est? Ita cum tempus festiuitatis escarum cõgruum fotum, & refectionem necessariæ absolutionis indulget, si quis ieiuniorum obseruantiam rigidè voluerit retentare, necesse est, vt non tam Religiosus quam inconditus & irrationalis habeatur. *Et infra.* Istis diebus genua non curuantur, quia inflexio genuum velut pænitentiæ & luctus indicium est. *Cassianus Collatio.* 21. *capit.* 12. 14. 16. 20 21.

Item, vide Abstinentia. Ambrosius. a. Bened. a. Hospitalitas. k. l. m. p. q. Recreatio. a.

Ignis.

A. Chaldæi ignem adorabant, & per ignem traijciebãt paruulos suos, sed nos traijcimus per aquam baptismi. Tradunt Hebræi, quod quia Thare, & filij eius, cum essent in Chaldæa, noluerunt adorare ignem, proiecti sunt in ignem á Chaldæis, & combustus est Aram frater Abrahæ, Abraham vero á Domino liberatus est. Vnde sæpe ei dicitur à Domino. *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de Vr Chaldæorum. Historia scholastica parte* 8. *cap.* 33. *Vide Tertul. in ca.* 12. *Genes. Genes. cap.* 12.

Item, vide Mirabile. a t. b t. b s. Vesta. a.

Ignorantia.

Vide Academicus. a.

Ieremias Propheta.

A. Ægyptij honorauerunt Ieremiam sepelientes eum iuxta tumulum Regum memores beneficiorũ, quę præstiterat Ægypto. Oratione enim sua fugauerat bestias, & serpentes aquarum, quas Græci Crocodilos vocant. Credunt etiam quod adhuc de puluere eiusdem loci aspidum percussura sanatur & fugãtur crocodili. *Historia scholastica parte tertia, cap. de descensu reliquiarum in Aegyptum & obitu Ieremiæ.*

B. Epiphanius. Audiuimus de eo á viris senioribus, quod Alexander Macedo veniens ad sepulchrum Prophetæ, & cognoscens loci mysteriũ, transtulit ipsum in Alexandriam, & sepeliuit gloriosè. Et ex tunc á terra illa prohibiti sunt Crocodili & aspides. *Ibidem.*

HIERONYMVS.

A. Epist. 22. QVodam tempore, sicut ipse Hieronymus in epistola ad Eustochium perhibet, dũ de die Tullium, & de nocte Platonẽ auidè legeret, eo quod sermo incultus in libris propheticis sibi non placeret, circa mediam quadragesimam, tam subita & ardẽti febre corripitur, vt toto frigenti iam corpore, vitalis habitus in solo pectore palpitaret. Dũ ergo exequiæ funeris pararentur, subito ad tribunal iudicis trahitur. Et interrogatus cuius cõditionis esset, Christianum se esse liberè profitetur. Ad quẽ iudex: Mentiris, inquit, Ciceronianus es non Christianus. At Hieronymus obmutuit, & cõtinuo iudex iubet eũ cædi durissimè. Tunc clamauit: Miserere mei, Domine, miserere. Tunc qui astabant precabantur, vt misereretur senis. Tunc iurare cæpit: Si vnquam habuero codices seculares, si legero, te negabo. Sic dimissus subito reuiuiscit. Tunc lachrymis totum se inuenit profusum, & ex verberibus quæ ante tribunal susceperat, scapulas reperit liuentes. *Eadem in aurea legenda.*

B. Quadam die aduesperascente, cum Hieronymus cum fratribus, quibus præerat, ad sacram lectionem audiẽdum sederet, subito quidã Leo claudicans monasterium ingressus est. Quo viso, cum cęteri Fratres fugerent, Hieronymus ei quasi hospiti obuiauit. Leo ergo dum pedem læsum sibi ostenderet, vocatis fratribus sibi pedem præcepit ablui, & diligenter eius plagam inquiri, inuenerunt ergo eius plantam à sentibus vulneratam. Adhibita ergo diligenti cura Leo conualuit: & omni feritate deposita, inter eos quasi domesticum animal habitauit. Tum Hieronymus de fratrum cõsilio hoc ei iniunxit officium, vt asinum quem habebant, qui ligna de nemore deferebat, ipse Leo ad pascua duceret, & ductum ibidem custodiret. Quod & fecit. *Ibidem.*

C. Multos detractores & persequutores passus est, nam ipse dicit in epistola ad Asellam. Gratias ago Deo meo, quod dignus sum quem oderit mundus. *Vbi supra.*

Item, vide Caro.

HIERVSALEM.

A. BIennio à Tito Hierusalem obsessa tãta fames omnes detinuit, quod parentes filijs, & filij parentibus, viri vxoribus, vxores viris cibos ex ipsis dentibus eripiebant. Titus videns vallos à cadaueribus repletos, & patriam ex eorum fætore corruptã, manus cum lachrymis ad cælum leuauit dicens: Deus, tu vides quod non facio. Tanta enim fames erat, vt calciamẽta sua & corrigias comederent. Matrona etiam diues & nobilis à prædonibus spoliata, filium lactantem iugulauit, & mediam partẽ capiens comedit, ad cuius odorem prædones carnes coctas petunt. At illa residuam partem eis ostendens, filium suum esse dixit. Illi autem horrore perculsi discesserunt. Tandem secundo anno capta est Hierusalem, venditi sunt triginta Iudæi pro vno denario, sicut vendiderunt Christum pro 30. denarijs &c. *In aurea legenda de S. Iacobo Alphæo, vide Iosephum de bello Iudaico, & Aegesippum lib. 7. c. 8.* *Idem à feminis Mediolanensibus factitatũ scribit Paulus Diacon. hist. Misc. lib. 16.*

B. Post longa tempora, scil. à destructione Hierusalem, facta per Romanos, quidam Iudæi eã reædificare volentes, primo mane plurimas cruces de rore inuenerunt, quas territi fugientes, & secundo mane redeuntes,

vnusquisque (vt ait Miletus in chronicis suis) cruces sanguineas in vestibus suis insutas inuenit. Qui territi in fugam iterum versi sunt. Sed tertio reuersi vapore ignis de terra prodeuntis penitus sunt exusti. *Ibidem Chrisost. aduersus Iudæos orat. 2. Ammianus Marcellinus lib.* 28.

Vide Car. Baro. ad annum 362.

C. Antiochus cum percussisset Ægyptum, in dolo ascendit Hierusalem, & pro diuisione Ciuium ad libitum fecit in ea & percussit multos in ea. Cumque redisset in Ægyptum, & esset repulsus per nūtios Romanorum, post biennium visi sunt contra Hierusalem in aere conflictus equitum quatuor diebus. *In historia scholastica parte quinta, cap. de Antiocho Epiphane.*

1. Mach. cap. 1.

IESVS.

A. LEgitur quod S. Ignatius, inter diuersa tormentorum genera nunquam ab inuocatione nominis *Iesu* cessabat. Cum autem tortores requirerent, cur hoc nomen toties replicaret, ait: Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, & ideo cessare non valeo. Post mortem ergo eius illi, qui hæc audierant, volentes hoc curiosius experiri, cor eius ab eius corpore euellunt, & totum cor inscriptum hoc nomine *Iesus Christus* literis aureis inuenerunt. Vnde ex hoc plurimi crediderunt. *In aurea legenda de S. Ignatio. Vincent. in spec. hist. libro decimo, cap.* 57.

B. Dæmoni vexanti filiam Regis Persarum, dixit sanctus Cyriacus: Imperat tibi Dominus *Iesus Christus*, vt exeas. Et statim exiens dæmon dixit: O nomen terribile quod me coarctat exire. *In aurea legenda de S. Cyriaco.*

ILLVSIO.

A. APud Cæsarem Philippi, aiunt sub radice montis qui dicitur Paneus, morem fuisse gentilis erroris certa die victimam immolari, quæ arte dæmonis subito nusquam cōparebat. Et erat hoc magni miraculi genus, quo persuaderi astantibus videretur in cælum inuisibiliter hostiā esse sublatam. Quod cum videret Asthorius, Christi martyr futurus, humanos miseratus errores, Christum inuocat, vt præstigias dæmonis arguat. Quo supplicante, victima superferri aquis videtur, scilicet ibi propinquis, & conspectibus omnium redditur, nec vltra in illis locis error huiusmodi potuit reperiri. *In ecclesiastica historia lib. 7. cap.* 14.

Item, vide Elatio. b. Fantasma. a. Magia. e. f. Mirabile. a n. a o.

IMAGO.

A. LEgitur in Ecclesiastica historia lib. 9. cap. 14. quod in loco, in quo Dominus sanauit Hœmorroissam, facta est statua ænea, habens fimbrias inferius sculptas, sicut legitur Dominus habuisse ad similitudinem Iudæorum, & herbam quandam crescentem sub imagine, & quæ sui summitate attingit fimbrias statuæ, omnes curat languores, & manet vsque in hodiernum diem. *Euseb. lib. 7. cap. 14. Nicephorus lib. 6. capite 15. Ecclesiast. hist.*

Item, vide Filius. f. Papa. d.

IMPERATOR.

A. IOuiniano Imperatore mortuo cū exercitus Romanus rediens de Perside venisset in Niceam Bithyniæ,

niæ, Valentinianum ordinauit Imperatorem; qui sic fuit regalis pariter & vrbanus, vt dum exercitus tentasset ei alium sociare consortem, ille respondit: Vestrum fuit, ô milites, Imperatore non existente, mihi dare regimen imperij: verum vbi ego hoc suscepi, meum est de rebus cogitare communibus. Cuius verba mirati milites eius sequuti sunt voluntatẽ. *In Tripartita historia libro septimo, capite septimo.*

B. Theodosius Anastasium Imperatorem apud vrbem Nicæam graui prælio superauit. Ergo Theodosius eum de imperio deponens, eumque presbyterũ ordinans imperauit vno anno. *Sigebertus in Chronicis.*

C. Christianos quosdam Imperatores non ideo fælices dicimus, quia vel diutiùs imperarunt, vel imperantes filios placita morte reliquerunt, & hostes Reipublicæ domuerunt, sed fælices eos dicimus, si iustè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerint, si potestatem suam ad Dei dilatandum cultum famulam faciunt &c. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorẽ inanis gloriæ, sed propter charitatem fælicitatis æternæ, si pro suis peccatis, humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo immolare non negligunt. *Augustinus de ciuitate Dei lib. 5. cap. 24.*

Item, vide Ecclesia. g. Humilitas. f. Papa. d.e. Theodosius. a.

Imperium Romanum.

A. IN orientalibus partibus Adriani voluntate, qui Traiano successit, mutati sunt termini Romani imperij. Ille namque tres prouincias nobiles, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam Persarum concessit imperio. *Et infra*: Receptis & recuperatis quoque alio tempore prouincijs memoratis nostra pæne memoria, Iulianus Apostata, Deorum falsorum oraculis deditus, immoderato ausu naues iussit incendi, quibus alimonia portabatur. Qua exercitus destitutus mox etiam Iuliano extincto in tantam est redactus inopiam, vt inde nullus euaderet, hostibus vndique incursantibus: milite Imperatoris morte turbato, nisi placito pacis illic Imperij fines vbi hodieque persistunt scil. à Iouiniano (qui Iuliano mortuo Imperator creatus est *vt dicit Orosius lib. 7.*) non quidem tanto detrimento quantum concesserat Adrianus, sed media tamen compositione defixi. Hoc dicit, quia Adrianus cõcesserat tres prouincias, iste vero solum quoddam oppidum & partem superioris Mesopotamiæ. *August. de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 24. De hoc Socrates in Trip. hist. lib. 6. cap. 46. & August. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 21.*

Incestus.

Vide Episcopus. h. Semiramis. a.

Incubus.

A. BEato Bernardo adueniente in Aquitaniam, quædam mulier veniens ad eum, exposuit ei, quod sex annis incredibili libidine fuerat vexata à dæmone incubo, qui etiam inhibuerat ei ne Bernardo loqueretur. Cui Bernardus: Tolle hunc baculum meum, & in lectulo tuo pone. Quod cum fecisset, adest ille continuo, sed ad locum non præsumit accedere, sed comminatur ei quod per discessum Bernardi vindicabit se de ea. Quod cum illa ei retulisset, ille populum conuocauit, & omnes can-

candelas in manibus accensas habere præcepit, dæmonemque cum illis omnibus excommunicauit, & ne ad illam amplius accessum haberet, interdixit. Sicque est illa à tali illusione penitus liberata. *In aurea legenda de S. Bernardo.*

B. Incubos dæmones oppressisse fœminas, alias venereis confabulationibus ad concubitum allexisse pluries audiuimus: quarum vnam virginem in religioso habitu vidi, quæ cum primo diceret nunquam se in concubitum cōsensisse, valde miratus sum, quo iudicio hoc potuisset in anima non consentiente omnipotēs permisisse. Illi ergo non credens horrificis iuramentis virginem contestatus sum, & extorsi, vt tandem cū lachrymis vt confiteretur, se primo mente quam carne corruptam. Illa postea cum quasi doleret ad mortem & confiteretur cum lachrymis omni die, nulla tamen arte vel studio ab incubo dæmone potuit liberari: ita vt nec vlla ei valeret crucis signatio, non aqua benedicta, non ipsa sacri Christi corporis ipsis angelis terrifica sacramenta, donec post annos multos oratione & ieiunio piæ Lutgardis dæmon incubus fugaretur. Et nos credimus, saluo tamen iudicio sententiæ melioris, quod postquam de peccato suo amare fleuit & doluit, potius ei concubitus dæmonis, pæna culpæ, quam culpa fuit. *Et infra.* Incubos generare Beda in historijs Britonum, & multæ aliæ scripturæ testātur. Qua autem ratione fieri possit non video, nisi quod virile semen effusum mox incubi in vas muliebre cum debita temperantiæ qualitate transfundant. Sed sic propriè generare incubum non dicemus. Infinitas tamen rationes latere humana ingenia in secreto naturæ plenissime confitemur, & paucissimas rationes apparere in sensibus hominum respectu earū, quæ latent eos. *Thomas Cantipratanus in libro 2. de apibus cap. 57.* *Item, vide Angelus. a. Aristoteles. a. Dæmon. g. Dij gentium. f. Diabolus. a. Maria. h. Martinus. a. Tentatio. c. Consule P. Delrium lib. 2. disq. mag. q. 15. accurate hac de re disserentem.*

Id verum etiamsi nullo modo cōsensit, sicut & in alijs violētis oppressionibus.

D. Thom. quodlib. 6. art. 8. ad 6.

INDVLGENTIA.

A. CVm quidam sedis Apostolicæ legatus quendam strenuum militem rogaret, vt in terra Albigēsi in seruitium Ecclesiæ militaret, facta indulgētia patri suo defuncto per vnā hebdomadam quadragenā ibi moratus est. Qua completa pater luce clarior apparuit, & de sua liberatione gratias egit. *In aurea legenda de commemoratione fidelium.*

INFAMIA.

A. DVodecim tabulæ cum per paucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerūt, si quis cantauisset siue carmen condidisset quod infamiam faceret flagitiumue alteri. Præclarè scil. sanxerūt. Iudicijs enim Magistratuum disceptationibus legitimis propositā vitam non Poetarum ingenijs habere debemus, nec probrum audire, nisi ea lege vt respondere liceat & iudicio defendere. *Augustinus de ciuitate Dei lib. 2. capite nono, ex lib. 4. Tullij de rep.* *Item, vbi Detractio.*

INFANS.

A. COnstantinus Imperator ob persecutionem Christianam in incurabilem incidit plagam lepræ. Tandem de consilio Pontificum idolorū adducta sunt tria milia puerorū, vt se

vt se in eorum sanguine recenti & calido balnearet. Matres autem puerorum occurrerunt egredienti ad locum miserabiliter vlulantes. Et ait Constantinus: Audite omnes. Omnis dignitas Romani imperij de fonte nascitur pietatis, qui hanc legem dedit, vt capitali sententiæ subderetur quicunque in bello aliquem occidisset infantem. Quanta ergo erit crudelitas vt hoc nostris faciamus filijs quod prohibuimus alienis. Melius est mori salua vita Innocentum, quā per eorum interitum vitam recuperare crudelē. Iussit vt matribus pueri restituerentur. Sequenti autem nocte Petrus & Paulus apparuerunt ei dicentes. Quoniam exhorruisti effusionem sanguinis innocentis, misit nos Dominus Iesus Christus dare tibi recuperandæ consilium sanitatis. Siluestrum ergo Episcopum qui latitat, accersi, hic tibi piscinam ostendet in qua immersus tertio, ab omni curaberis lepræ morbo. *Consule Baroniū tomo tertio, & acta* S. *Siluestri Papæ.*

INFERNVS.

A*. QVidam multum secularis & delicatus cum quodam die intra se cogitaret si post mille annos animæ damnatorum á pœnis liberarentur, respōdebat ei cogitatio quod non: si post centum milia, non, si post tot milia annorum quot sunt guttæ in mari; non, & ideo talia cogitando perterritus cœpit attēdere quam miseri sunt huius mundi amatores. *Iacobus de Vitriaco.*

B. Petrus quidam monachus priusquam eremum peteret, molestia carnis interueniēte defūctus est, sed protinus corpori restitutus Inferni se supplicia vidisse testatus est, qui etiā quosdam huius seculi potentes in flammis suspensos se vidisse narrauit, qui cum iam deductus esset vt & ipse mergeretur, subito Angelum adfuisse testabatur qui eum in ignem mergi prohibuit dicens: Egredere, & qualiter tibi sit viuendum cautissimè attende. Tunc paulatim recalescentibus membris cuncta quæ gesta erant narrauit, tantisque postmodū vigilijs & ieiunijs constrinxit vt Inferni eum vidisse & timuisse tormenta, etiam si lingua taceret, conuersatio loqueretur. *Gregorius in dialogo libro quarto, capite* 36.

INFIRMITAS.

ÆGrotauit quidam senum, ita vt de visceribus multum sanguinis egereret, & attulit quidam frater nixas siccas & fecit pultes & attulit seni. Comede. Senex dixit: Verè dico quia volo vt me esse dimittat in hac infirmitate Deus, per alios triginta annos, & non voluit sumere, ita vt tolleret frater quod parauerat. *In vitis Patrum libro quarto, parte sexta.* A.

Senex quidam frequenter ægrotabat. Contigit autem eum vno anno non ęgrotare. Qui affligebatur grauiter & plorabat dicens: Dereliquit me Deus, & non visitauit me. *In vitis Patrum libro septimo, parte quinta.* B*.

Frater interrogauit senem dicens. Duo sunt fratres ex quibus vnus est quiescens in cella protrahens ieiunium sex dierum; alter ægrotantibus seruit. Cuius opus est magis acceptum Deo? Respondit: Si frater ille qui sex diebus ieiunium leuat appendit se per nares, non esse ei potest æqualis qui infirmis deseruit. *In vitis Patrum libro decimo-septimo, parte secunda.* C*.

D. Quidam grauiter tertiano typo vexatus rogabat S. Ioannem eremitam vt ab eo curaretur. Qui ait: Rem tibi necessariam cupis abijcere. Vt enim corpora nitro abluuntur à sordibus, ita animæ à languoribus, atque huiusmodi castigationibus purificantur. *In vitis Patrum in vita Sancti Ioannis Eremitæ.*

E. In monte Nitrio S. Beniamin vidimus tanto corporis tumore distentum, vt minorem digitum manus eius vtrarumque manuum nostrarũ digiti coniuncti non valerent complecti. Orate inquit, pro nobis filij, vt homo meus interior isto languore fit liber. Itaque per octo menses facta est ei cella latissima in qua incessabiliter sedebat non valẽs in loco quiescere. Tamen alios ægros sanabat. *Heraclides Hist. Trip. lib. 8. cap. 1. Simile habes cap. 8. Prati spiritualis.*

F. Sanauit Dominus paralyticum, prius remittens peccata eius, quæ fuerant causa morbi. Medicus ergo visitans ægrum primo debet monere ad pænitentiam & confessionem ne peccato manente tanquam ferro in vulnere frustra fit malagma imponere. *In historia scholastica parte 7. cap. 58.*

Cum Petronilla S. Petri filia minus speciosa esset, & ex voluntate Patris febribus laboraret, discumbentibus apud eum discipulis dixit ad eum Titus. Cum omnes à te sanentur infirmi, cur Petronillam iacere permittis? Cui Petrus. Quia sic ei expedit. Veruntamen ne putetur impossibilitas sanitatis eius meis sermonibus excusari, ad illam ait: Surge Petronilla velociùs & ministra

G. nobis. Quæ statim sanata surrexit & ministrauit. Completo autem ministerio dixit ei: Petronilla redi ad lectum tuum; quæ statim redijt & vt prius, febribus laborare cæpit. Vbi in Dei timore cæpit esse perfecta, eam perfectè sanauit. *In aurea legenda de S. Petronilla.*

Augustin. contra Adimantum capite 17. Historiam de Petri filia paralytica, precibus Petri sanata cum apocryphis recenset. An vero S. Petri filia fuerit, vide Card. Baron. tom. 1. Anno Christi 69. qui spiritualem, non vero, carnalem, filiam fuisse probat. Sed accuratiùs Antonius Gallonius in opere de SS. Virginibus Romanis hanc difficultatem excussit.

In episcopatu Parisiensi Clericus ferens per parochiam aquam benedictã, in domo cuiusdam militis nil poterat habere nisi conuitia. Contigit autem ipsum militem infirmari. Veniente ergo Clerico cum aqua benedicta rogauit eum humiliter vt pro eo oraret, & eleemosynam fecit ei dari. Cui Clericus dixit: Vnde hoc Domine quod conuersus estis sic? Cui miles. Nonne videtis quod ego infirmor in vno pede? Tunc Clericus dixit: Oro Deum vt etiam sit sic in alio. Cui miles: Quid dicis Clerice? Respondit. Tu eras leo quando fuisti sanus, nunc autem factus es agnus, propter bonum tuum ego hanc orationem facio. *Iacobus de Vitriaco.* H.

S. Fulgentius antequam moreretur infirmatus est acerrimè septuaginta diebus. Et dicebat: Domine da mihi modo hic pænitentiam, postea indulgentiam. *In gestis eius apud Surium 1. Ianuarij in fine.* I.

Alfredus Rex Angliæ cum esset duodennis omnis literaturæ expers erat, sed post auidè addiscens vir literatissimus fuit. Octo horas impendebat in scribendo, orando, & legẽdo, octo in cura corporis, & octo in expediendis regni negotijs. Dimidiã partem bonorum suorum monasterijs relegauit. Semper in sinu gestabat libellum psalmorum, Comiti K.

Flan-

Flandriæ Balduino filiam Ethelsuidam vxorem dedit, ex qua habuit Arnulphum Comitem Flandriæ, & Adulphum qui suscepit à Patre Boloniæ comitatum. *Et infra.* Hic fuit valetudinis aduersæ, & semper à fico, aut aliquo intercutaneorum morbo agitatus, quod tamen à Domino precibus exegisse aiunt, vt minus illecebras amplecteretur, Romam & ad S. Thomam in India multa munera misit. *In speculo historiali lib. 25. cap. 46. & 52. Gulielmus Malnesb. de gestis regũ Angl. lib. 2. cap. 4. Lege Asserum de rebus gestis Alfredi.*

L. Stephanus qui circa sexaginta annos monachus probatissimus fuit, dum infirmitatem incurabilem incurrisset, & medici putrida membra eius incidissent, ille tamen manibus operabatur palmarum plectens folia & præsentibus persuadens vt de rebus huiusmodi non dolerent, nec aliud cogitarent nisi de bono fine. Melius est hic pœnas soluere, quàm post mortem perpetua supplicia sustinere. *In Tripartita historia libro octauo, capite primo.*

M. Ego noui hominem ægrotatiuum morborum incursu assiduo, dum tamen non excrescant, quod super id, quod ferre possit gaudentem. Vt carnis lasciuia conteratur, & spiritus erigatur & roboretur in agnitionem Dei, contemptum mundi, & exercitium virtutis: Et id solum desiderãtem, dum sensus animæ & corporis seruentur incolumes. Et ipse violentia ægritudinis à gerendis non reuocetur, aliquod flagellum leue tamen & infirmo tolerabile de manu Domini expectantem & amplectentem. *In Polycratico libro octauo, capite quarto. Ioannis Sareb.*

N. In vitis Patrum quidam senex infirmanti discipulo dixit: Ne contristeris ex infirmitate, vel plaga corporis. Si enim ferrum es, æruginem per ignem amittis, si verum aurum es, per ignem probatus à magnis ad maiora proueheris. *Guilielmus Lugdunensis in summa virtutum, parte quinta, rubrica 32.*

Item, vide Blasius. a. b. Dæmoniacus. c. Aegidius. c. Futurum. g. Medicus. a.

INFORTVNIVM.

A. NOnne adolescentulus duo dolia vnum malum & aliud bonum in Iouis limine iacere didicisti? Loquitur Philosophia Boetio vt cõmentator. Athenis erat templum Iouis in cuius introitu erant duo dolia, vnum plenum dulcedinis, alterũ amaritudinis, de quibus biberent introeuntes. Templum hoc significat istum mundum in quo sunt fortuna & infortunium, de quibus hanc vitam ingredientes potant, alij plus, alij minus. *Libro 2. Boetij de consolatione philosophica prosa 2. in textu & commento.*

INGENIVM.

A. CArneades Academicus scripturus aduersus Zenonis stoici libros, superiora corporis helleboro candido purgauit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia vsque animi redundaret, & instantiam vigoremque mentis labefaceret. *Agellius libro decimo-octauo, cap. decimo-quinto.*

INGRATITVDO.

A. OSsa dum lupus deuoraret, vnum ex illis transuersum in faucibus hæsit. Lupus magno pretio qui os extraheret, inuitauit. Rogabatur grus

grus vt caput insereret, & os de faucibus extraheret. Quod & sanato lupo. Grus sibi præmium promissum petijt. At lupus ait: O iniuria meis virtutibus ingrata! grus illa quæ caput incolumis extulit, non vexatum dente meo, & mercedem sibi postular. *Aesopus in fabula*.

B. Veteranus cum sibi die dicto periclitaretur, Cæsarem rogauit in publico vt adesset. Ille præstantissimum Aduocatum quem elegerat, dedit, cõmendauitque ei litigatorem. Veteranus autem exclamauit voce magna dicens: At non ego, Cæsar, periclitante te bello Actiaco vicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui, detexitque cicatrices. Erubuit Cæsar, venitque in aduocationem vt qui vereretur, non superbus tantum, sed etiam ingratus videri. *Ioannes Saresb. in Polycratico lib. 3. cap. 14.*

C. Age, quid illud institutum Athenarum, quam memorabile, quod cõuictus à patrono libertus ingratus iure libertatis exuitur. Supersedeo te, inquit iudex exequens institutũ, vel Dominus seruo, habere ciuem tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum, vt credam vrbi vtilem, quem domui scelestũ cerno. Abi igitur, & esto seruus, quoniã liber esse nescisti. *Valerius Maxi. libro secundo, capite primo. Plut. in Solone.*

D. Africanus superior non solum cõtusam & confractam, belli Punici armis Rempublicam, sed pæne iam exanguem & morientem, Carthaginis Dominam reddidit, cuius clarissima opera iniurijs pensando ciues vici eum ignobilis, & desertæ paludis accolã fecerunt: eiusque volũtarij exilij acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulchro suo inscribi iubendo. Ingrata patria ne quidem ossa mea habes. Cineres ei suos negauit, quam in cinerem collabi passus non fuerat. *Valerius libro quinto, capite tertio. Liuius lib. 28.*

Neminem Lycurgo aut maiorem aut vtiliorem Lacedæmonia genuit, vtpote cui Apollo Pythius respondisse fertur. Nescire se vtrum illum hominum, an Deorum numero aggregaret. Sæpe lapidibus petitus, etiam furore eiectus publico, & priuatus oculo: ad vltimum patria pulsus tamen est. *Ibidem Valer. Plut. in vita Herodot. lib. 1. Stobæus ser. 17.* E.

Solon qui tam vtiles Atheniensibus leges dedit, vt si his perpetuo vti vellent, æternum haberent imperiũ, qui Salaminam veluti propinquam vrbem saluti eorum imminentem recuperauit, qui Pisistrati tyrannidem primus vidit orientem, & opprimi debere palam dictitare ausus est: Senectutem Cypri profugus exegit, nec ei in patria inhumari contigit. *Ibidem Valer. Plutarch. in Solone. Iustinus 2.* F.

Milchtiaden post trecenta millia Persarum Marathone deuicta, Athenienses in carcere & vinculis mori coegerunt, nec corpus eius sic expirare coacti prius sepulturæ mandari passi sunt, quam Cimon eius filius eisdem vinculis se constringendum traderet. *Et infra.* Nec te quidem Cimon silebo, qui patri sepulturam voluntarijs vinculis emere non dubitasti. Cæteræ virtutes admirationis tantummodo multum, pietas etiam amoris plurimum meretur. *Valerius libro quinto, capite secundo & quarto. Probus in vita Herod. 6. Iustinus 2.* G.

Phocion clementia & liberalitate instructissimus, non tantum in eculeo ab Atheniensibus impositus est, sed & post obitum foris sepultus est extra fines, intra quos bonus ciuis vixerat. Quantum ergo reprehensio- H.

nis

nis merentur, qui cum æquissima iura, sed iniquissima ingenia haberent, moribus suis quam legibus vti maluerunt. *Valerius libro quinto, capite tertio. Plut. & Probus in vita.*

I. Philippus Macedonum Rex habebat militem manufortem, in multis expeditionibus vtilem. Hic naufragus in possessionem cuiusdam Macedonis est expulsus: quod vt nunciatum est illi Macedoni accurrit, spiritũ eius recollegit, lectulo suo cessit, diebus triginta suis impẽsis curauit subinde dicentem, gratiam tibi referam videre tantum Imperatorem mihi contingat. Narrauit Philippo postea naufragium suum, auxilium tacuit, & protinus petijt, vt sibi cuiusdam prædia donaret, ille quidem erat hospes eius. *Et infra.* Philippus eum induci in bona quæ petebat, iussit. Expulsus bonis suis ille, non vt rusticus iniuriam suam tacitus tulit, contentus quod & ipse donatus nõ esset: sed Philippo epistolam pulchre scripsit. Qua accepta ita exarsit, vt statim Pausaniæ mandaret, bona priori Domino restitueret, cæterum militi impio, auidissimo naufrago, stigmata inscriberet, ingratum hominem testantia. *Seneca libro de beneficijs 4. capite trigesimo-septimo.*

Item, vide Cicero. a.

Inimicitia.

A. Marcus Æmilius Lepidus bis Consul & Pontifex Maximus diutinas ac vehementes cum Fuluio Flacco inimicitias gessit, quas vt simul Censores creati sunt, in campo deposuit, existimans non oportere eos priuatis inimicitijs dissidere, qui publicè iuncti summa essent potestate. *Valerius libro quarto, capite secundo. Liuius libro 40. Agellius 12. capite 8.*

B. Cum presbyter Florentius beatum Benedictum persequens stans in solario, Benedictum cedentem eius inuidiæ discessisse, cognosceret, & exultaret, solarium in quo stabat, cecidit, & extinxit. Quod viri Dei discipulus Maurus nomine venerabili Benedicto statuit intimandum, dicens: Reuertere quia presbyter ille extinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiens sese in grauibus lamentationibus dedit, vel quod inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultaret. Qua re factum est vt eidem pænitentiam indiceret, quod mandans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset. *Gregorius in dialogo libro secundo, capite octauo.*

Item, vide Host. s. Latro. a.

Iniuria.

A. Thrasybulus qui populum Atheniensem triginta Tyrannorum sæuitia suas sedes relinquere coactũ, dispersamque & vagam vitã miserè exigentem, animis pariter & armis confirmatum in patriam reduxit insignem, deinde restitutione libertatis victoriam clariorem aliquanto moderationis laude fecit plebis enim scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret: hæc obliuio quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant, concussum & labentem statum ciuitatis in pristinum habitum reuocauit. *Valerius libro quarto, capite primo. Probus in vita. Iustin. lib. 5.*

Item, vide Claudius. a. Patientia. a. c. u. x. a q. Reconciliatio. a.

Insania.

Vide Mors. ah.

INSOLVBILE.

A. IN quæstionibus quæ habent positiones implicitas, & quæ latenter inuoluunt contraria, laboriosa est solutio. Laborantes vidi quam plurimos dum quæritur, an qui dicit, ego mentior, verum dicat, sed neminem vidi qui Scyllam vitaret & Charybdim, nisi debilem aut propitium sustinuerit hostem. *Ioannes Saresb. in Polycratico, libro quinto, capite duodecimo.*

Item, vide Aduocatus. e.

INTELLECTVS.

Vide Cæcitas. b. c. Ingenium.

INTENTIO.

A. QVodam tempore Fortunatus vir Dei, Tudertinus Præsul, ex obsesso dæmonem expulit, qui dæmon cum vespere secretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum se esse simulans, circuire cæpit ciuitatis plateas, & clamare. O virũ sanctum Fortunatum, quid fecit? peregrinum hominem de hospitio suo expulit, quæro vbi requiescere debeam, & non inuenio. Tunc quidam, quid Episcopus ei fecerit, requirens, hunc inuitauit hospitio. Cumque confabularentur, filium eius inuasit atque in eisdem prunis proiecit, ibique mox animam eius excussit. *Et infra.* Multa, Petre, videntur bona, sed non sunt, quæ bono animo non fiunt. Ego namque hunc virum, qui dum quasi hospitalitatem exhiberet, orbatus est, non pietatis opere delectatum æstimo, sed Episcopi derogatione. Nam pœna subsequens innotuit, quia præcedens illa susceptio sine culpa non fuerit. Nam sunt nõnulli qui idcirco bene facere studẽt; vt gratiam alienæ operationis obnubilent &c. *Gregorius in dialogis libro primo, capite nono.*

Item, vide Detractio. d.

INVENTIO.

A. ERat S. Filagrius nomine habitans Ierosolymis laborans operãdo vt posset sibi ad panem sufficere. Et dum staret in platea volens vendere quæ operatus fuerat, contigit vt caderet cuidam saccellus cum solidis mille, & inueniens eum senex, stetit in eodem loco dicens: Necesse est modo eum qui perdidit huc venire. Et ecce venit qui perdiderat plorans, quem tulit seorsum & dedit ei saccellum suum. Tunc ille rogabat vt acciperet aliquam partem ex eo, sed non acquieuit. Tunc ille clamauit: Venite & videte hominem Dei & quid fecit. Senex autem occultè fugiens exijt de ciuitate, ne agnosceretur de eo quod fecerat & honorarent eum. *In vitis Patrum libro sexto, parte secunda.*

Item, vide Furtum. r.

INVIDIA.

A. LEgitur quod cum Platoni eius socij inuiderent, quæsiuit à Socrate magistro suo, qualiter eorum inuidiam declinaret. Cui Socrates: Esto, inquit, vt Thersites. In qua manifestè monstrauit ibi deesse inuidiam, vbi virtutum gratia non adesset. *Petrus Blesensis epistola* 80.

B. De inuido narratur, quod petijt sibi vnum oculum erui, vt proximo suo, cui inuidebat, duo oculi eruerentur. Erant enim in vna ciuitate duo homines, quorum vnus erat nimis notatus de cupiditate, alius de inuidia, propter quod dominus ciuitatis, ipsis vocatis dixit, quod peterent ab eo

ab eo quod vellent, adiungens quod ille qui primo peteret, suam petitionem haberet, alius vero duplũ. Tunc cupidus nolebat primo petere motus cupiditate duplicis boni habendi, nec inuidus, ne socius suis plus haberet quam ipse. Tandem eum Dominus vrgeret eos ad petendum, Inuidus petijt vt sibi oculus vnus erueretur, vt socius suus duos amitteret, quod & factum est, & punita sunt eorum vitia. *Nicolaus de Lyra in postilla super Genesim cap. 3. Ioannes Iunior in scala cæli, verbo inuidia, ex Vitriaco refert.*

Item, vide Alex. h. Cautela. k. Patientia. n.

S. Ioannes Baptista.

A. FVerunt duo Doctores Theologi, quorum vnus Baptistam, alius Ioannem Euangelistam diligebat specialiter. Tandem solemni disputatione super eorum gloria & excellentia indicta, quilibet sollicitus erat authoritates & rationes efficaces inuenire quibus suum Ioannem posset præferre. Adueniente disputationis die, quilibet Sanctorum æmulatori suo apparuit, dicens: Bene concordes sumus in cœlis, de nobis non disputetis in terris. Tunc illi sibi inuicem & omni populo visionem prædicauerunt, & Deum benedixerunt. *In aurea legenda de S. Baptista. Simile adfert Cæsarius libro octauo dialog. cap. 51. & Cantipratanus libro secundo, capite vigesimo-nono. Meritò redarguuntur qui carnali quadam deuotione, vnum sanctum præ alio extollunt: legendum caput 13. de Imitatione Christi, Thomæ à Kempis & Hesseli cap. 88. in decalogi explicatione.*

Item, vide Sepultura. d.

S. Ioannes Elemosynarius.

Vide Elemosyna. b. c.

S. Ioannes Euangelista.

FVerunt quidam qui dicerẽt Ioannem Euangelistam adhuc viuere, quia cum in tumulum descẽdisset, lux magna per aliquot horas in circumstantes fulsit, & qui aderant, ceciderunt. Cumque post lucem surgentes accessissent ad tumulum eius, inuenerunt vacuum, tantum terra leuis de fundo scaturiebat. Alij iam translatum ad cælos putant. De his melius est piè dubitare, quam temerè diffinire. *In historia scholastica parte 7. capite 104. Tenenda est eorum sententia qui dicunt Ioannem defunctum esse, Græci in menologio vid. Cal. Octo. & Martyr. Rõ. 27. Dec. tradit eum obijsse. Plura cognosces ex c. 72. Appar. Euang. P. Ioannis Seruij.* A.

Refert Helinandus quod cũ Ioannes Euangelista scriberet Euangeliũ, prius indixit ieiunium omnibus. Fertur autem illum pro illo loco secretissimo in quo diuina scripturus secesserat, orasse, vt nullas huic insistens operi, ventorum aut imbrium pateretur iniurias, hancque eidem loco vsque hodie reuerentiam elementa seruare. *In legenda eius. De indicto ieiunio à Ioanne tractant D. Hier. proemio in commentarios super Matthæũ. Rupertus in cap. 1. Apocal. Prochorus cap. 46. de Ioanne & Metaphrastes. De illa autem ventorum atque imbrium cessatione agunt. S. Greg. Turon. libro primo de gloria mart. cap. 30. Petrus de Natalibus lib. 4. catal. sanct. cap. 124.* B.

Cum Ioannes apud Ephesum balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cerinthum hæreticum, exilijt continuo non lotus dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cerinthus se lauat. *Eusebius in historia ecclesiastica libro 4. capite decimo-quarto.* C.

Idem memorat Theodoret. hæretic. fabular. lib. 2. Irenæ. lib. 3. aduersus hæreses c. 3. Sed quod hi Cerintho ascribunt, Ebioni tribuit Epiphan. hæresi 30. Ne porro arbitremur horum quempiam hallucinatum esse, nonnulli opinantur vtrumque in balneis deprehensum fuisse, magna sanè necessitudo ex impietatis similitudine comparata inter eos intercedebat.

D. Audi, inquit, Clemens Alexandrinus, fabulam & non fabulam, sed rē gestam de Ioanne Euangelista. Cum post Tyranni obitum de Pathmos, Ephesum rediret, rogabatur vicinas lustrare prouincias. Cum ergo venisset ad quandam vrbem, vidit iuuenem validum corpore, sed animo acrem nimis, respiciensque cōmendauit Episcopo dicens: hunc tibi summo studio commendo sub testimonio Christi & totius Ecclesiæ, & post hæc Ephesum rediit. Tum ille diligēter enutrit, amplectitur, fouet, ad vltimum etiam baptismi gratiam tradit. Paulo post indulgentius habere iuuenem cæpit, & ille matura libertate potitus est, primo quidem illecebris conuiuiorum, æquales sui, deinde nocturnis eum furtis socium sibique participem consciscunt. Tandem latronum Princeps factus est. Iterum ad illam vrbem inuitatur S. Ioannes, & cum cætera ordinasset. Age, inquit, Episcope, depositum repræsenta, quod tibi ego & Christus commendauimus. At ille obstupuit pecuniam putans á se reposci, quem ille hærentem videns. iuuenem, inquit, illum repeto á te & animā fratris. Tunc suspirans ait: Mortuus est ait. Quomodo, inquit Ioannes, Deo ait, mortuus est, quia pessimus & flagitiosissimus euasit. Quibus auditis, Apostolus continuo vestem scidit, & cum ingenti gemitu, bonum, inquit, te custodem animæ fratris dereliqui. Nunc mihi, inquit, equus paretur & dux itineris. Confestim ergo ad locum properans peruenit, quem cum iuuenis agnouisset, pudore tactus in fugam conuertitur. Ille equo post eum admisso confestim insequitur fugientem, etiam ætatis oblitus clamans. Quid fugis, fili, patrem tuum? quid fugis inermen senem? Noli timere, habes adhuc spem vitæ. Ego reddam Christo rationem pro te. Sta tantum, & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens restitit, ac vultum demisit in terram. Post hæc arma proiecit, & tremefactus prouoluitur, occultans solam dexteram suam. Apostolus autem se impetraturum à Saluatore veniam pollicens, atque ipsius dexteram iam per pœnitentiam purgatam deosculans, eum ad ecclesiam reuocat, & indesinenter pro eo orans, & cum eo ducens crebra ieiunia, indulgentiam á Deo expetebat, nec prius destitit, quam eum in omnibus emendatum etiam Ecclesiæ præficeret, per hæc magna veræ pœnitentiæ præbens exempla. *Eusebius Ecclesiastica historia libro tertio, capite vigesimo-septimo ex Clemente Alexandrino. Eandem attingit narrationem S. Chrysost. epistola quinta scribens ad Theodorum lapsum: & Cassianus collat. 24. capite 21. Nicephorus libro secundo, hist. cap. 42. Antiochus monachus sermone 122. eandem habet, & Irenæum auctorem suum allegat.*

IOANNES EREMITA.

A. IN tantum mentis sinceritate profecerat vt non solum eorum quæ erant scientiam consequeretur à Domino, verum etiam futurorum. Namque ei Dominus prophetiæ gratiā contulit, ita vt non tantū prouinciali-

cialibus suis futura prædiceret, sed & Imperatori Theodosio vel quos belli exitus habiturus esset, vel quibus modis victoriam caperet de Tyrannis. *In vitis Patrum de eodem.*

B. Tribunus quidam venit ad eum, & orauit vt permitteret etiam vxorem suam venire ad se. Cum ille neget sibi vnquam moris fuisse visendi mulieres. Tribunus affirmando nisi videret eum, esset sine dubio ex multa tristitia peritura, tam fidem quam importunitatẽ eius aspiciens. Vade inquit, videbit me coniunx tua hac nocte non tamen huc veniet. Posthæc abijt vir. At vbi somni tempus aduenit, Ioannes adest per visũ mulieri, & dicit: Fides tua magna est o mulier & ideo veni vt desiderio tuo satisfaciam. Te tamen moneo vt faciem corporalem seruorum Dei non desideres, sed vt gesta & actus per spiritum contempleris. Ego pro vobis oraui Deum, & concessit tibi omnium morborum quos pateris sanitatem. Eris enim ex hoc sana, & vir tuus, & benedicetur omnis domus vestra. Sufficiat ergo tibi quod me videas in somnis. Euigilans autem viro suo habitum eius & vultũ exposuit. *Ibidem.*

HYPOCRISIS.

A. IN monasterio quod Thongolaton dicitur, quidam monachus magnæ æstimationis habebatur, in bonis moribus, & in omni actione cõpositus, sed longè aliter quam apparebat, fuit. Nam se cum alijs ieiunare simulans, occultè manducabat; qui cum esset ad vitæ perductus extrema, fratres ad se congregari fecit. Qui afflictus & tremens cõpulsus est prodere, cui hosti traditus cogebatur exire: Ecce, inquiens, ad deuorandum Draconi sum traditus, qui cauda sua mea genua pedesque colligauit. Quibus dictis statim defunctus est. Atque vt pænitendo liberari potuisset à Dracone quem viderat, expectatus non est. *Gregorius in dialogo libro quarto, capite 38.*

Item, vide Bernardus. f. Cilicium. a. Ostentatio. a.

IRA.

A. DIxit Abbas Euagrius, quia dixerat senex, propterea à me delectationes abscindo carnales, vt etiam iracundię occasiones abscindã. Scio enim eam semper cõtra me pugnare pro delectationibus, & conturbare mentem meam. *In vitis Patrum libro quarto, parte secunda.*

B. Misit Epiphanius ad Abbatem Hilarionem dicens: Veni vt nos videamus antequam de corpore exeamus. Tunc allatum est de auibus quiddã, quod tenens Episcopus dedit Abbati, & ille dixit. Ignosce mihi Pater quia ex quo recepi habitum istum non manducaui quidquam occisum. Et dixit Epiphanius: Ego autem ex quo accepi habitũ istum nõ dimisi aliquẽ dormire qui haberet aliquid aduersũ me, nec dormiui ego habens quid aduersus aliquẽ. Et dixit ei senex: Ignosce mihi, quia tua conuersatio maior mea est. *In vitis Patrum lib. 4. parte. 2.*

C. Interrogauit quidam frater Isidorum seniorem dicens: Quare sic te fortiter dæmones timent? Dixit ei: Ex quo factus sum monachus, studeo ne permittam iracundiam vsque ad fauces meas ascendere. *Eodem libro, parte secunda.*

D. Dixit Abbas Ammonas quia quatuordecim annos fecit in Scythi orãs Deum nocte & die vt donaret ei virtutem superandi irã. *Ibidem libro septimo, parte prima.*

E*. Frater erat quidam in congregatione inquietus & sæpe mouebatur ad iram. Dicit ergo: Vado & solus alicubi habitabo & cum non habeo cum quo dicam vel audiā, ero quietus. Vna autem die implens sibi fusiculam aqua posuit illam in terram. Contigit autem vt subito versaretur. Ille vero impleuit secundo & tertio & versata est. Qui commotus furore fregit vasculum. In se autem reuersus cognouit, quia ab eodem dæmone iracundiæ sit illusus, & dixit: Ecce ego solus sum & vincit me. Reuertar ergo in congregationem quia vbique labor, & patientia opus est & maximè adiutorio Dei. *Eodem libro parte quarta.*

F**. Frater interrogauit Abbatem Pastorem dicens. Quid est hoc quod scriptum est qui irascitur fratri suo sine causa? Respondit: Ex omni re qua te grauare voluerit frater tuus si irasceris aduersus eum donec oculum tuum dextrum eijciat, & à te proijciat, sine causa irasceris ei. Si autem aliquis voluerit te separare à Deo, propter hoc irascere. *In vitis Patrum libro primo parte sexta.*

G. In monasterio quodam superioris Thebaidis duos senes vidi, qui iam per annos quadraginta ibi degere, ita vt nunquam inde discesserint. Ferebantur Abbatis quoque testimonio & omnium fratrum celebrari sermone, quod eorum vnum sol nunquam exulantem, alterum nunquam vidisset iratum. *Hæc Posthumianum narrasse scribit Seuerus in suo dialogo libro primo, capite 61.*

H. Plutarchus cum haberet seruum contumacem, contigit vt quadā die tunicam sibi detrahi faceret, cædique eum durissimè se præsente iuberet. Tunc ille inter verbera clamare cœpit. Plutarchum non se habere vt philosophum, qui librum scripserat de patientia, & tamen prolapsus in iram & furorem, doctrinam suam moribus impugnabat. Ad hæc ille cū grauitate ait. Nunquid quia vapulas, tibi irascor? est ne ira, si à me debitum recipis? mihi quidem nec oculi cruenti, nec os turbidum, nec immaniter clamo. Et conuersus ad eum qui cædebat. Interim, inquit, dum ego & iste disputamus, tu age quod cœpisti, & sine iracundia mea retunde seruilem contumaciam. *Helinandus in Chronicis.*

I. Tarētinus Architas dum se Pythagoræ præceptis Metaponti penitus immergit, magno labore longoque tempore solidum opus doctrinæ cōplexus, postquam in patriam reuertitur, ac rura sua reuisere cœpit, animaduertit negligentia villici corrupta & perdita. Intuensque malè meritum. Sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem. *Valerius Maxim. libro quarto, cap. primo. Tullius Tusc. 4.*

K. Plato cum aduersus delictum serui exarsisset, veritus ne ipse vindictæ modum despicere non posset, Peusippo amico castigationis arbitriū mandauit, deforme sibi futurum existimans, si commisisset, vt parem reprehensionem culpa serui, & animaduersio Platonis mereretur. Castiga tu hunc, inquit, nam ego irascor. *Ibidem.*

L. Caium Figulum mansuetissimum, pacato iuris ciuilis iudicio celeberrimum, prudentiæ moderationisque immemorem, iræ stimuli reddiderunt. Consulatus enim repulsæ dolore accensus, eo quidem magis quod illum bis Patri suo datum meminerat, cum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa venissent, omnes dimisit, præfatus: Omnes consu-

consulere scitis, sed Consules facere nescitis. Dictum grauiter & merito: sed tamen aliquanto melius non dictum. Nam quis populo Romano irasci sapienter potest? *Valerius libro nono, capite tertio.*

M. In societate signum iræ erat vocem submittere, loqui parcius. Tunc enim apparebat illum sibi obstare. *Seneca libro tertio, de ira.*

N. Pythagoras perturbationes animi lyra componebat. *Seneca libro primo, capite nono.*

Item, vide Aristot. b. Augustus Cæsar. i. Loqui. d.

IVDÆI.

A. Traiani tempore, incredibili motu sub vno tempore Iudæi quasi rabie efferati per diuersas terrarum partes exarserunt. Nam & per totam Lybiam aduersus incolas atrocissima bella gesserunt, quæ adeo interfectis cultoribus desolata est tunc, vt nisi postea Adrianus Imperator collectas illuc aliũdè colonias deduxisset, vacua penitus terra mansisset. *Orosius de Orchæstra mundi libro septimo, capite duodecimo.*

Item, vide Alexander. p. Iulianus Apostata. h.

IVDEX.

A. Iudicia festinata pœnitentiam pariunt. Vnde & Græci cum vrgerentur ad sententiam, antequam de causa liquescat, respondent patres suos solẽ apud Antipodes nõ vidisse, sed expectasse semper donec & eis oriretur. Dicunt præproperum viatorem, qui antequam Lucifer oriatur, crassis adhuc tenebris luceque remota iter aggreditur. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro quinto, capite 12.*

B. Iudicem non terreat litigatorum authoritas, cum Pythagoræ in longum tempus sit dilata petitio, & Alexandri Macedonis in castrensi iudicio sit causa damnata. *Vbi supra.*

C. Volebat Augustinus potius inter ignotos, quam inter amicos causas audire, dicens, quod inter illos poterat ipse iniquum cognoscere, & vnũ ex his amicum esset facturus, scil. pro quo iustitia mediante sententiam ferret, ex amicis vero esset vnum perditurus contra quem ferret sententiam. *In aurea legenda de eodem S.*

D. Dicebat Bias Prienæus, quod molestius est inter duos amicos, quam inter inimicos iudicare. *In speculo historiali libro quarto, capite 120.*

E. Secundum vetus Iudæorum statutum, si maior pars Iudicum in vno condemnet aliquem ad mortem, nõ propter hoc occidendus est, sed expectanda est maior deliberatio, si autem maior pars in vno liberet eum esse liberandum. *Rabby Salomon super Exodum.*

F. Episcopus quidam sanctus, quadã die in quadragesima legebat psalterium, & dum legeret, quis loquetur potentias Domini, ingressus est vnus de iustitiarijs quærens quid faceret de quodam reo? Episcopus motus misericordia respondit: propter sanctum tempus quadragesimæ parce ei. Redeunte Iudice vt reum dimitteret, Episcopus reflexis oculis ad psalterium dimissum vidit verbum; Beati qui custodiunt iudicium & iustitiam in omni tempore. Qua voce territus Iudicem reuocauit, & ait: Discute diligenter causam. Sicque ad vocem propheticam vita priuatus est. *Cæsarius in libris miraculorum.*

G. Quidam miles percussus ad extremum peruenit, qui eductus à corpore exanimis iacuit, sed citius rediit,

& quæ cum eo fuerant gesta narrauit. Aiebat enim, quia pons erat, sub quo niger fætoris intolerabilis nebulam exhalans fluuius decurrebat, vbi se etiam Petrum ecclesiasticæ familiæ maiorem qui ante quadrienniũ est defunctus, deorsum positũ in locis teterrimis magis ferri pondere religatũ ac depressum vidisse confessus est. Qui cùm requireret quid ita esset? dictum est. Hæc ideo patitur quia si quid ei pro facienda vltione iubebatur, ad inferendas plagas plus ex crudelitatis desiderio, quam ex obedientia seruiebat. *Gregorius in dialogo libro quarto, capite 36.*

I. Narrat Petrus Alphontius. Cum quidam diues locasset domum vicino pauperi, ille cogitans pauperem prædilio suo spoliare, posuit quædã dolia plena oleo in domo sua, & quædam semiplena. Tempore elapso venit videre illa, & circuiens & inueniens dolia semiplena, imposuit pauperi crimen furti. Cum ergo esset vocatus ad iudicium, & non restaret illi nisi damnatio, quidam philosophus vocauit eum seorsum, & inquisiuit si esset innocens. Quo iurante quod sic, rediijt cum eo ad iudicium, petijtque quod illa dolia mensurarẽtur, & si esset tantum de fæcibus in semiplenis, sicut in plenis depositarius esset condemnandus. Si vero nõ esset in semiplenis nisi medietas fæcis, liberandus esset, quia ex hoc planum esset quod nunquam fuerunt plena. Et sic factum est, & pauper liberatus est. *Ioannes Gallensis in communiloquio parte prima, dist. 4. cap. 3.*

Petrus Alphontius in suo tractatu, cuius nomen erat, Refugiũ pauperũ. Hotscalcus ser. 16 parte æst. litera H. hanc histor. depromit ex spec. hist. lib. 55.

K. F. Agellius cum grauissima crimina, de filio in nouercam commissum stuprum, & parricidium cogitatum, propemodum explorata haberet, non tamen ad vindictam continuo procurrit, sed penè vniuerso Senatu in consilium & expositis suspicionibus, defendendi se adolescenti potestatem fecit, inspectaque causa absoluit. *Val. Max. lib. quinto, cap. septimo.*

Mater-familias Smyrnea virum & filium interemit, cum ab his optimæ indolis filium, quem ex priore viro susceperat, occisum comperisset, quã rem Dolabella pro Consulari imperio Asiam obtinens, ad se delatam Athenas ad Areopagi cognitionem relegauit. Sed Areopagitæ non minus sapienter egerunt, qui inspecta causa, & accusatorem, & ream post centum annos ad se reuerti iusserunt, eodem affectu moti quo Dolabella, sed ille transferendo quæstionem, hi differendo, damnandi & absoluendi inexplicabilem cunctationem mutabant. *Valerius libro octauo, capite primo. Agellius lib. 7. cap. 12.* L.

Titinius Minturnensis Fanniam vxorem suam impudicam de industria duxerat, vt eo crimine repudiatam, dote spoliare conaretur. Marius inter eos Iudex seductum Titinium monuit, vt ab incæpto desisteret, & mulieri dotem redderet. Quod cum sæpius frustra fecisset, coactus ab eo sententiam dicere: mulierem impudicam sextertio nummo, Titinium summa totius dotis damnauit, præfatus se hunc iudicandi modum secutum, cum liqueret sibi. Titinium patrimonio Fanniæ insidias struentem impudicæ coniugium expetisse. *Valerius libro octauo, capite secundo. Plutarchus in vita.* M.

Monachus Vitalius ingrediens ciuitates publicas meretrices conscripsit. Intrauit ergo ad illas per ordinem cuilibet dicens: Da mihi noctem istã, & noli fornicari. Ipse autem domum eius intrans, & in angulo flexis genibus orabat pro illa. Mane autem exibat, & præcipiebat cuilibet, ne alicui N.

reue-

reuelaret. Vna autem vitam eius manifestauit, quæ statim orante Sene vexari cœpit á dæmone. Cui omnes dicebant: Reddidit Deus quod merebaris, quod mentita es, vt fornicetur enim ingressus est pessimus iste. Rogabat autem ille Deum, vt post mortem suam opus suum alicui reuelaret, vt non imputaretur peccatũ ijs qui in eum scandalizabãtur. Mane quodam dum ab vna illarum egrederetur, obuiauit illi quidam ingrediens ad fornicandum cum ea, dansque ei alapam dixit. Vsquequo pessime non emendas te ab immunditijs tuis. At ille. Crede mihi accipies á me alapam talem, vt tota Alexandria congregetur. Et ecce postmodũ diabolus in specie Mari dedit alapam ipsi dicens. Ecce alapa quam mittit tibi Abbas Vitalius, & statim à dæmone vexatur, ita quod ad vocem eius omnes currebant, sed tamen pænitens post eius orationem liberatus est. Vir autem Dei morti proximus hanc scripturam reliquit. Nolite ante tempus iudicare. Mulieribus autem confitẽtibus quę faciebat, omnes glorificauerunt Deũ, & præcipuè *Sanctus Ioannes Eleemosynarius. In legenda eiusdem Sancti Ioannis.*

O. Cum quidam iuuenis quandam sanctimonialem rapuisset, & cum Clerici coram S. Ioanne excommunicandum fore dicerent, vtpote qui duas animas perdiderat, compescuit eos dicens: Non sic fratres, non sic. Ostendo vobis quod & vos duo peccata committitis, primo contra præceptum Dei facitis, qui ait; Nolite iudicare, secundo quia nescitis pro certo, si vsque hodie peccet, aut pæniteat. *In vita Sancti Ioannis Eleemosynarij apud Surium vigesimo-tertio Ianuarij. num. 47*

P. Cum quidam Aduocati gẽtiles Simonem & Iudam pannosos viderẽt, eos contempserunt. Quibus ait Simon. Sæpe euenit vt intra scrinia aurea quæque vilia habeantur, & intra vilissimas capsas sint gemmarum preciosa monilia. *In aurea legenda de ijsdem.*

Q. Quidam Rex magnus in curru deaurato procedens, cum quibusdam vestes attritas indutis obuiasset, continuo de curru exiliens adorauit & osculatus est. Parentes eius hoc indignè ferentes sed Regem super hoc arguere verentes Fratri eius retulerunt. Frater vero Regem coarguit. Erat autem regni consuetudo quod quando aliquis morti tradẽdus erat, Rex ante eius ianuam tubam sonari fecit. Vespere ergo Rex ante fratris ianuam tubam sonari fecit. Timens ergo ille cum vxore & filijs in veste lugubri venit ad Regem flens & lugens. Cui Rex ait: O stulte si tu hic timuisti præconem fratris tui, quomodo me reprehendisti, quia in humilitate salutaui præcones Dei? Deinde quatuor capsas de lignis fieri fecit, & duas earum auro operiri & ossibus mortuorum intus impleri, alias vero pice ac bitumine linitas gemmis ac margaritis impleri, vocansque magnates illos illas quatuor capsas posuit ante eos, & quæ illis præciosiores essent inquisiuit. Qui duas deauratas magni esse pretij, reliquas vilis iudicauerunt. Præcepit ergo Rex deauratas aperiri, & inde fœtor intolerabilis emanauit. Quibus Rex. Hæ sunt illis similes qui gloriosis vestibus sunt amicti; intus vero immunditia pleni. Deinde alias aperiri fecit, & ecce odor inde mirabilis exhalauit. Quibus Rex: Istę pauperibus quos honoraui sunt similes, qui etsi vilibus

vestibus operiantur, virtutum odore resplendent. *In aurea legenda de Barlaam ex histor. Damasc. de Barlaam & Iosaphat.*

R*. Interrogauit Abbas Ioseph Abbatem Pastorem dicens: Dic mihi quomodò monachus fiam? Respondit. Si vis inuenire requiem in hoc seculo & in futuro in omni causa dic: Quis sum ego? & ne iudices quenquam. *In vitis Patrum libro nono, parte prima.*

S. Offendit aliquando frater in congregatione. Veniens autem Abbas ad quendam solitarium indicauit ei. Et ille dixit: Expellite eum. Misit autem Abbas Pastor vnum de fratribus ad solitarium dicens; Fatiga te vsque huc, vt nos videre possimus. Tunc dixit venienti Abbas Pastor. Duo homines erant in loco, habebāt & ambo mortuos suos. Reliquit autem vnus mortuum suum & abijt plorare alterius mortuum. Audiens hoc senex compunctus est in eius sermone, & recordatus est quod fecerat, & dixit Pastor: Sursum in cælo, & ego deorsum in terra. *Ibid.*

T*. Factus est aliquando conuentus in Scithy & loquebantur fratres de fratre quodam culpabili. Abbas autem Pior tacebat. Postea autem surgens egressus est, & tollens saccum impleuit arena, & portabat humeris suis, & mittens in modica sportella de eadem arena, portabat & ipsam ante. Interrogatus à fratribus, quid hoc esset, dixit: Saccus iste qui multum arenæ habet, mea peccata sunt, quoniam multa sunt, & posui ea supra dorsum meum, ne doleam pro ipsis & plorem; ista autem arena modica, peccata sunt istius Fratris, & sunt ante faciem meam, & in ipsis exerceor iudicans fratrem meum. Audientes hæc illi dixerunt. Verè hæc est via salutis. *Ex lib. Doct. Patrum l. contra iuditium temerarium.*

V*. Fuerunt duo fratres magnæ vitæ, & meruerunt videre singuli in alterutrum gratiam Dei. Factum est vt vnus ex eis egrederetur sexta feria extra congregationem, & videret quendam mane manducantem. Dixit autem ei: Hac hora manducas sexta feria? Die autem sequenti facta est celebratio missarum. Intuens autem frater eius vidit gratiam quæ ei data fuerat, discessisse ab eo, & contristatus est, qui cum venisset in cellam, ait: Quid fecisti, quia non vidi sicut pridem Dei gratiam in te? Ille dixit: Ego nec in actu, nec cogitatione conscius sum mihi alicuius mali. Dixit alter, nec sermonem aliquem odiosum loquutus es? Et recordatus dixit. Etiam heri vidi quendam mane manducantem, & dixi, hac hora manducas sexta feria? hoc est meum peccatum. Sed labora mecum duas hebdomadas, & rogemus Deum, vt mihi indulgeat. Et ita fecerunt & vidit iterum Dei gratiam venientem. *Eodem libro num. octauo.*

X. Frater quidam erat in congregatione, & omne opus quod fratribus imminebat ipse suscipiebat, ita vt se etiam ipse in fornicatione accusari, scil. fornicationem sibi ab alijs impositam non negaret. Quidam autem ignorantes actus eius cæperunt murmurare aduersus eum dicentes. Quāta mala facit hic & non operatur. Abbas autem sciens quæ agebat dicebat fratribus. Volo vnā maculam istius cum humilitate, quā omnes vestras cum superbia. Et vt demonstraret ex Dei iudicio qualis esset frater ille, attulit omnia quę operati fuerant, & mattam eius de quo conquerebantur, & iactauit ignem in medio. Consumpta vero sunt omnia illorum opera

opera, matta autem illius illæsa permansit. Deinceps illi habuerunt illũ velut patrem. *In vitis Patrum libro 15. parte nona.*

Narrat Augustinus lib. 6. Confess. post medium libri, de Alipio collega suo, quod apud Carthaginem, dum esset adolescens, ab æditis fori fuit comprehensus tanquam fur. Apprehenderat enim quandam securim, qua fur quidam sibi cognitus in quibusdam cancellis plumbeis cæperat plumbum præcidere. Sed quorundã sono securis excitatorum vocibus auditis, timens ne cum securi teneretur, aufugit ea dimissa, quem exeũtem locum illum & celeriter abeuntem vidit dictus Alipius, & causam scire cupiens, ingressus est locum, & inuentam securim tenens stans & admirans, ab his, qui sonitu excitati fuerant, repertus est & captus. Cum autem duceretur ad custodiam vel supplicium, obuiauit ei quidam Architectus, cui notus erat. Qui quæsiuit ab ipso tanti mali causam. Cum autem intimasset factum, duxit eum ad domum prædicti furis. Puer vero erat ante ostium. Et vt scribit Augustinus ibidem, ita paruus erat, vt nihil exinde Domino suo metuens cũ facilè posset, totum iudicaret. Cum eo quippe fuerat in foro pedissequus. At ille securim demonstrauit paruo, quærens ab eo cuius erat, qui confestim, nostra inquit. Deinde interrogatus aperuit cætera, & in domum illam causa est translata. Non autem arbitrabatur Augustinus, vt ait ibidem, ob aliam causam Deum permisisse, vt ille caperetur, nisi vt ille vir tantus iam inciperet discere, quod non facilè in discernendis causis homo ab homine damnandus esset temeraria credulitate. *Ioan. Galens. in suo communiloquio part. 1. di. c. cap. 3. & finitur ab Augustino vbi prius.*

Item, vide Aduocatus. Detractio. k. Ecclesia. b. Homicidium. a. Munus. g. h. i. Opinio. a. Parentes. f. Promissio. a. Punitio. c. f. Rex. c. Timor. c.

IVDICIVM DEI.

A. Abbas Anthonius deficiens in consideratione profunditatis iudiciorum Dei postulauit dicens: Domine quomodo aliqui paruo tẽpore vitæ suæ moriũtur, aliqui vltra decrepitam perueniunt senectutem? Et quomodo iniusti opulenti sunt, iusti vero egestate premuntur? Et venit vox dicens. Ad temetipsum intende. Hæc enim iudicia sunt Dei, & te hæc scire non cõuenit. *In vitis Patrũ libro 15. parte prima.*

B. Narrauit quidam patrum quia erat solitarius in eremo Nilopoleos & ministrabat ei quidam secularis sed fidelis. Erat autem in ea ciuitate homo qui erat diues & impius, contigit ergo vt ille diues moreretur, & deducebat eum tota Ciuitas & Episcopus cum facibus. Egressus autem ille est qui ministrabat solitario portans secundum consuetudinem panes, & inuenit quia comederat eum belua & ait, non surgam donec mihi demõstretur à Deo quæ sunt hæc? quia ille quidem impius talem apparatum habuit in deducendo, hic vero qui seruiuit Deo die noctuque ita pertulit. Et ecce Angelus Dei dixit ei. Ille impius habuit paruum opus bonum in hoc seculo & recepit illud hic, vt ibi inueniatur purus coram Deo. Et ita glorificauit Deum super iudicijs eius. *In vitis Patrum libro 18. parte quinta.*

C. Eremita quidam spiritu blasphemiæ tentatus cæpit cogitare quod non essent iusta Dei iudicia. Cui

Angelus in specie hominis apparens, ait: Sequere me & videbis occulta Dei iudicia. Venerunt ergo ad domũ boni viri qui eos liberaliter recepit. In mane Angelus furatus est hospiti scyphum quem multum diligebat, & alia nocte hospitati sunt apud malum, vbi male fuerunt recepti cui scyphum ab alio ablatũ dedit. Tertia nocte hospitati sunt apud bonum hominem qui eos benignè recepit, sed in mane Angelus famulum eius de ponte præcipitauit. Quarta nocte, hospitati sunt in domo boni viri, cuius puerum eos dormire non sinentem Angelus strangulauit. Quæ omnia videns, Eremita voluit eum dimittere, credens eum Angelum Sathanæ. Tunc ait ei: Dominus misit me ad te, vt ostendam tibi occulta ipsius iudicia. Primus homo qui nos recepit nimis diligebat sciphum illum, & ideo abstuli pro bono suo, & dedi malo hospiti vt in hoc seculo mercedem recipiat. Submersi autem famulum tertij, quia firmauerat in corde suo in crastino occidere herum suum, & sic bonum hospitem à morte, & eum ab homicidio operis liberaui, vt sic in inferno minus puniretur. Quartus vero hospes antequam filium haberet multas eleemosynas faciebat, sed filio nato manum retraxit, ideo animam paruuli in paradiso collocaui, & causam auaritiæ ab eo abstuli. Quod audiens ille, liberatus est ab omni tentatione. *Iacobus de Vitriaco.*

D. Narrauit quidam senex quod quidam factus monachus sub negligentia vitam suam expendit. Contigit autem vt matre sua mortua grauiter infirmatus factus fuisset in mẽtis excessu, & raptus ad iudicium inuenit matrem suam cum his qui iudicabantur. Illa vt vidit eum dixit: Quid est hoc fili? Et tu in locum hunc condemnatus es venire? Vbi sunt sermones tui quos loquebaris, saluare volo animam meam? Confusus his verbis ipse dolore stupidus factus est. Contigit autem vt ab infirmitate euaderet, & cogitans diuinitus factam visionem de cætero cogitabat de salute pænitens, de his quæ prius egerat sub negligentia. *In vitis Patrum libro tertio, parte nona.*

E. Vidit senex ridentem quendam & dixit ei. Coram cæli & terræ dominorationem totius vitæ nostrę redituri sumus, & tu rides? *Ibid.*

Item, vide Compunctio. a. Iudex. q. Meditatio. a. Mors. a l. Timor. c.

IVLIANVS APOSTATA.

A. CVm Iulianus ascendisset in Persida, missus est dæmon ab eodem, vt velocius vadens in Occidentem adduceret ei aliquod inde responsum de ijs quæ ibi agebantur. Cum autem venisset dæmon ad quendam locum, vbi quidam monachus nomine Publius habitabat, stetit ibidem per dies decem immobilis, eo quod non poterat vltra progredi. Et regressus est ad Iulianum sine effectu, qui miserat eum. Dixit ei Iulianus: Quare tu tardasti? Respondit. Et moram feci, & sine actione reuersus sum. Sustinui enim Publium monachum decem diebus, si fortè cessaret ab oratione, & non cessauit; & prohibitus sum transire. Tunc iratus dixit. Cum regressus fuero faciam in eo vindictam. Et infra paucos dies interemptus est prouidentia Dei, & continuo vnus ex præfectis qui cum eo erant, vadens vendidit omnia quæ habuit & dedit pauperibus, & veniens ad

Senem illum factus est monachus. *In vitis Patrum libro decimo-nono, parte secunda. Cedrenus in Compendio, in Iuliano. Glicas Annalium parte 4.*

B. Cum Iulianus Apostata Cæsaream Cappadociæ deuenisset, S. Basilius eidem occurrit, & panes ordeaceos pro munere misit. At Iulianus iratus eos recipere contempsit, & pro panibus sibi fœnum misit dicens. Pabulum irrationalium animalium nobis obtulisti, recipe quod misisti. Respondit Basilius: Nos quidē quod comedimus tibi misimus, tu autem dedisti vnde bestias tuas nutris. Ad hæc iratus dixit. Cum Persas subegero hanc vrbem destruam. Sequenti nocte vidit Basilius in Ecclesia S. Mariæ multitudinem Angelorum & in medio quandam fœminam stantem & astantibus dicentem. Vocate cito mihi Mercurium qui Iulianum Apostatam occidat, qui me & filium meum blasphemat. Erat autem Mercurius miles quidam qui ab ipso Iuliano pro fide Christi fuerat interfectus & in eadem Ecclesia sepultus. Statim cum armis suis ille affuit, & iussus ab ea in prælium properauit. Expergefactus Basilius ad locum vbi S. Mercurius cum armis suis quiescebat, iuit, nec corpus nec arma inuenit. Tunc custodem quis arma asportauerat inquisiuit. Ille iurabat eodem vespere ibi fuisse vbi perpetuo seruabantur. Inde ergo Basilius recedens & mane illuc rediens inuenit ibidem corpus eius & arma & lanceam sanguine cruentatam, & ecce quidam veniens de exercitu dixit. Cum Iulianus in exercitu moraretur, ecce quidam miles ignotus cum armis suis & lancea veniens vrgens calcaribus equum, audaci mente Iulianum impetijt, & lanceam fortiter vibrans, ipsum per medium perforauit, & subito abiens nusquam comparuit. Iulianus vero dum adhuc spiraret sanguine suo manum implens in aera proiecit dicens. Vicisti Galilæe; vicisti, sicque expirauit. Ab omnibus autem insepultus relinquitur, & á Persis excoriatur, & de corio suo Regi Persarum succinctorium efficitur. *In aurea legenda sub titulo de sancto Iuliano, & etiam in vita sancti Basilij scripta ab Amphilochio apud Surium 1. Ianuarij.*

C. Iulianus captus cupiditate sacrilega auaritiam suam, testimonio Euangelij colorabat. Nam facultates à Christianis auferens dicebat. Christus dicit in Euangelio qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *In aurea legenda de SS. Ioanne & Paulo.*

D. Factus Imperator de curia sua Eunuchos, tonsores, cocos fugauit, Eunuchos quia vxor eius obierat postquam aliam non duxerat, cocos quia cibis simplicioribus vtebatur, tonsores, quia vnus, inquit sufficit multis, multos libros dictauit, in quibus omnes Principes ante se lacerauit. *In aurea legenda sub titulo de Decollatione Sancti Ioannis.*

E. Apud Antiochiam vasa sancta & pallia colligens, & in terram proijciens super ea sedit & ignominiam addidit. Moxque in illis locis adeo percussus est, vt vermes inde scaturirent, & carnes comederent, à qua passione quamdiu vixit non potuit liberari. Dum Iulianus præfectus. Ecclesiarum vasa abstulisset, super ea mingens ait: Ecce in quibus vasis Mariæ filio ministratur. Cui repentè os versum est in annum & egestionis organum

est effectum. *Vbi supra.*

F. Cum ad Persas vadens, Chtesiphõtem venisset & Regem obsideret, Rex suæ patriæ partem obtulit, si ab eo discederet: Ille, supplicantis non est misertus, nec mente percepit, quia vincere quidem bonum est, semper vincere nimis inuidiosum. Sed iaculum repentè discurrens eius lateri est infixum, quo vulnere obijt, quis vero intulerit hactenus ignoratur. Calixtus eius familiaris dixit, eum à dæmone fuisse percussum. *Nazianz. orat. 2. in Iulia. Theod. lib. secundo hist. Eccles. cap. 20. Niceph. libro decimo, capite vigesimo quinto. De morte Iuliani varij varia sentiunt. Legendus Card. Baronius tom. 4. annalium anno Christi 262.*

G. Quædam mulier habens tres ollas auri, aurum illud ne appareret in orificijs ollarum cinere operuit, & ollas illas Iuliano tunc monacho quẽ sanctum æstimabat corã quibusdam monachis seruandum tradidit, & quod aurum ibi esset non aliter indicauit. Ille autem ollas accipiens & tam copiosum aurum ibi inueniens totum illud aurum furatus est & ollas cinere impleuit. Post aliquod tẽpus cum mulier depositum requireret, ille ollas cum cinere reddidit. Cum vero illa aurum requireret, cõuincere illum non potuit quia testes non habuit, quia monachi coram quibus dederat nil nisi cinerem viderunt. *Ioannes Beleth.*

Item, vide Imperium rationum. a. Philosophia. a.

S. IVLIANVS.

A. IVlianus Cenomanensis Episcopus fuit. Hic Simon leprosus fuisse dicitur. Ille Iulianus qui ab itinerantibus pro inueniendo bono hospitio inuocatur, eo quod in domo eius Dominus fuit hospitatus, sed verius videtur esse alius Iulianus, qui vtrũque parentem ignoráter occidit. Hic enim iuuenis & nobilis dum quadã die venationi insisteret, & ceruum insequeretur, ceruus ei dixit. Tu me insequeris qui vtrumque parentem interficies. Stupens ille ne hoc sibi contingeret, ad remotam regionem se contulit, vbi cuidam Principi adhærens miles ab eo factus est, & quædam Castellana ei in vxorem est data. Parentes ergo dolentes de recessu suo, tandem ipso absente ad castrum peruenerunt, & intelligens vxor sua ex verbis quæ illi de filio suo dixerũt parentes esse viri sui, in proprio lecto illos collocauit. Iulianus mane rediẽs & illos in lectulo inueniẽs, æstimans adulterum cũ vxore sua esse, vtrumque gladio occidit. Intellecto autem ab vxore de templo reuertente parentes suos esse, amarissimè flere cæpit dicẽs: Ecce ego miserrimus quod ceruus dixerat impleui. Tunc cum vxore nolente eum deserere recedens & pænitentiã agens iuxta quendam fluuium vbi multi periclitabantur Hospitale facientes, omnes qui volebant trãs flumen ducebat & hospitio recipiebat. Post multum temporis media nocte dum Iulianus quiesceret & gelu grande esset, audiuit vocem miserabiliter lachrymantem, & Iulianum vt transduceret voce lugubri acclamantem. Concitus ille perrexit, & illum præ gelu pæne mortuum in lectum proprium portauit. Post paululum ille infirmus ascendit & dixit ei. Iuliane Deus pænitentiam tuam acceptauit, & in breui ambo in Domino quiescetis, sicque disparuit, Iulianus ergo post modicum cum vxore sua plenus bonis operibus ad Dominum migrauit. *In aurea legenda de eodem.*

Duran. lib. 7. c. 5. rationa. lis. Marulus l. 2. c. 11.

IVLIVS

IVLIVS CÆSAR.

A. DOlo Bruti & Cassij occisus est Cæsar, cum per triennium & menses septem tenuisset principatum. Corpus eius pro rostris combustum est. Statuit ei populus in foro solidam columnam lapidis numidici viginti propè pedum, super quẽ tumulatus est. Nocte præcedente diem obitus feneſtræ thalami eius tanto strepitu apertæ sunt, vt exiliens á strato ruituram domum existimaret. Eadem die cum iret ad Capitolium, datæ sunt ei literæ, indices suæ mortis imminentis, qui dum referretur occisus, in manu eius nõdum solutæ inuentæ sunt. Die sequenti apparuerunt tres Soles in Oriente qui paulatim in vnum corpus solare redacti sunt, signantes quod dominium Lucij Anthonij & Marci Anthonij & Augusti in Monarchiam rediret, vel potius quod notitia trini Dei & vnius toti orbi futura imminebat. *In historia scholastica parte sexta, capite decimo-quinto.*

Sueto. in vita Cæs.

B. Iulius Cæsar repetè animo linqui, aut etiam per somnium exerceri solebat. Caluitij deformitatem iniquissimè ferebat, ideo & deficientem capillum reuocare à vertice consueuerat, vini parcissimus fuit, circa victũ adeo indifferens, vt etiam conditum oleum pro viridi aspernantibus cęteris solus & largius appetierit, ne hospitẽ aut rusticitatis aut auaritiæ arguere videretur. *Suetonius de duodecim Cæsaribus libro primo.*

C Armorum & æquitandi peritissimus, laboris patiens erat: capite detecto longissimas vias celeritate incredibili perfecit. Ancipiti prælio æquos dimittebat, & imprimis suum, quo maior permanendi necessitas imponeretur auxilio fugæ erepto. *Ibidem.*

D. Alexandriæ circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subito compulsus cum desilijsset in mare, nando per passus ducentos ad proximam nauem, erecta manu ne libelli quos tenebat, madefierent, paludamentum mordicus trahens ne spolio hostis potiretur, peruenit. *Ibid.*

E. Bellatores suos non milites, sed commilitones vocabat, auro & argento politis armis ornabat. *Ibid.*

F. Dicere solitus erat. Dux qui non laborat vt militibus charus sit, militem nescit armare. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro quarto, capite tertio.*

G. Pistorem in vincula coniecit, quia sibi meliorem panem quam cæteris militibus in mensa supposuerat. *Helinandus in Chronico.*

H. Nunquam dixit militibus: Ite, sed venite, dicebat enim, quia participatus cum Duce labor videtur militibus minor. *Ioannes Saresb. in Polycr. libro quarto, capite tertio.*

I. In tota re militari nihil certius, nil vtilius duce erudito, nam industria ducis efficaciam exercitus quasi altera lance compensat. Cæsareos triũphos duci potius quam exercitui vetustas ascripsit: Benignitate autem adeo præditus erat, vt quos armis subegerat, clementia magis vicerit. *Idem libro sexto, capite decimo-quinto.*

K. Quia Rempublicam armis occupauerat, Tyrannus reputatus est, & magna parte Senatus consentiente; strictis pugionibus occisus in capitolio. *Idem libro octauo, capite nono. Suetonius in vita.*

L. Ex beneuola condescensione amorem militum meruit, quia non milites pro conditione, sed commilitiones appellabat, & aliquando militi suo subita valetudine grauato, in-

diuer-

diuersorio locum dimisit, & ipse humili loco ac sub dio cubuit. *Sueton. in libro de vita Cæsarum.*

M. Vxor eius Calpurnia, nocte quam is vltimam in terris egit, in quiete vidit eum multis confectum vulneribus in suo sinu iacentem, somniique atrocitate valde exterrita rogare non destitit, vt proximo die à curia se abstineret. At ille ne muliebri somnio motus id fecisse æstimaretur, Senatum, in quo ei parricidales manus illatæ sunt, adire contendit. *Valerius libro primo, capite septimo, & Plutarch. in vita Cæsaris.*

N. Verecundiam præcipuam in Caio Cæsare fuisse & sæpe apparuit, & vltimus dies significauit. Compluribus enim parricidarum violatus mucronibus, inter ipsum illud tempus quo diuinus spiritus mortali secernebatur corpore, ne tribus quidem & viginti vulneribus quin verecundiæ obsequeretur, absterreri potuit. Siquidem togam vtraque manu demisit, vt inferior corporis tecta collaberetur. *Valerius libro quarto, capite quinto. a. De hoc Suetonius lib. de 12. Cæsaribus. Plut. in vita.*

Item, vide Dux. a. b. Patientia. ar. at. Rex. d.

IVRAMENTVM.

A. M. Attilius Regulus ex victore speciosissimo, insidijs Hasdrubalis & Xantippi Lacedæmonij Ducis, ad miserabilem fortunam deductus, & missus ad Senatum populum Romanum vt ex se & vno, & sene, complures Pænorum Iuuenes pensarentur, in contrarium dato consilio Carthaginem pet ijt, non ignarus ad quam crudeles merito infestos hostes reuerteretur. Verum quia ijs iurauerat, si captiui eorum redditi non forent sese rediturum, potuerunt profecto Dij immortales efferatam mitigare sæuitiam. Cæterum quo clarior esset Atilij gloria, Carthaginenses moribus suis vti passi sunt: tertio bello Punico religiosissimi spiritus tam crudeliter vexati, vrbis eorum interitu iusta exacturi piacula. *Valerius libro primo, capite primo. Cicero offic. lib.* 3.

Philippus Rex Francorum, Ludouici Regis filius, iuramenta ita abhorruit, quod qui iurabat, statim illum in flumine proijci faciebat. *In gestis Francorum.* B.

Cuidam militi dum occasione ludi per oculos Dei iuraret, oculus exilijt à capite. *Gulielmus Lugdunensis in tractatu de peccato linguæ rubrica* 4. C.

Fuit quidam simplex innocens. Ab illo audiui quod dico. Nescio quis negauit ei vel quod commodauerat, vel quod ei debebatur, & hominis fidei se commisit, commotus prouocauit eum ad iusiurandum. Iurauit ille, iste perdidit, sed isto perdente ille penitus perijt. Dicebat ergo ille illa nocte se exhibitum à Iudice fuisse, & cum magno terrore se peruenisse ad Præsidem excelsum quendã, cui parebat officium similiter excelsorum, iussum fuisse perturbatum retro reuocari, & interrogatum fuisse sic. Quare prouocasti hominem ad iurationem, quem sciebas falsum esse iuraturum. Dixit: Ille meam rem mihi negauit. Responsum est ei. Nõne melius rem tuam perderes, quam animam huius falsa iuratione perimeres? Prostratus iussus est cædi. Cæsus est tam grauiter, vt in dorso vigilantis vestigia plagarum appareret. Dictumque est ei. De cætero caue ne facias. *Augustinus in 2. sermone decollationis. S. Ioannis Baptistæ qui est 11. annexus. 10. tomo sermonum de sanctis.* D.

Scio

E. Scio graue esse consuetudini vestræ non iurare, sed & graue fuit consuetudini nostræ. Timendo Deum abstulimus iurationem de ore nostro. In ipsa luctatione inuocaui Deum, præstitit mihi adiutorium non iurandi. Laborare debetis: & confligere aduersus consuetudinem vestram malam malam malam & valde malam, & tollere iurationem de oribus vestris. *Augustinus.*

F. Vir quidam nobilis mutuo quandam pecuniæ summam accepit á Iudæo, iurans super altare S. Nicolai, quod quam citius posset, eam sibi ipsi redderet. Tenente autem illo diu pecuniam, Iudæus eam postulat, sed ille se ei reddidisse affirmat. Trahit ergo ipsum ad iudicium, & iuramentum indicitur debitori. Ille baculum cauatum quem auro minuto impleuerat, secum detulerat. Volens ergo facere iuramentum, Iudæo tradidit baculum reseruandum. Iurat ille quod ipsi plus reddiderat quam debebat, factoque iuramento baculum petijt, quem Iudæus ignarus astutiæ reddidit. Rediens autem qui fraudem fecerat, in quodam biuio somno oppressus corruit, currusque cum impetu veniens eum necauit, & fracto baculo aurũ effudit. Audiens Iudæus concitus illuc venit, cum dolum vidisset, & á multis suggereretur vt aurum reciperet, omnino renuit, nisi defunctus ad vitam S. Nicolai meritis redderetur, asserens se, si hoc fieret, fieri Christianum. Continuo ergo suscitatur, & Iudæus baptisma recepit. *In vita S. Nicolai, & Vincentius in spec. hist. lib. 13. cap. 77.*

G. Ad S. Pancratij sepulchrum, si quis falsũ iurare voluerit, antequã ad cancellum chori perueniat, aut statim à dæmone raptus insanit, aut protinus vitam perdit. *In aurea legenda de eodem.*

H. Lis erat inter duos homines. Iudex reum non ignorabat. Ambos ergo ad altare S. Petri duxit, & reum iuramento se purgare coegit, rogans Apostolum vt aliquo indicio ostenderet veritatem. Cum autem reus iurasset & nil mali passus esset, Iudex eius maliciæ conscius exclamauit. Senior iste Petrus aut nimis misericors est aut Iuniori defert. Cum ergo reus super tumulum Pancratij iurare præsumpsisset, manum inde retrahere non potuit, & ibidem expirauit. *Vbi supra.*

I. Habent multorum Deorum cultores de captiuitate religionis causa etiam sponte tolerãda, & in suis præclaris viris nobilissimum exẽplum. Marcus Regulus Imperator Romani populi captiuus, apud Carthaginenses fuit, qui cum sibi mallent á Romanis suos reddi, quam eorum tenere captiuos, ad hoc impetrandum, & istum præcipuè Regulum cum Legatis suis Romam miserunt prius iuratione constrictum, si quod volebant non peregisset, se rediturũ Carthaginem. Perrexit ille, atque in Senatu contraria persuasit, quia vtile non arbitrabatur Romanæ Reipublicæ mutare captiuos, nec post hanc persuasionem á suis ad hostes redire compulsus est, sed quia iurauerat, id sponte compleuit. At illi eum horrendis pænis necauerunt. Inclusum quippe angusto ligno vbi stare cogeretur, clauis vndique confixo etiam vigilando peremerunt. Ille carere omnibus maluit, quam Deos per quos iurauit offendere. *Augustinus de ciuitate Dei libro primo, capite decimo-quinto. Alij alio dicunt eum mortis genere perijsse in perpetua vigilia consentiũt. Val. l. 9. meminit machinæ in qua vndique praeacuti stimuli eminebãt, quẽ Aug sequitur. Vide Agel. l. 6. c. 4.*

K. O Alexander, caue ne infringas fidem datã, & fœdera confirmata, quoniã hoc conuenit infidelibus iuuenibus & meretricibus. *Et infra.* Siquidē quæras, quæ fuit causa destructionis regni Heliporum & Scytharum, respondetur, quia reges eorum vtebantur iuramentis ad fraudem & deceptionem hominum & proximarum Ciuitatum, frangentes fœdera, quæ fuerunt stabilita ad salutem, & humani generis vtilitatem. *Aristoteles in quadam epistola ad Alexandrum. Et ponitur in libro de secretis secretorum, cap. de fide seruanda.*

Item, vide Lis. a. Obsidio. b. Occisio. f. Philosophia. d. Resurrectio. o. Ratio. a k. al.

IVSTITIA.

A. CVm Troianus Imperator ad bellum profecturus equum ascendisset, vidua apprehenso pede illius miserè lugens, sibi iustitiam fieri petijt de ijs qui filium suum innocentem occiderant, dicens: Tu Imperator imperas, & ego tam atrocem iniuriam patior. Cui ait, Ego tibi satisfaciam cũ rediero. Cui illa. Quod si non redieris? Successor, inquit, meus tibi satisfaciet. At illa. Quid tibi proderit si alius benefecerit? Te non liberabit iustitia aliena. His verbis motus descendit de equo & causam examinauit præsentialiter & viduam consolatus est. Vnde & in foro statua Traiani posita fuit repræsentans quod in expeditione positus viduam liberauit. *Helinandus in Chronicis.*

B. Fertur quia dum filius quidam Traiani, per vrbem equitando nimis lasciuè discurreret, filium cuiusdã viduæ interemit, quod cum illa patri flebiliter exposuisset, ipse filium suum qui hoc fecerat viduæ loco filij sui defuncti tradidit, & magnificè ditauit. *In aurea legenda de sancto Gregorio Episcopo.*

C. Galba antequam fieret Imperator, Hispaniam regens, tutorem qui pupillum cui substitutus erat hæres, veneno necauerat, cruce affecit, implorantique leges & ciuem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari, multoque cæteris altiorem & dealbatam parari crucem iussit. *Suetonius de duodecim Cæsaribus lib. 7.*

D. Tiberius secundus vir catholicus, vbi sibi finem vitæ imminere præuidit. Mauritium virum strenuum ad imperium elegit, cui & filiam Constantiam tradidit dicens. Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum. Vtere ergo ea fæliciter, & habe in mente æquitatem & iustitiam, præcipua Imperatoris ornamenta. Quod postquam dixit, expirauit. *Hugo Floriacensis l. 6.*

E. Quodam tempore, capti sunt tres fabricatores falsæ monetæ, qui mox adiudicati sunt ad manuum abscisionem, quod Dunstanum non latuit. Die Pētecostes celebraturus missam, percunctatus est vtrum lex impleta esset, Responsum est ob reuerentiam diei festi, dilatam pœnam in crastinũ. Ego, inquit, hodie ad altare non accedam, nisi ij sustinuerint pœnam, nam negotium ad me respicit. Hæc dixit, & pro eis qui perdituri erant manus, multum plorans, ostendit qua affectione hoc dixerit. Quibus punitis, ascendit ad altare lota facie dicens. Nunc confido quod sacrificium de mea manu suscipiat Deus, in qua missa dum diceret, adunare, pacificare, custodire, & regere digneris, niuea columba cunctis videntibus super eum descendit, & alis expansis super caput eius sic remansit

in si-

in silentio donec missa compleretur. *In vita eius apud Surium 19. Maij.*

F. Cum salubri consilio Themistocles nugare Athenienses in classem coegisset, Xerxeque Rege & copijs eius Græcia pulsis, ruinam patriæ in pristinum habitum reformaret, & opes clandestinis molitionibus ad principatum Græciæ capessendum nutriret, in concione dixit habere se rem deliberatione sua prouisam, quã si fortuna ad effectum perduci passa esset, nil maius aut potentius Atheniensi populo futurum, sed eam vulgari non oportere, postulauitque vt sibi aliquis cui illa tacite exponeret, daretur. Datus est Aristides. Is postquam cognouit classem illum Lacedæmoniorum velle incendere, vt ea consumpta dominatio maris illis cederet, processit ad Ciues, & retulit Themistoclem, vt vtile consilium, ita minimè iustum animo voluere. E vestigio vniuersa concio quod æquum non videretur; ne expedire quidem proclamauit, ac Themistoclem incæpto desistere iussit. *Valerius Maximus libro sexto, capite quinto. Plut. in vita. Cicero Offic. 3.*

Item, vide Antonius. h. Filius. e. e. f. Index. g. Lex. d. e. Regnum. b. Roma. g.

IVVENTVS.

A. AVdiuit S. Anthonius de quodam iuuene monacho quia signum quoddam fecerit. Et dixit: Videtur mihi monachus iste similis naui oneratæ omnibus bonis, de qua incertum est vtrum peruenire possit in portum. Post cæpit lugere dicens: Magna columna ecclesiæ cecidit. Dicebat autem hoc de illo monacho, & perrexerunt & inuenerunt monachum super mattam sedentem & peccatum quod fecerat flentem. Videns autem discipulos senis ait eis: Dicite seni vt oret Deum decem tantum dierum dari mihi inducias, & spero me satisfacturum ei. Qui infra quinque dies mortuus est. *In vitis Patrum lib. octauo parte prima.*

B. Dixerunt quidam senes. Si vides iuuenem voluntate sua in cælum ascendere tene pedem eius, & proijce in terram, quia non ita expedit ei. *In vitis Patrum libro decimo, parte vndecima.*

C. Senex quidam habens probatum discipulum aliquando contristatus expulit eum foras. Ille vero expectabat sedens foris. Et aperiens senex inuenit eũ & pænitentiã egit dicens: Tu pater meus es quia humilitas & patientia tua vicit pusillanimitatem animi mei, qui opere tuo superasti senectutem meam. *In vitis Patrum lib. sexto, parte quarta.*

Item, vbi Ioannes Euang. d. Iosias. a. Lex. d. Libido. a. Mulier. i. Potentia. d. Senectus. b. c. f. g.

LABOR.

A. QVendam senem rogabant fratres vt quiesceret à graui labore. Ille autem dixit: Credite mihi ô filij, quia Abraham pænitebat cum videret magna & præclara dona Dei, cur non amplius fuerit in laboribus decertatus. *In vitis Patrum libro septimo, parte decima-nona.*

B. Senex quidam longè habebat aquam à cella sua 12. milia, vbi dum semel iret haurire aquam, defecit & dixit. Quid est necesse vt hunc patiar laborem? Venio & habito circa hanc aquam. Conuersus vidit quendam sequentem se & numerantem vestigia sua. Interrogauit autem eum dicens: Quis es tu? Et ille dixit. Angelus Domini sum & missus sum numerare, vestigia tua & dare tibi mercedem.

cedem. Quod cum audiſſet factus eſt promptior, & longius poſuit cellam ſuam ab aqua illa. *Eodem libro parte quarta.*

C. Perrexerunt tres fratres ad meſſem & ſuſceperunt ſpatium ſexaginta modiorum quod meterent. Vnus autem ex eis prima die cæpit infirmari & reuerſus eſt ad cellam ſuam. Aliorum autem vnus alteri dixit: Ecce frater vides quia incurrit ægritudinem frater noſter, extorque ergo animo tuo & ego meo ſimiliter paululum & credamus in Deo, quia per orationem eius implebimus nos duo opera & metemus partem ipſius. Cum ergo explicaſſent meſſem totius loci, venerunt accipere mercedes ſuas, & vocauerunt fratrem illum dicentes. Veni frater accipe laborem tuum. Et dixit: Qualiter laborem meum accipiam qui non meſſui? Et dixerunt: Orationibus tuis conſummata eſt meſſis. Facta contentione abierunt ad Senem, & dixit ei frater ille. Cum veniſſemus ad locum quem meſſuri eramus prima die in ægritudinem cecidi, & nunc me cogunt fratres iſti dicentes, veni accipe mercedem tuam. Hæc audiens ſenex miratus dixit vni de fratribus, percute ſignum vt congregentur hic omnes. Qui dixit eis: Audite fratres hodie iuſtum iudicium. Et indicauit eis omnia, & adiudicauit fratrem illum vt acciperet mercedes. Frater autem ille abijt plorans quaſi præiudicium perpeſſus. *In vitis Patrum libro 17. parte 2.*

D. Dorotheus Thebanus monachus ſexageſimum annum in ſpelunca agens erat vitæ duriſſimæ. Quotidie enim in ardore maximo circa littora maris lapides colligebat, & ſingulis annis cellulam conſtruens his qui fabricare non poterant offerebat. Me vero dicente, cur Pater ita agis te affligens? Reſpondit: Occidit me corpus, occido ipſum. Edebat autem modicum panis, & oleris viliſſimi, parum autem aquæ bibens, nunquam ſponte dormiebat, niſi opere fatigatus aut cibo. Frequenter enim edendo nimia vi ſomni, capite nutabat, paniſque ex eius labijs cadebat. *Heraclides in libro qui dicitur Paradiſus.*

Abbas Paphnutius in eremo Scithi ita vſque ad extremam durauit ætatem, vt nunquam è cella quæ ab Eccleſia illius quinque milibus aberat ſaltem ad viciniora migrauerit, nec feſſus annis die ſabbathi vel dominica venturus ad Eccleſiam itineris ſpatio vexaretur, & vas aquę inde ſuis ceruicibus reportabat. Nonagenarius, nunquam paſſus eſt eam ſibi Iuniorum labore deferri. *Caſſianus collat. 3. capite primo.* E.

Item, vide Antonius. l. Eleemoſyna. k. Eloquia. a. b. c. Fornicatio. i. Fortitudo. h. Eremita. b. Monachus. m. l o. Recreatio. a.

LAC.

IAhel Siſaræ petenti poculum dedit lac, vt grauius obdormiret. *In hiſtor. ſcholaſt. ſuper Iudicum cap. de Debora.* A.

Item, vide Sacerdos. f.

LAPIS.

Vide Mirabile. b c. b 5.

LATRO.

FVit vir ſanctus Amon, ad quem ſæpe veniebant latrones panem ei auferentes. Cumque frequenter ab his moleſtiam pateretur, quadam die proceſſit ad eremum, & inde rediens duos Dracones ſecum comi- A.

comitari iussit, atque ad ostium monasterij manere præcepit. Veniūt ex more latrones, & hos videntes amentes facti statim conciderunt, quod vbi senior sensit, inuenit eos semineces, & erigens increpauit eos dicens: Cernitis quantum vos duriores estis bestijs. Illæ nobis propter Deum obediunt, vos nec Deum timetis nec vitam seruorum Dei erubescitis. Veruntamen posuit eis mensam iubens vt perciperent cibum: Illi vero corde cōpuncti multis qui prius Domino seruire cæperant breui meliores fiunt, vt etiam ipsi post signa facerent. *In vitis Patrum de S. Amone.*

S. LAVRENTIVS.

A. DE consensu Papæ & Imperatoris missum est corpus S. Stephani Romam per Græcos, vt inde corpus S. Laurentij Constantinopolim deferrent. Cum ergo Romā venissent & corpus in Ecclesia S. Petri collocare vellent, vectores vltra procedere non potuerunt. Dæmon autem in puella clamauit. Frustra laboratis, quia apud fratrem suum Laurentium sedem elegit. Illic ergo defertur & statim puella curatur. At Laurentius quasi fratris aduentui congratulans, in alteram partem sepulchri secessit, & medietatem fratri reliquit. Græci vero dum manus apponunt, vt Laurentium tollant, velut exanimes corruerunt, & intra decem dies omnes mortui sunt. Tunc vox de cælo audita est. O fælix Roma quæ corpus Laurentij Hispani, & Stephani Hierosolymitani vno claudis mausoleo. *In aurea legenda de Inuentione sancti Stephani.*

LAVS.

A. DIxit Abbas Pastor, quia sedentibus aliquando senibus ad manducandum stabat Abbas Allonius & ministrabat eis. Et videntes laudauerunt. Ille vero nil respondit. Dixit ergo ei cuidam secretè. Quare non respondisti senibus te laudantibus? Quia, inquit si responderem eis, inuenirer delectatus laudibus meis. *In vitis Patrum libro 15. parte 5.*

B. Ait S. Pachomius. Testor fratres quia ex quo cænobium istud fundatum est nullum de fratribus qui mecum sunt vel fuerunt humilitatem meam sequutum esse cognosco nisi vnum solum. Cumque orarent vt diceret quis esset, dixit: Si scirem eum de quo dicturus sum, vanę gloriæ stimulis incitari, non ostenderem, sed quia scio quod non, ideo vt eum possitis imitari, palam beatificare non desino. Iuuenis Siluanus quem dudum propter negligentiam de monasterio pellere volebamus, ita prostrauit inimicum, vt nunquā coram eo compareat. *In vitis Patrū in vita sancti Pachomij.*

C. Sacerdos quidam optimè credebat cantare & tamen horribiliter cantabat. Quadam autem die mulier quædam eū audiuit & incæpit flere. Ille æstimans quod suauitate vocis suæ excitata esset ad deuotionem, fortius cantabat, & illa multo amplius plorabat. Tunc inquisiuit cur ploraret. At illa ait: Domine ego sum illa infęlix mulier cuius asinum lupus illa die deuorauit, & quando audio vos cantare, statim ad memoriam reduco quod asinus meus ita cantabat. Quo dicto Sacerdos erubuit,

vnde putabat reportare laudem, portauit confusionem. *Iacobus de Vitriaco.*

D. S. Franciscus malebat de se vituperium audire, quam laudem, & ideo cum populi merita sanctitatis in eo extollerent, præcipiebat alicui fratri, vt verba ipsum verificantia suis auribus conculcando proferret. Cumque licet inuitus, eum rusticum, mercenarium, imperitum & inutilem diceret, exhilaratus dicebat. Benedicat tibi Deus, quia tu verissima loqueris, & talia me decet audire. *In aurea legenda de eodem. S.*

E. Cum S. Hilarionis monachi in Sicilia habitantis virtus fuisset patefacta per dæmones, venit in Dalmatias, ibique virtute diuina plurima miracula faciebat. Sed & hinc rursus abijt, quia vbi laudabatur, habitare declinabat. *In Tripartita historia libro sexto, capite duodecimo.*

F. Nolo, inquit sapiens, ab his laudari, quorum laus vituperium est, nec ab his culpari vereor, quorum criminatio laus est. Nolo aucupari fauorem eorum qui sordibus obsiti sunt, & quorum gratia nisi per turpia acquiri non potest. Histrionibus, mimis, parasitis, amplissimum patrimonium Pompeij & fere totius orbis opes contulit Marcus Antonius, & tamen eorum præconijs non clarescit. *Ioannes Sareb. in Polycratico libro 8. capite decimo-quarto.*

LAVS DEI.

A. Beatus Franciscus ob præcipuum Creatoris amorē, miro etiam in omnes creaturas ducebatur affectu. Ipse nō solū homines vt saluatorem laudarent admonuit, scilicet & aues, & bestias, & quaslibet alias creaturas, fratrum vel sororum nominibus nuncupans, ad omnium conditoris laudem sollicitus inuitabat. *Et infra.* Diligenter enim creaturarum efficaciam attendebat, & quicquid admirationis delectamenti siue cuiuslibet valoris in vna quaque perpendere poterat, id totum in omnium formatoris gloriam referebat. Propter hæc omnia fraterno nomine nuncupabat, dicens: Fratres mei volucres, sorores, aues. Frater asine, & huiusmodi omnia ad vnius conditoris laudem continuus ipse in laudibus inuitabat. *Vincentius in spec. histor. lib. 31. cap. 103.*

Item, vide Aristoteles. c. Augustus. m. Diogenes. f. Aegid. b. Gloria. c. Humilitas & Iactantia. d. Patientia. f. Roma. a. b. Stabilitas. a.

LECTIO.

A. Ego & tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perscrutor, etiam si videar ad horam verbis eorum pollui, sed mihi multum confert hoc ipsum, quod ex ipsorum verbis arguere eos possum. Denique cum aliquis ex fratribus cum presbyteris prohiberet, ne me hæretica lectione pollueram, visio quædam mihi à Deo ostensa est dicens: Lege omnia quæcunque in manus tuas venerint, quia probare potes & discernere singula quandoquidem & ex initio hoc tibi fuit causa credendi. *Dionysius Alexandrinus Episcopus libro tertio de baptismo.*

B. Lacedæmonij libros Archilochi è ciuitate exportari iusserunt, eo quod eorum parum verecundam & pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt

runt enim liberorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingenijs prodesset. *Valerius libro sexto, capite tertio. Plut. in apopht.*

LEGATVS.

A D Vm S. Edmundus Doctor in Theologia, in Ecclesia Salesberiensi thesaurarius existeret, eius fama fælix Alpes transijt, & quia Apostolicus eum crucis amatorem esse nouerat, legationem ei cum grandi priuilegio commisit, potestatem ei dedit procurationem ab ecclesijs & ecclesiarum Rectoribus accipere, vt eorum carnalia meteret quibus debuit spiritualia seminare. Ipse vero hac potestate non vtens, gratis Euangelium posuit, & proprijs stipendijs militauit. Propter quod & Deus in ipso legationis itinere dignatus est miraculis honorare. *In gestis eius apud Surium cap. 15. 16. Nouembris, & in speculo hist. lib. 72. cap. 79.*

LEO.

A. *de Andronico.* ANdronicus damnatus ad bestias, cum ingenti leoni esset obiectus, illæsus euasit, qui eius crura & manus prope iam metu exanimati lingua leniter demulsit. Tunc homo animum recuperauit. Interrogatus ergo à Cæsare quare illi leo pepercerit, rem mirificam narrauit. Cum prouinciam Africam proconsulari imperio Dominus meus possideret, ego ibi quotidianis eius verberibus ad fugam coactus sum, & quo mihi latebræ terræ illius forent à Domino tutiores, in camporum & arenarum solitudines concessi. Consilium quoque fuit quocunque modo mortem petere. Cum itaque sole medio flagrante quandam caueam nactus essem latebrosam, non post multum venit huc leo debili & cruento pede gemitus edens, primo conspectu leonis sum quidem toto animo consternatus, postquam vero ingressus me leo videt, mansuetus me accessit, & sublatum pedem mihi ostendere visus est. Ibi ego stipitem ingentem pedi eius hærentem reuulsi, conceptam saniem vulnere expressi, & non sine formidine siccaui, omnemque detersi cruorem. Tunc ille mea medela leuatus, pede in manibus meis posito recubuit, atq; toto triēnio ego & leo ibi mãsimus. Sed vbi me illius vitæ ferinæ tæduit, Leone venatum profecto reliqui specum, & viam fermè tridui permensus, à militibus visus, apprehensus, & ex Africa ad Dominum Romam deductus sum. Is me statim capitalis rei damnandū, dandumque ad bestias procurauit. Intelligo autem hunc quoque leonē me tunc separato captum, gratiam nunc beneficij & medelæ referre. Solutus itaque est pœna Andronicus, & eidem leo totius populi suffragio donatus. Exinde amicantibus sibi homine & leone & vrbem peragrantibus, dicebant omnes: Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis. *Ioannes Saresb. in Polycrat. lib. 5. cap. 17. Agellius libr. 5. cap. 14. ex Appione oculato teste lib. quinto Aegyptiacorum.*

B. Dicitur in libro de natura animalium, quod vulpes sequuntur leonem, quia est animal communicatiuum prædæ. *Gulielmus Lugdunensis, in summa virtutum parte tertia, rubrica 28.*

Item, vide Gratitudo. c. g. Hieronymus. c. Superbia. a.

LÆTI-

LÆTITIA.

A. SVpra modum lætitia in fratribus erat sub S. Apollonio viuētibus, nullus in eis tristis omnino inueniebatur. Si aliquando quis fuisset mæstus, statim Apollonius causam quærebat. Monebat ergo docens prorsus non oportere inesse tristitiam his quibus salus in Deo est & spes in regno cælorum. Nam si qui terrena diligunt super caducis & fragilibus rebus lætantur; cur nos non lætemur qui spem gloriæ habemus? Dicit enim Apostolus semper gaudete sine intermissione orate. *In vita S. Apollonij.*

Item, vide Antonius. f. Moderatio. c.

LEX.

A. IAcobus authoritate pontificali protulit diffinitiuam sententiam scil. de legalibus dicens, non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, sed consulo vt dirigamus ad eos epistolam vt abstineant se ab ydololatria, suffocato & sanguine. Siquidē in gentibus maximè pullulauerat fornicatio & quasi naturale reputabatur, ideo decreuerūt Apostoli ista prohibere specialiter. Erant etiam proni ad effundendum sanguinem, consueuerunt etiam bibere sanguinem immolatum dijs. Quare ad literam prohibuerunt eos à suffocatis, non est satis perspicuum. *In scholastica historia parte octaua, capite septuagesimo-octauo.*

B. Lycurgus cū fratri Polybito Spartanarum Regi successisset & regnare si vellet, potuisset, Carillo filio eius adulto iam regnum restituit. Medio tempore dum infans conualescit, leges instituit, exemplo eorum quam inuentione clarior. Auri & argenti vsum sustulit, populo eligendi Senatum potestatem dedit, fundos omnium inter eos æqualiter diuisit, conuiuari omnes publicè iussit. Iuuenibus non amplius vna veste vti toto anno permisit, pueros non in forum sed in agrum deduci iussit, vt primos annos non in luxuria, sed in opere & labore agerent, nec prius in vrbem redire, quam viri facti essent, statuit, virgines sine dote nubere iussit, vt vxores non pecuniæ causa eligerentur. Maximum honorem senum esse statuit, quorum omnium authorem Apollinem finxit quia duriora paulò erant. Deinde vt æternitatem suis legibus daret, iureiurando obligauit ciuitatem, nihil eos de suis legibus mutaturos priusquam reuerteretur. Profectus est autem Cretam, vbi voluntarium exilium egit, moriensque abijci ossa sua in mare iussit, ne fortè Lacedæmonem referrentur, vt & sic putarent se solutos iuramento. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro quarto, capite tertio. Herod. 1. Plutarch. Val. libro primo, capite secundo.*

Zeleucus vrbe Locrensium à se saluberrimis legibus munita, cum filius eius adulterij crimine damnatus secundum legē suam vtroque oculo carere deberet, & tota ciuitas in honorem Patris, pęnā adolescentulo remitteret, aliquamdiu repugnauit, deinde suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum videndi vtriusque reliquit. *Valerius libro sexto, capite quinto. Cicero de leg. 2. Stobæus ser. 42. Ælianus histor. 2.* C.

Sed aliquanto Tharundæ Thurij abscisior iustitia: ad vim & cruorem vsque seditiosas conciones ciuium parauerat, lege cauendo, vt si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Postea è rure domum D.

repetens gladio cinctus, subito indicta concione processit, & ab vno admonitus solutæ legis. Idem, inquit, ego illam sanciam, & protinus ferro districto incubuit, ne qua fraus iustitiæ fieret. *Ibidem. Cicero de leg. 2. Laertius in Pytha. Aristot. polit. 2.*

F. Quia porro subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat, nam vt illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere, ita his humiles & pauperes constringi, diuites non alligari aiebat. *Valer. lib. 7. cap. 2. Plut. in Solone. Stobæus ser. 47.*

G. Nihil etiam Agesilai facto sapientius. Siquidem cum contra Rempublicam Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, leges Lycurgi statim abrogauit, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant. Interfectis autem sontibus è vestigio restituit, atque prouidit, ne salutaris animaduersio vel iniusta esset, vel iure impediretur. *Ibidem Val. Plutar. in apophth. aliter.*

H. G. Licinius Stolo cum lege sanxisset, ne quis plus quam quingenta agri iugera possideret, ille mille comparauit, simulandique criminis gratia dimidiam filio partem dedit, ob quam causam primus à populo accusatus sua lege cecidit, ac docuit nil aliud præcipi debere, nisi quod prius sibi quisque imperauerit. *Valerius lib. 8. cap. 6. Liuius 7. Plut. in Camillo.*

Item, vide Fiducia. c. Punitio. e.

Liber.

A. S. Franciscus tantam nomini Saluatoris reuerentiam exhibebat, quod qualecunque scriptum inueniret inhonestè locatũ reuerenter illud colligens in loco reponebat honesto, ne verba diuina vel nomina vel literæ continerentur in illo. *Vincentius in spec. hist. lib. 31. cap. 106.*

B. Philosophus quidam interrogauit S. Antonium dicens: Quomodo cõtentus es Pater, qui codicum consolatione fraudaris? Ille respõdit, meus codex, ô Philosophe, natura rerũ est creatarum, quæ mihi quoties verba Dei legere cupio, adesse consueuit. *In vitis Patrum lib. 21. parte 3. Et in Trip. hist. lib. 8. capite primo.*

Vide Domitianus. a. Ecclesia. k. Filius. Matrimon. e. Ornatus. d. Testamentum. b. c. d.

Liberalitas.

A. Vrbem cuidam Alexander donabat. Cum ille, cui donabatur, seipsum mensus, tanti muneris inuidiam refugisset, dicens non conuenire fortunæ suæ, nõ quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. Animosa vox, sed tamen stultissima. Refert enim quid, cui, quando, quare, vbi & cætera, sine quibus facti ratio non constabit. *Seneca lib. 2. de beneficijs cap. 16.*

B. Antigonus Rex Macedonum, cum Cynicus ab eo petisset talentum, respondit, plus esse, quam quod Cynicus deberet petere: repulsus petiuit denarium, at ille respondit, minus esse, quam quod Regem deceret dare. *Seneca lib. 2. de beneficijs cap. 17.*

C. Cum Carthaginensiũ Legati ad captiuos redimendos in vrbem venissent, protinus Senatus ijs nulla pecunia accepta reddidit, Iuuenes numero duorum millium & septingentorum quadraginta triũ. Legatos ad hæc obstupuisse arbitror, ac secum dixisse. O munificentia gẽtis Romanæ Deorum benignitati æquanda, o nostram legationẽ fœlicem! nam beneficium quod nunquã dedissemus, accepimus. *Valerius lib. 5. cap. primo. Liuius 30. l. ducentos nobiles sine pretio scribit redditos.*

Item, vide Gratitudo. Titus.

LIBIDO.

A. QVemadmodum corpori vsus libidinis carnisque vicinitas, ita & menti memoria eius est penitus substrahenda. Satis enim perniciosum est adhuc ægris pectoribus vel tenuem huius passionis recordationem admittere. Cuius causa seniores nostri sacras lectiones sanctarum fœminarum sub præsentia Iuniorum solent consulto præterire. *Verba sunt Abbatis Ioannis. Cassianus collatione* 19. *cap.* 16.

B. Concepit Elizabeth, & mensibus quinque se occultauit, quia sicut dicit ibi Ambrosius, partus sui erubescebat ætatem, ne in senectute vacasse libidini putaretur. *In aurea legenda de S. Ioanne Baptista.*

C. Magna cura studioque præcipuo referendum est quantopere libidinis & auaritiæ furori similes impetus ab illustrium virorum pectoribus, consilio ac ratione submoti sint, quia hi demum penates, ea ciuitas, id regnũ æterno in gradu facile stetit, vbi minimum viriũ Veneris pecuniæque cupido sibi vendicauit. Nam quo hæ pestes penetrarunt, iniuria dominatur, infamia flagrat. *Valerius libro quarto, capite tertio.*

Item, vide Cyrus. a. Luxuria. a. Voluptas.

LINGVA.

A. LInguarum diuersitas hominem alienat ab homine. Nam si duo sibimet inuicem fiant obuiam, nec præterire possunt, nec simul esse necessitate aliqua cogantur, quorum neuter linguam nouit alterius, facilius sibi muta animalia, quam illi, cum sint homines ambo, socientur. Quando enim quæ sentiunt, inter se communicare non possunt, propter solam diuersitatem linguæ, nihil prodest ad sociandos homines tanta similitudo naturæ, ita vt libentius sit homo cum cane quam cum homine alieno. *Augustinus de ciuitate Dei libro* 19. *cap.* 7. *Plin. lib.* 7.

LIS.

A. ABbas Clareuallensis Petrus nomine, vir magnæ simplicitatis, ad diem assignatum contra quẽdam militem qui bona multa monasterij subripuerat, & sua esse dicebat, iuit cum quodam de amicis suis. Tunc Abbas prædictus in principio dixit militi. Tu es homo Christianus: Si tu dixeris in verbo veritatis quod ista bona tua sunt, ego credam tibi, nec amplius de hoc loquar. Miles hoc audito gauisus est, & parum curans de verbo veritatis, dixit in verbo veritatis quod illa bona erant sua. Tunc Abbas. Sint ergo tua tibi, & sic ei bona dimisit, & recessit. Miles autem rediens ad domum retulit hæc vxori suæ. Illa territa dixit: Dolosè egisti contra sanctum Abbatem, vltio diuina nos puniet; nisi bona restituas monasterio, consortio meo carebis. Territus ille ad Clareuallem iuit, bonis vltra renunciauit, de indebita Sancti vexatione veniam petens. *Cæsarius in libro miraculorum distinctione* 6. *cap.* 11.

B. Tutius est puero, ære rem perditam recuperare, quam in ambiguam litem descendere. *Petronius monachus & Bononiensis Episcopus in quodam libro quem edidit, partim metrico, partim prosaico.*

Item, vide Contentio. Successio. a.

LOCVSTA.

Vide Prodigium. t.

LONGOBARDI.

A. Vinili qui postea Longobardi, à longis barbis vocati sunt, in Scandinauia Insula degentes, cum ita essent multiplicati, vt eos terra sua capere non posset, egressione tertiæ partis minuere multitudinem consilium habuerunt, & quinam exirent, missa sorte quæsierunt. *Sigebertus in Chronicis in principio & in speculo historiali libro decimo septimo, capite decimo.*

Item, vide Copulatio. e.

LOQVI.

A. Socrates quærenti quomodo quis famam optimam compararet, si gesserit, inquit, optima, & loquutus fuerit pauca. *Ioannes Saresb. in Policratico libro 5. cap. 6.*

B. Legitur de Abbate Macario quod cum properaret ad quendam locum discipulus ipsum præcedens, obuiauit cuidam Sacerdoti idolorum portanti grande lignum, cui dixit: Quo vadis dæmon? At ille iratus percussit eum, ita quod ferè mortuum reliquit. Cui postea obuians Macarius ait: Salueris laborator, salueris. At ille. Quid in me boni vidisti vt ita me salutares? Cui senex, quia vidi te laborantem. Cui Sacerdos. Et ego ex salutatione tua cognoui te seruum esse magni Dei. Sed quidam monachus me malè salutauit, quem ego plagis afflixi, & statim compunctus est Sacerdos idolorum petens veniā, & duxerunt vulneratum ad mortem ad cellam, & Sacerdos idolorum factus est monachus. Vide quid leuitas sermonis fecerit, & quid austeritas. *Gulielmus Lugd. in summa de vitijs in tractatu iræ, rubrica 28.*

C. Legitur in vitis Patrum de quodam Sancto qui clamabat incessanter: Domine Deus libera me à lingua. *Gulielmus Lugdun. in summa vitiorum in tractatu de peccato linguæ, rubrica secunda.*

D. Ægles Samius Athleta mutus, cum ei victoriæ quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, indignatione accensus vocalis euasit. *Valerius libro primo, capite sexto. Agellius libro quinto, capite nono.*

E. Cum Sanctum Vrbanum cum socijs plumbatis cæderent, & ipse nomen Domini Elyon inuocaret, subridens Almachius ait. Sapiens vult iste senex videri, & ideo nunc ignota loquitur. *In aurea legenda de eodem.*

F. In Sabinensi prouincia quædam monialis fuit, quæ carnis continentiam habuit, sed stultiloquium non declinauit. Ergo hæc in Ecclesia sepulta est. Nocte eadem custos ecclesiæ per reuelationem vidit, quia ducta ante sacrū altare per mediū secabatur, & pars vna igni cremabatur, pars autem altera intacta permanebat, mane vero ipsa flammæ combustio ita ante altare apparebat, ac si illic eadem fœmina corporeo igne fuisset concremata. *Gregorius in Dialogis libro 4. capite 51.*

G. Fratres aliqui volentes venire ad Abbatem Antonium de loco Scythi ingressi sunt nauim & inuenerunt in ea naui senem qui etiam ad Antoniū ire volebat, & sedentes loquebantur sermonem Patrum, & de scripturis, & opere manuum. Ille autem senex per omnia tacebat. Cum autem venissent ad Antonium, dixit eis, bonum comitem inuenistis senem hunc. Dixit autem seni: bonos fratres inuenisti tecum Abba. Dixit ei senex: boni quidem sunt, sed habitatio eorum non habet ianuam, qui-

cunque vult intrat stabulum & soluit asinum, hæc autem dicebat, quia quodcunque ascendebat eis in cor, in ore loquebantur. *In vitis Patrum lib. quarto, parte prima.*

H. Dicebat de Abbate Amoij quia vadens ad Ecclesiam non sinebat discipulum suum iuxta se ambulare, sed de longe sequi, dicens ne forte cũ loquimur aliquid de vtilitate animę incurrat etiam sermo qui non pertinet ad rem. *In vitis Patrum lib. vndecimo, parte prima.*

I. Venerunt aliquando quidam fratrum, tentare Abbatem Ioannem breuem quia non dimittebat mentem suam diffundi in cogitationibus seculi, nec loquebatur causam huius mundi, & dicunt ei: Gratias agimus Deo quia multum pluit isto anno, & rigatæ palmæ bene incipiunt producere ramos. Dixit eis Ioannes: Sic est, & quando spiritus sanctus descendit in corda Sanctorũ virescunt & innouantur & proferunt folia virtutum, in timore Dei. *Ibidem.*

K. Dicebant quidam Patrum, quia dum sederent fratres & loquerentur de ædificationibus erat inter eos vnus præuidus & vidit Angelos manus agitantes & lauantes eos. Cum autem venisset locutio secularis abibant Angeli, & volutabantur porci in medio eorum, & polluebant eos. *In vitis Patrum libro 18. parte quinta.*

L. Abbas Or dicebat discipulo. Vide ne aliquando alienum verbum adducas ad cellam istam. *In vitis Patrum libro vigesimo-primo, parte tertia.*

Item, vide Eloquentia. Hæresis. a. & idioma, religio, silentium, taciturnitas. c. g.

LVCRETIA.

A. LVcretia à Tarquinio Regis Superbi filio, per vim stuprum passa, cum grauissimis verbis iniuriam suam in concilio necessariorum deplorasset, se ferro interemit, causamque tam animoso interitu, imperium consulare pro regio permutandi, populo Romano præbuit. *Valerius libro sexto, capite primo. Liuius libro primo. Ouidius Fast. 2. Dionys. 4.*

B. Lucretiam magnis efferunt laudibus quidam antiqui historiographi. Ergo illa scelus improbissimi iuuenis marito Collatino & propinquo Bruto indicauit, eosque ad vindictam constrinxit: deinde impatiens fædi in se cõmissi, se interemit. Vos appello Iudices legesque Romanæ, nempe post perpetrata facinora, nec quenquam scelestum indemnatum impunè voluistis occidi. Si ergo ad vestrum iudicium quisquam deferret hoc crimen, vobisque probaretur non solum indẽnatam, verum etiam castam & innocentem interfectam esse mulierem, nonne eum qui id fecisset, seueritate congrua plecteretis? Hæc fecit Lucretia vim passa, ipsa se interemit. Proferte sententiam: quod si ideo non potestis, quia non astat quem punire possitis; cur interfectricem innocentis & castæ tanta prædicatione laudatis? quasi diceret, non debetis. *Et infra.* Nobis in hoc tam nobilis fœminæ huius exemplo, ad istos refutandos qui Christianis fœminis in captiuitate compressis insultant, sufficit, quod in præclaris eius laudibus dictum est, duo fuerunt, adulterium vnus admi-

admisit. *Augustinus de ciuitate Dei capite decimo-nono.*

C. Quia seipsam Lucretia occidit, non est pudicitiæ charitas, sed pudoris infirmitas: puduit enim eam alienæ turpitudinis in se commissæ, etiam si non secum: & Romana mulier laudis auida, nimium verita est, ne putaretur quod violenter est passa, cum viueret libenter passa, si viueret, vnde ad oculos hominum mentis suæ testem illam pœnam adhibendam putauit, quibus conscientiam demonstrare non potuit, socia quippe facti credi erubuit, si quid alius in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter. Non hoc fecerunt Christianæ fœminæ, quę passæ similia viuunt, tamen nec in se vltæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent suum: Habent quippe intus gloriam castitatis in testimonium conscientię. *Ibidem.*

LVCRVM.

A. DEmades Philosophus (*vt ait Seneca libro sexto, capite* 38. *de Beneficijs.*) Athenis eum qui necessaria funeribus venditabat, damnauit, cum probasset eum magnum lucrum optasse quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Seneca probat hoc eius factum non esse laudandum, non enim inquit, quidquid reprehendẽdum est, damnandum est. *Vincentius in speculo hist. libro quinto, capite* 29.

B. Interrogatus Secundus Philosophus ab Adriano Imperatore: quid est quod hominem lassum fieri non sinit? scribens, respondit. Lucrum. *In gestis Secundi Philosophi.*

C. Dixit Abbas Abraham ad Eremitas quosdam remotos, spe maioris lucri in conuersione & salute aliorum acquirendi ad suam patriam reuerti volentes, quid alios saluare vos posse confiditis & spe maioris lucri in patriam festinatis? Audite etiam super hoc quandam Abbatis Macharij fabulam. Erat in ciuitate quadam peritissimus tonsor qui denarijs ternis vnumquemque detõdens necessaria victui comparabat, centumque denarios expleta omni corporis cura marsupio suo singulis diebus inferebat. Sed cum audisset in quadam longius posita ciuitate, singulorum solidorum singulos homines tonsori præbere mercedem artis suę instrumenta ferens, expensis in sumptu viæ omnibus ad vrbem illam peruenit. Vbi cum ea quo ingressus est die ab vnoquoque eam mercedem accepisset, ad vesperum se videns grandem solidorum numerum conquisisse, ad macellum lætus incedit escas empturus. Et cum emisset solidorum suorum pretio, nec vnius quidem denarij intulit lucrũ. Cum itaque acquisitionem suam vidisset insumi, apud se recogitans: Reuertar, inquit, in ciuitatem meam illumque repetam tenuissimum quęstum. Idcirco nobis est rectius hunc solitudinis huius tenuissimum fructum indisrupta iugitate sectari. Melius est enim modicum iusto quam affectare lucra illa maiora, quæ etsi parata fuerunt quæstuosissima conuersione multorum necessitate tamen mundanæ conuersationis & quotidianæ distentionis diminutionibus absumuntur &c. *Cassianus in collationibus Patrum, collatione vigesima-quarta, capite decimo-tertio.*

LUDI SCENICI.
Vide Dij gentium. c. d. e.

LUDUS.

A. SCæuola optime pila lusisse traditur, quia scilicet ad hoc diuerticulum, animum suum forensibus ministerijs fatigatum, transferre solebat. Aleæ & calculis etiam interdũ vacasse dicitur. Vt enim in rebus serijs Scæuolam, ita in lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit. *Valerius libro octauo, cap.* 8.

B. Idque vidit, cui nulla pars sapientiæ obscura fuit, Socrates, ideoque non erubuit tunc, cum interposita arundine cruribus suis, cum paruulis ludens ab Alcibiade derisus est. Homerus quoque non aliud sensit, vehementissimis Achillis manibus canoras fides aptando, vt earum militare robur leni pacis studio relaxaret. *Ibidem.*

Horat. 2. Sat. 1.

Iliad. Ostil.

C. Honorius Imperator ludum gladiatorum hac de causa remouit. Quidã Telemachus monachus, pro hac causa ab Oriente venit Romam, dũque nefandum illud spectaculum ageretur, & ipse intrauit in stadium, & descendens nitebatur aduersum se gladijs pugnantes separare. Cumque spectatores aduersum se sæuirent, & in effusione sanguinis grassarentur, prouisorem pacis lapidibus occiderunt. Hoc agnoscens mirabilis Imperator, illum quidem inter victores martyres numerauit, nefandum vero spectaculum prorsus abscidit. *In Tripartita historia libro decimo, capite secundo, de isto ludo habes supra. Vide gladiator.*

Hic in Martyr. Rom. Cal. Ianuarij vocatur Almachius, sed à Theod. lib. quinto hist. cap. 26. & à Ioanne Diacono in Miscel. hist. appellatur Telemachus, & ab Othone l. 4. cap. 19. Dirimachius, id est, diremptor belli: adeo procliue est in similibus nomenclaturis hallucinari. Neque illud cuiquam dubitationem moneat, quod ille in Martyr. Rom. à gladiatoribus necatus narretur, hic autem à Theodoreto, lapidibus obrutus, cum etiam in sacris historijs aliquid ab alio referatur, quod alius omiserit. Porro quod hic Telemachus ab Honorio in numerum martyrum adoptatus scribatur; id eo sensu accipiendum, vt quod ab Ecclesia Catholica decretum est, ipse sanctione munierit. Consule Card. Baron. notas ad Martyr. Rom. Cal. Ianuarij. Sigebert. in Chronicis ad annum 400. appellat Telematium.
Item, vide Recreatio. Luxuria. a.

LUPUS.

EDgarus Rex Angliæ, omnis generis feras sanguinis auidas ex regno extirpare cogitans, Siducilo Regi VVallensium indixit, vt singulis annis tributum trecentorũ luporum solueret, quod cum ille tribus annis fecisset, quarto destitit, nullum se vlterius inuenire posse professus. *In speculo histor. libr. 25. cap. 85. Polyd. Virg. lib. 1. rerum Angl.* A.

LUXURIA.

SEnex quidam sexaginta annorum Apostolo Andreæ dixit, quod toto tempore vitæ suæ luxuriæ seruierat. Accepi autem, inquit ille, aliquando Euangelium orans Dominũ, vt amodo mihi continentiam largiretur, sed statim ad peccatum solitum reuertebar. Quadam ergo die oblitus super me Euangelium ad lupanar iui, statim dixit meretrix. Egredere senex, egredere, quia Angelus Dei es tu ne me contingas. Video enim A.

enim super te mirabilia. Stupefactus ad verba meretricis recolui quia Euangeliũ penes me habebam. Nunc ergo Sancte Dei ora pro me. Audiens hæc beatus Andræas flere cæpit & ait. Non comedam donec sciam si Dominus miserebitur huius senis. Cũque dies quinque ieiunasset venit vox ad Andræam dicens. Obtines Andræa pro sene, sed sicut ieiunijs macerasti te, sic se affligat vt saluetur. Sicque fecit, & sex mensibus in pane & aqua ieiunauit, & post in pace quieuit. Venit ergo vox ad Andræam dicens: Per orationem tuam Nicolaum quem perdideram, acquisiui. *In aurea legenda sub titulo de sancto Andræa.*

B. Campana luxuria perquam vtilis nostræ ciuitati fuit. Inuictum enim armis Hannibalem illecebris suis cõplexa vincendum Romano militi tradidit. Quid ergo his vitijs fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur, adeo vt nescias ab hostibus ne, an ab illis capi sit perniciosius habendum? *Valerius libro nono, cap. primo. Liuius libro* 27.

C. Vrbs Volsmiensium erat opulenta, erat moribus & legibus ordinata, Etruriæ caput habebatur, sed postquã luxuria prolapsa est, in profundum iniuriarum & turpitudinis decidit, vt seruorum se insolentissimæ dominationi subijceret, qui primum admodum pauci senatorium ordinem intrare ausi, mox vniuersam Rempublicam occupauerunt, testamenta ad arbitrium suum scribi iubebant, conuiuia cætusque ingenuorum fieri vetabant, filias dominorum in matrimonium ducebant, postremo lege sanxerunt vt stupra sua in viduis pariter atque innuptis impunita essent, ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non ante vnus ex numero ipsorum aliquis delibasset. *Ibidem Valerius Florus libro primo, capite vigesimo. Orosius q. c.* 5.

Age Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eousque luxuria gaudebat, vt edicto præmium ei proponeret, qui nouum voluptatis genus reperisset, quanta, dum delicijs nimijs capitur, amplissimi imperij ruina euasit? *Ibidem Valer. Tullius Tusc.* 5. D.

Consentaneus Regibus suæ gentis Ægyptiæ populus, qui ductu Archelai, aduersus Aulum Gabinum vrbis mænibus egressus, cum castra vallo atque fossa cingere iuberetur, vniuersus subclamauit, vt id opus pecunia publica faciendum locaretur. Quapropter delicijs tam enerues animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt. *Ibidem Valer. Iustin. lib.* 78. *Liuius* 59. E.

Effæminatior tamen multitudo Cypriorum, qui Reginas suas mulierum corporibus velut gradibus constructis, quo mollius vestigia pedum ponerent, currus conscendere equo animo sustinebant. Viris enim (si modo viri erant) vita carere, quã tam delicato imperio obtemperare satius fuit. *Valerius ibidem.* F.

Auarus luxuriosusque populus Romanus secundis rebus effectus est, quas Nasica ille Scipio cauendas esse censebat, quando ciuitatem hostium maximam, fortissimam, opulentissimamque Carthaginem auferri nolebat, id est deleri, vt timore libido premeretur, pressa non luxuriaretur, luxuriaque cohibita, nec auaritia grassaretur: quibus vitijs obseratis, ciuitati vtilis virtus floreret & cresceret, eique virtuti libertas congrua permaneret. *Augustinus primo de ciuitate Dei* 31, *Liuius l.* 48. G.

Hinc

H. Hinc etiá erat, & ex hac prouidentissima patriæ charitate veniebat, quod idem ipse vester Pontifex Maximus, scilicet Nasica Scipio, (alloquitur Romanos) á senatu illius téporis, quod sæpe dicendum est, electus, sine vlla sententiarum discrepantia vir optimus, caueam theatri senatum construere molientem ab hac dispositione & cupiditate compescuit, persuasitque oratione grauissima ne græcam luxuriam virilibus patriæ moribus paterentur obrepere, & ad virtutem labefactandam, eneruandamque Romanam peregrinæ consentire nequitiæ, tantaque authoritate valuit, vt verbis eius commota senatoria prouidentia, etiam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo iam vti ciuitas cæperat, deinceps prohiberet apponi. *Et infra.* Nec enim censebat ille fælicem esse Rempublicam stantibus mænibus, ruentibus moribus. *Augustinus primo de ciuitate Dei capite trigesimo-primo.*

I. Quorundam Episcoporum in defensione veritatis persistentium, Wandalorum Rex raptus furore, linguas radicitus amputari fecit. Res mira, quia ita post pro defensione veritatis sine lingua loquebantur, sicut prius loqui cum lingua consueuerant. Hi itaque profugi ad Constantinopolitanam vrbem venerunt, quorum illic vnus in luxuriam lapsus, mox priuatus est dono miraculi, recto, scil. Dei iudicio, vt qui carnis continentiam seruare neglexerat, sine lingua carnea non haberet verba veritatis. *Greg. in Dialogis libro tertio, capite trigesimo-secundo.*

K. Quidam Patrum dixit quia oculi porci naturale habent figmentum, ita vt nec necessitate intendant in terram, nec aliquando possint respicere ad cælum. Sic ergo & animus eius qui in dulcedine voluptatũ delectatur semel delapsa in luxuriæ cœnum, difficilè potest respicere ad Deum aut sapere aliquid dignum Deo. *In vitis Patrum libro decimo-octauo, parte quinta.*

L. Titillabat diabolus sensus Sancti Hilarionis iuuenis, & pubescẽti corpora insolita voluptatum incendia suggerebat. Iratus itaque sibi tyrunculus Christi. Ego inquit, aselle faciam vt non calcitres, nec te ordeo alam, sed paleis fame conficiam & sitis graui onerabo pondere, per æstus iudicabo & frigora vt cibum potius quam lasciuiam cogites. Herbarum ergo succo & paucis caricis id est ficubus, triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat, orans frequenter & psallens, & rostro humum fodiens, vt ieiuniorum laborem etiam labor operis duplicaret. *Hieronymus in vita S. Hilarionis.*

M. In vitis Patrum legitur de quodã Angelo in specie hominis apparente, quod obturauit nares suas ad aspectũ cuiusdam luxuriosi. *Gulielmus Lugd. in summa de vitijs, in tractatu Luxuria, rubrica prima.*

N. Childericus Rex Franciæ propter insolentem & luxuriosam vitam de regno expulsus à suis, octo annis mãsit apud Basinum Regem Thuringorum. *Martinus Polonus in Chronico. Sigebertus ad annum* 461.

Item, vide Abstinentia. a k. Benedictus. b. Tyrus. a. Continentia. a. Conuiuiũ b. Corporale. a. Libido. Principatus s i. Roma. a d. Sardanapalis. a. b.

S. MACARIVS.

A. Macario conuersionis occasio homicidiũ fuit, nã dum puer esset & oues pasceret circa maritimã palu-

in paludem ludens quendam coætaneum peremit, & præ metu fugiens in solitudinem tribus annis sub diuo est moratus, postea paruum hospitium sibi fecit in quo viginti-quinque annis vixit. Plures eum audierunt gratias referre illi calamitati, saluciferum vocare homicidium non sponte commissum, quod ei beatitudinis causa prouenerat. *In Tripartita historia libro octauo, capite primo.*

MAHOMETVS.

A. TRadunt Sarraceni quod idolum, quod Salencedis dicitur, Mahometus dum viueret suo nomine fabricauit, & quandam legionem dæmonum arte magica in eo sigillauit, quæ legio fortiter illud idolum obtinet, quia à nullo vnquam frangi potuit. Cum autem aliquis Christianus ad illud appropinquat, statim periclitatur. Sed si aliquis Sarracenus causa adorandi vel deprecandi Mahometum accedit, recedit incolumis: si forte super illud auis quælibet se deposuerit, ilico moritur. *Turpinus in histo. Caroli, & ponitur in spec. hist. lib. 25. cap. 7.*

B. Mahometus de vtroque testamento quædam legibus suis inseruit, vnde secundum ritum Iudæorum circumciduntur Sarraceni, carnes porcinas non comedunt, cuius rationē cum vellet assignare dixit, quod ex fimo Cameli porcus post diluuium procreatus fuerit, & ita tanquam immundus à mundo populo est vitandus. Cum Christianis autem conueniunt, quod credunt vnum solum Deum omnipotentem. Asseruit etiam quædam vera falsis miscens, quod Moyses fuit magnus Propheta, & Christus maior, & summus Prophetarum, natus ex Maria Virgine, ex virtute Dei absque semine hominis. Ait quoque in suo Alcorano, quod Christus dum adhuc puer esset, de limo terræ volucres cæli procreauit, sed venenum immiscuit, quia Christum non verè passum nec resurrexisse dixit, sed alium quendam hominem sibi similem. Deinde recitantur plures leges & mandata Mahometi quibus Sarraceni vtuntur. *In aurea legenda sub titulo de Sancto Pelagio Papa.*

Vide histor. Orient. Iacobi à Vitriaco cap. quinto, libro primo, & Sigebertus ad annum 610.

MAGDALENA.

A. QValibet die Magdalena in septem horis canonicis ab Angelis in æthera eleuabatur, & cantus gloriosos audiebat. Vnde diebus singulis, his suauissimis laudibus satiata, & inde per eosdem Angelos ad locum proprium reuocata, corporalibus alimentis nullatenus indigebat. Die autem quadam Dominus cuiusdam Sacerdotis solitarij propè dictum locum manentis, oculos aperuit, & corporalibus vidit qualiter Angeli ad prædictum locum descendebant, & eam in æthera eleuabant. *In legenda Lombardica sub titulo de Magdalena.*

MAGIA.

A. PRæstigium Mercurius dicitur inuenisse, quod ex eo sic dicitur, quod aciem præstringat oculorum, fuitque Magorum peritissimus, vt quascunque res vellet, faceret

inuisibiles, aut vt videbatur, in alias species transformaret. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro primo, cap. nono.*

B. Erga virginem Dei, vicinus iuuenis deperibat, qui cum frequenter, tactu, iocis, nutibus, quæ solent morituræ virginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphis, vt confesso vulnere suo magicis artibus rediret armatus ad virginem. Ergo post annum doctus ab Æsculapij vatibus venit præsumptum animo stuprum gestiens & subter limē domus puellæ quædam tormenta verborum & portentuosas figuras sculptas in æris Cyprij lamina defodit. Ilico insanire virgo, & amictu capitis reiecto rotare crimen, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis cœpit. Magnitudo quippe amoris se in in furorem verterat. Perducta ergo ad monasterium seni traditur, scili. Sancto Hilarioni, qui reddita virgini sanitate increpauit eam cur fecisset talia per quæ in eam dæmon potuisset intrare. *Hieronymus in vita S. Hilarionis.*

C. Ægyptius quidam cum amore alienæ vxoris arderet, nec ad effectum concupiscentiæ peruenire posset, eo quod illa suum coniugem nimis amaret, maleficum precatus est vt ab ea amari se faceret, qui multis illectus muneribus solito suæ artis ingenio fecit illam equam videri. Itaque vir eius turbatus quod equam in lectulo suo iacentem videret flebat, eo quod illam alloquens nullum audire responsum poterat. Adductis ergo presbyteris quid illa pateretur ostendit, & nec sic quidem calamitatis causam agnouit. Illigatam ergo eam in morem iumenti ad deserta deduxit: Cumque iam Ecclesiæ Sancti Macarij Ægyptij genere & Sacerdotis propinquaret, monachi arguebant eum cur ad monasterium cum equa veniret. Vxor, inquit, mea hæc fuit, sed in equam conuersa, iam tertia dies est ex quo cibum non sumpsit. Quod cum Macario retulissent. Vos inquit, equi estis, & equorum oculos habetis. Illa namque mulier est, nec in illa natura transfigurata videtur, nisi in eorum oculis qui præstigij vanitate falluntur. Mox aquam benedictam ei infundens, oratione completa, subito eam omnibus fœminam videri fecit, eamque refici iussit, & cum viro suo reuerti dicēs: Hæc idcirco perpessa est, quia per quinque septimanas mysteria diuina non attigerat. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus, & in vitis Patrum de duobus Macarijs.*

D. Aliquando Macarius Alexandriæ presbyter, videre desiderauit hortum in quo sepulti essent Iannes & Mambres Magi Pharaonis, qui longo tēpore quadratis lapidibus opus illud extruxerant, & varijs arbusculis locum repleuerant, puteum quoque fecerant, quia post mortem illic se vt in paradiso mansuros crederent esse. Deinde narratur qualiter cum magno labore ad illum locum accessit, & in eius aduētu septuaginta dæmones de horto illo prosilierunt clamantes ac sibi dicentes, Quid vis Machari quod nostras regiones ingrederis. Quid hanc possessionem irrumpere cupis, in quam nunquam homo viuens ingressus est? Sanctus respondit. Ingrediar tantum vt videam, & continuo discedam. Ingressus ergo cum locum vidisset per viginti dies, ad cellam suam reuersus est, *Ibidem.*

E. Dixit Abbas Serenus, quoniam vt antiquæ traditiones ferunt, Cham filius Noe qui superstitionibus istis tam sacrilegis ac magicis erat institutus,

iustus, sciens nullum se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre in quam erat cum Patre iusto & sanctis Fratribus ingressurus sceleftas artes ac prophana commenta diuersorum metallorum laminis quæ scilicet aquarum corrũpi inundatione non possent durissimis lapidibus insculpsit, quæ peracto diluuio perquirens perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros. *In collation. Patrum collatione septima, capite vigesimo primo.*

Item, vide Maleficia. a b. Mirabile. a c. a n. a p. b b. b m. Simon Magus. a.

MAGNANIMITAS.

Vide Alexander. m.

MAGNES.

Vide Mirabile. a z. a. a o. b n.

MAGNIFICENTIA.

Vide Liberalitas. a. b. c.

MALEDICTIO.

A. IN oratorio dum vir Dei Florentius solus habitaret, simplicem ducens vitam, à Deo petijt, vt ei illuc ad habitandum aliquid solatij largiretur, qui post orationem, oratorium egressus, ante fores vrsum reperit stantem, nihil feritatis in suis motibus demonstrantem, & quia in eadem cella pecudes quatuor vel quinque remanserant relictæ à viro Dei Eutichio, eidem vrso præcepit dicens: Vade & has oues ad pastum eijce, ad sextam vero horam reuertere. Cæpit hoc itaque indesinenter agere: cum vir Dei ieiunare voluisset ad nonam horam, præcipiebat vrsum cum ouibus reuerti, cum vero noluisset, ad sextam. Cumque hoc diutius ageretũr, cæpit longè tãtę virtutis fama crebrescere. Sed quatuor discipuli Eutichij inuidentes quod eorum magister signa non faceret, eundem vrsum insidiantes occiderunt. Die vero altera perrexit vir Dei ad agrũm, vrsum pariter omnesque quæsiturus, quem occisum reperit, sed sollicitè inquirens, citius à quibus fuerat occisus, inuenit. Tunc sese in lamentum dedit, fratrum magis malitiam, quam vrsi mortem deplorans, quem Eutichius consolari studuit, sed ille magno dolore accensus, imprecatus est dicens: Spero in Domino, quia in hac vita ante omnium oculos ex malitia sua vindictam recipiant. Cuius vocem protinus vltio diuina sequuta est. Nam illi quatuor elephantino morbo percussi sunt vt membris putrescentibus interirent. Quod factum vir Dei Florentius expauit, seque ita fratribus maledixisse pertimuit, omni enim vitæ suæ tempore flebat. *Gregorius in Dialogorum libro tertio, capite decimo-quinto.*

MALEFICIVM.

SAncto Iuliano dixit Martianus Tyrannus. In nomine Christi quẽ colis, extinctum oculum militi restitue, sed ne hoc magicis artibus exerceas, iubeo te lotio perfundi, per quod omnia maleficia noscuntur fugari. *In spec. Hist. lib. 13. cap. 110.* A.

B. Anno Henrici tertij Imperatoris, erant duæ auiculæ in via strata qua Romam itur, in vno tugurio commorantes, vno imbutæ maleficio, quæ hospitem, si quando solus superueniebat, in equum, aut asinum, aut suem mutabant. *In speculo histor. lib. vigesimo-sexto, capite vigesimo-nono.*

MANSVETVDO.

Vide Remigius a. Roma. b.

S. Marcvs Evangelista.

A. Tantæ humilitatis fuisse dicitur Marcus Euangelista, vt pollicem sibi amputauerit, ne ad sacerdotium posset promoueri, veruntamen dispositio Dei, & authoritas Sancti Petri prævaluit, qui ipsum Alexandriam Episcopum destinauit. *In aurea legenda sub titulo de Sancto Marco.*

Imprudenter, id quod ab Anachoreta quodam factum esse constat, Marco Euangelistæ tribuitur. At grauis illius historiæ auctor non extat, neque verosimile est id eum diuino afflatu impulsum id fecisse. Cum enim à Spiritu Sancto ad Sacerdotium vocaretur, quomodo potuit ab eodem Spiritu, vt Sacerdotium declinaret, ad pollicis præcisionem permoueri? Circumfertur quidam prologus in Euangelium Marci, sub nomine beati Hieronymi, in quo perhibetur Marcum sibi pollicem præsecuisse, vt Sacerdotio ineptus foret. Sed ille prologus non est Hieronymi, sed incerti auctoris. Eiusdem historiæ meminit Petrus Blesensis epist. 127. Petrus de Natalibus in catal. sanct. lib. 4. cap. 86. & Claudius de Rota: imo & S. Thom. 2.2. q. 185. a. 2. ex prologo D. Hieronymi super Marcum, qui tamen non est genuinus Hieronymi fœtus.

B. Petrus Damianus de beato Marco sic ait: Tantam ei Deus apud Alexãdriam gratiam dedit, vt omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox ad eiusdem perfectionis fastigia peruolarent. *Vbi prius.*

Mare.

A. Circa annum trecentesimum quinquagesimum quintum ab vrbe condita, grauissimo motu terræ Sicilia concussa est. Tunc etiam Actalante ciuitas Locris adhærens, terræ contigua, repentino maris impetu abscissa, atque in Insulam desolata est. *Orosius de orchestra mundi lib. secundo, capite 18.*

B. Anno Domini 368. terræ motu per orbem facto, mare littus exijt, & Siciliæ multarumque vrbium innumerabiles populos oppressit. *Hieronymus in Chronicis.*

C. Anno Domini 1136. mare terminos suos egressum inopinatè partē Flandriarum cum habitatoribus submersit. *In spec. hist. lib. 28. cap. 13. Simile constat accidisse in Flandria 1376. circa medium Octobris.*

S. Margareta.

A. S. Margareta impetrato à persecutore orandi spatio pro se, & suis persecutoribus, & pro eius memoriam agentibus orauit, addés vt quæcunque in partu periclitans se inuocaret, illæsam prolem emitteret, factaque est vox de cælo, quod in suis se nouerit petitionibus exauditam. *In aurea legenda sub titulo de Beata Margareta.*

Maria.

A. Adeo fuit Maria in matris vtero beata & sanctificata quod non solum inclinatiuum ad peccatum in ea penitus non remansit, sed etiam virtus eius sanctitatis & castitatis vsque ad alios extendebatur. Maria pulcherrima fuit, à nullo tamen vnquam potuit concupisci, & ratio est, quia virtus eius castitatis aspicientes penetrabat, & concupiscentiam in eis expellebat. Vnde comparatur myrrhæ, quia sicut illa ver-

S. Ambr. l. de inst. virg. c. 7. vbi sic inquit de B. V. M. Tãta erat eius gratia, vt nõ solum in se virginitatem seruaret,

Sibi velamen si quos inuiserat, integritatis infigne conferret. *d. 3. 1. p. art. 2. q. 1.*

la vermes interficit, sic eius sanctitas concupiscentias carnales. In eam sententiam scribit Bonauentura *super tertium sententiarum*, vbi quæritur verum beata virgo in prima sanctificatione totaliter à peccato originali & à fomite purgata fuerit, in solutione cuiusdam argumenti. *D. Thom. in 3. distinct. 1. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. Alex. Alensis 1. p. quæst. 9. membro 1. art. 1. vbi docet hoc donum supernaturale fuisse, cum id à forma naturali præstari non potuerat.*

B.

Lege Sebastianũ Poillardum qui gallico idiomate luculẽter euulgauit historiam V. Carnotensis.

Cum Dux Normannorum vrbem Carnotensem obsedisset, Episcopus vrbis tunicã beatæ Mariæ more vexilli imposuit hastæ, & sequente populo securus ad hostem exiuit, statimque hostilis exercitus amentia & cæcitate percussus est, stabatque toto corpore tremulus. Tunc illi atrociter hostes cædunt, quod beatę Virgini displicuisse probatur, ex eo quod protinus tunica illa disparuit, & visum continuo hostis recepit, & Carnotenses occidit. *Vbi supra in aurea legenda.*

C.

P. Bles. ser. 20. egregiè disserit de causa huius inguinaria pestis. Paulus Diacon. de gestis Longob. l. 3. c. 11.

Plaga inguinaria ex infectione aeris Romæ sæuijt, ita vt corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos percutere viderentur, quæ & Pelagium Papam perculit, & in tantum lues illa desæuijt vt quadam die vna hora octoginta homines spiritum exhalarent, propter quam fugandam Gregorius litanias instituit. Quodam ergo Paschali tempore pro peste fuganda processionem cum lachrymis per ciuitatem fieri ordinauit, in qua imaginem beatæ Virginis, quam Lucas arte medicus ac pictor formasse dicitur, portari fecit, & ecce tota aeris infectio cedebat imagini, ac si ipsam imaginem fugeret, & iuxta imaginem auditæ sunt voces Angelorum canentium Regina cæli &c. Tunc Gregorius adiunxit. Ora pro nobis Deum alleluia, Statimque vidit super castrum Crescentij Angelum Domini, qui gladiũ detergens in vaginã reuocabat. Vnde & castrum, castrũ Angeli vocatum est deinceps. *In aurea legenda sub titulo de sancto Gregorio. Ioannes Diacon. in vita B. Greg. libro primo, capite decimo-septimo. Card. Baron. tomo octauo, pag. 6.*

S. Greg. lib. 11. ep. cap. 12.

D.

Miles quidam nobilis ordinis Cisterciensis monasterium intrauit, qui licet literas nesciret, tamen propter nobilitatem suam inter monachos est positus, qui quamuis magister ei datus esset ad docendum literas, nihil discere potuit nisi tantum hæc duo vocabula, Aue Maria, quæ tam auidè retinuit, vt quocunque deambularet, ruminaret. Tandem mortuus est, & cum alijs monachis est sepultus, & ecce super tumulum eius speciosum excrescit lilium, in cuius quoque folijs Aue Maria literis aureis est inscriptum. Currentes monachi, & terram de tumulo effodientes radicem lilij ex ore defuncti procedere repererunt. Intellexerunt ergo cum quanta deuotione illa duo verba dicebat, quem Dominus tanti honore prodigij illustrauit. *In aurea legenda sub titulo de Annunciatione Dominica. Cantiprat. lib. secundo, capite vigesimo-nono.*

E.

Erat quidam monachus lubricus, sed virgini valde deuotus, quadam ergo nocte ad scelus assuetum pergens & coram altari transiens beatam Virginem salutauit. Sic ergo de Ecclesia exiens dum quendam fluuium vellet trãsire, in aquam decidens expirauit, cuius animam cum dæmones rapuissent, beata

Virgine faciente, placuit Deo, vt anima ad corpus rediret, & de suis actibus pœniteret. *In aurea legenda de Assumptione beatæ Virginis.*

F. Quædam mulier à dæmone sibi visibiliter in forma apparente humana, multas molestias sustinebat, multaque remedia nunc aquæ benedictæ aspersione, nunc hoc, nunc illud adhibebat, sed nec sic ille cessabat. Quidam autem vir sanctus sibi consuluit, vt cum ad eam accederet, illa eleuatis manibus, Sancta Maria adiuua me; protinus exclamaret. Quod cum illa fecisset, diabolus euanuit. *Vbi supra.*

G. Beata Virgo hanc regulam statuerat, vt à mane vsque ad tertiã orationibus insisteret. A tertia vsque ad nonam textrino operi vacaret. A nona ab oratione non recedebat, quousque Angelus apparens ei, escam daret. *Hieronymus in epistola ad Cromatiũ & Heliodorum. Et recitatur in aurea legenda sub tit. de Nat. B. Mariæ.*

H. In Cilicia anno Domini 537. fuit quidam Theophilus Vicedominus cuiusdam Episcopi, qui ab eodem de dicto officio est depositus. Ille ob hoc desperans, & diabolum aduocans, iussu ipsius Christum & matrẽ eius abnegans, christianæ professioni abrenunciauit, & chirographum abrenũciationis proprio sanguine scripsit, & annulo signauit. In crastinum ergo Theophilus in gratiam Episcopi recipitur procuratione dæmonis, postea ad beatam virginem confugiens, ab ea est redargutus, & ad præceptum ipsius renuncians diabolo, & Christum confitens, filio & matri est reconciliatus, & ad iudicium veniẽs diabolus chirographum reddidit, quo recepto exultans coram Episcopo omnique populo, quid sibi acciderat, retulit, & cunctis mirantibus & gloriosam virginem laudantibus, post triduum in pace quieuit. *In aurea legenda de Natiuitate beatæ Mariæ, ex Vincentio Beluacensi lib. vigesimo-primo, cap. 69. & 70. & apud Sigeb. in Chron. ad annum 117.*

Mulier Iudæa in partu laborans angustiabatur ad exitum. Interea dũ agonizaret, subito lux cælitus emissa super eam emicuit, & vox pariter intonuit dicens: Inuoca matrem Iesu, & liberaberis. Inuoca nomen Mariæ, & salua eris. Ergo luce foris subtracta, sed virtute verbi intus radiata mulier fideliter nomen Mariæ inuocans, statim fælici partu filium edidit, carens omni dolore. *In spec. hist. libr. 8. cap. 99.* I.

K. In monasterio beati Vincentij statutum erat, & per triennium iam seruatum, vt cum horis canonicis beatæ Virginis officia dicerentur, de quo cæpit murmurare monachus quidam Gazo nomine reprobæ vitæ, sed accuratæ facundiæ, & obtinuit, vt illæ omitterentur, moxque innumeræ aduersus monasterium exortæ sunt aduersitates. Itur ad Imperatorem Teutonicum, sed frustra, venitur ad me, dico eis hoc accidisse, quia matrem pacis à se abiecerunt, & mox in terram prostrati nuncij dicunt se nunquam de cætero laudes beatæ Virginis dimissuros. Sic in breui postea pacem recuperauerunt. *Petrus Damiani epist. 6. epist. 32.*

L. Magistro Richardo Normanno viro literato & pio narrante cognoui quendam in Germania valde flagitiosum fuisse, quem inimici sui in decliuio montis cuiusdam peremerunt, cuius caput, trunco corporis in loco manente, in vallem deuolutum est clamans horribiliter per hæc verba: Virgo Sancta Maria da veram cõfessionem. Hæc non paucis horis capite

pice clamante, vnus inimicorum pro Sacerdote cucurrit in villam. Venit ille, sed appropinquare non est ausus, nisi relatum caput suo corpori compaginaretur, quo facto accessit presbyter, & loquente capite confessionem illius audiuit. In fine ergo confessionis inquirit, dicens: Miror in miraculo de te facto. At ille, causa, inquit, huius miraculi est. Audiui adhuc iuuenis quod quicunque feriam quartam, vel sabbathum in honore gloriosæ virginis Mariæ ieiunaret, veram confessionem, ante mortem obtineret. Quod vt audiui, in omni vita ieiunium dictum obseruaui. Hoc audito Sacerdos miratus est, & statim vt hæc dicentem & confitentem absoluit, spiritum occisus efflauit. *Hæc scribuntur in libro 2. Thomæ Cantipr. de apibus cap. 29.*

Nota ergo lector, me non credere necessariam super hoc esse regulam, vt virgo Maria hoc omnibus impetret, qui prædictis feriis velint ieiunare: quanquam gloriosa virgo in isto peccatore tale voluerit miraculum demonstrare, vt sedulos dilectores suos iuuandos à se, & honorandos comprobaret. Regula, cuius meminit Cantipratanus, hæc est, quod quicunque quartam feriam aut Sabbathum ieiunio transegerit in honorem gloriosæ virginis Mariæ veram Confessionem ante obitum, Deiparæ precibus obtinebit. Similia quædam de alijs sanctis & speciatim de beata Barbara leguntur, quod deuoti illius cultores ante mortem, Sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ, participes efficientur, vnde in Francia & locis finitimis S. Barbara mater confessionis vocitatur. At rectè docet Cantipratanus tales traditiones non esse perpetuas aut infallibiles, ne se hac ratione decipiant illi qui sceleratè viuunt. Hac de re agens prima Synodus prouincialis Cameracensis celebrata anno 1565. statuit abominandam esse eorũ vanitatem ac superstitionem, qui certo pollicentur, non morituros sine pœnitentia & Sacramentis eos qui hunc illumue ex diuis coluerunt. Hæc ex notis D. Georgij.

Item, vide Scriptura. a.

S. MARIA ÆGYPTIACA.

Vide Crux. c.

S. MARTINVS.

IN Ecclesia nemo beatum Martinum sedere conspexit. Verba sunt Galli Martini discipuli. *Seuerus in Dialogis lib. 2. cap. primo.* A.

Sedebat Martinus in cellula rusticana, quas nos Galli tripetias nuncupamus. *Ibidem.* B.

Quadam die ad Ecclesiam Martino eunti seminudus pauper occurrit orans sibi vestimentum dari. Tunc ille accersito Diacono iussit eum vestiri, deinde secretarium ingressus cum solus ibi sederet, hoc secretum beati viri pauper ille captatum, cum Archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatum se à clerico quærens. Nec mora sanctus paupere non vidente intra ansibalum sibi tunicam latenter eduxit, pauperemque discedere iubet. *Ibidem.* C.

Animaduerti sæpe Sulpici, Martinum tibi dicere solitum, nequaquã sibi in episcopatu virtutum gratiam suppetisse, quam prius se habuisse meminisset. *Ibidem cap. 5.* D.

Multa illius signa gesta antequam Episcopus esset innotuere mundo, sed innumerabilia esse dicuntur, quæ dum iactantiam vitat, occultauit, nec in hominum noticiam passus est peruenire. *Ibidem.* E.

Valentinianus Martino multa munera obtulit, quæ beatus vir cuncta reiecit. *Ibidem.* F.

Quodam tempore canes leporem sequebantur, cuius periculum vir G.

beatus

beatus pia mente miseratus iubet canibus vt sequi desisterent, qui continuo constiterunt, & ita lepus euasit incolumis. *Ibidem.*

H. Ouem recenter tonsam forte Martinus conspexerat, Euangelicum, inquit, mandatum ista compleuit: Duas habuit tunicas, vnam earum largita est non habenti. Ita ergo & vos facere debetis. *Ibidem.*

I. Clodouæus Francorum Rex, ducens Francorum exercitum contra Gothos Arrianos tunc Pictauiam occupantes, cum esset in itinere, direxit nuntios ad beati Martini basilicam, & equum suum quem amabat, plurimum misit, & ait: Si tu Domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam meis manibus tradideris, in ingressu basilicæ sancti Martini digneris mihi reuelare. Venientibus autem pueris eius, cum ipsa limina introissent, primicerius Ecclesiæ hanc Antiphonam imposuit, dicens: Præcinxisti me virtute ad bellum &c. quam vocem psallentium vt audierunt, Domino gratias agentes, dimissis muneribus cum lætitia nuntiauerunt Regi: Veniente ergo Rege apud Pictauos, decimo miliario ab vrbe Pictaua, fortiter dimicauit cum Alarico Rege. Gothi vero terga verterunt. Clodouæus victor Turonem reuersus, munera multa basilicæ beati Martini obtulit, equum autem suum recipere voluit, datis pro ea argenti solidis centum, quibus datis equus ille nullatenus se mouit. At ille ait: Date alios centum. Statim ergo solutus abijt. Tunc lætus Rex ait: Verè Martinus bonus est in auxilio, sed carus in negotio. *Greg. Turon. in gestis Francorum libro secundo, capite decimo-septimo.*

Sigeb. in Chronic. ad annũ 509.

K. Beatus Martinus vno tantum seruo contentus, versa vice ei seruiebat, & calciamenta detrahens, cibum vna capiens ministrabat. *Seuerus in eius vita.*

L. Nihil sibi ex militiæ stipendijs præter victum quotidianum reseruabat. Cum iam nihil præter arma & vestem simplicem militiæ haberet, obuiam habuit in porta Ambianensium pauperem nudum. Cum nihil præter clamydem haberet, arrepto ferro quo accinctus erat, mediã diuidit, partem eius pauperi tribuit, reliqua induitur. Nocte ergo sequenti, cum se sopori dedisset, Christum vidit chlamydis qua pauperem texerat, parte vestitum, ipsumque ad astantes Angelos sic loquentem audiuit. Martinus adhuc cathecumenus hac me veste contexit. *Ibi.*

M. Martinus relicta militia cum ad parentes suos rediret, inter Alpes incidit in latrones, cumque vnus securim in caput eius vibrasset, ictum ferientis dextræ sustinuit, alter tantum iunctis post tergum manibus vni eorum custodiendus traditur. Percunctanti latroni an timuisset, ait se nunquam ita fuisse securum, sciẽs Dei misericordiam maximè in tentationibus affuturam. *In aurea legenda & in Sulpitio.*

N. Modicum postquam in monasterio iuxta Pictauum fuerat, collocatus, duos mortuos suscitauit, vnum cathecumenum qui absque baptismo decesserat, qui quidem suscitatus, solitus erat dicere, se corpore exutum ad tribunal iudicis ductum, & deputandum obscuris locis, tristẽ excepisse sententiam, sed tunc per duos Angelos Iudici fuisse suggestũ, hunc esse pro quo Martinus oraret, & ita per eosdem Angelos iussum reduci, & vitæ pristinæ restitutum. Non multum post alium ad vitam reduxit, qui sibi laqueo vitam extorse-

teferat. *Ibidem.*

O. Factus Episcopus extra vrbem monasterium construxit vbi cum octoginta discipulis in multa abstinentia vixit, nam nemo ibi viuum nouerat, nisi quem infirmitas coegisset, plerique camelorum setis vestiebantur, pluresque ex his postea Episcopos vidimus, nec erat ciuitas aut Ecclesia quæ non sede Martini monasterio cuperet habere Sacerdotem. *Ibidem.*

P. Cum quidam sub nomine martyris coleretur, & à Martino, nil de eius vita, vel merito inueniri posset, quadam die super sepulchrum orauit Dominum, vt quis esset, aut cuius meriti indicaret. Tunc conuersus ad læuam, vidit vmbram nigerrimam stare, qui cum à Martino adiuratus esset, dixit se fuisse latronem, & ob scelus percussum, nihilque sibi cum martyribus esse commune, cum illos gloria, se pæna teneret. Continuo ergo iussit altare destrui. *Ibidem.*

Q. Cum ad Imperatorem Maximum bellorum ciuilium victorijs elatum, plures è diuersis partibus confluerẽt Episcopi, & fœda circa Principẽ omnium adulatio notaretur, seque degeneri incõstantia, Regi clientelæ sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica authoritas permanebat. Nam & si pro aliquibus supplicandũ Regi fuit, imperauit potius quam rogauit. *Seuerus in libro prædicto.*

R. Cum ad conuiuium ab Imperatore vocatus, sellula iuxta Regem posita consedisset, ad medium fere cõuiuij, vt moris est, pateram Regi minister obtulit. Ille autem sancto Episcopo potius dari iubet, expectans & ambiens vt ab illius dextera poculum sumeret, sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum existimans digniorem, qui post se prior biberet. Quod factum Imperator, omnesque qui aderant ita admirati sunt, vt hoc ipsũ eis in quo contempti fuerant, placeret. *Ibidem.*

S. Quadam die diabolus in forma Regis, purpura, diademate, & aureis caligis, ore sereno, lætaque facie ipsi apparuit. Cumque diu ambo tacuissent. Agnosce, inquit, Martine, quẽ tu colis. Ego sum Christus descensurus ad terras, sed prius me tibi manifestare volui. Cum autem Martinus admirans taceret, ait: Martine quid dubitas credere, cum me videas. Tunc ille reuelante Spiritu sancto ait. Dominus Iesus Christus non se purpuratum, nec diademate renitentem venturum esse prædixit: Ego Christum nisi in eo habitu & forma qua passus est, & Crucis stigmata præferentem, non credam venisse. Ad hanc vocem disparuit, & totam cellulam fœtore repleuit. *Ibidem.*

T. Eo die quo Martinus obijt, Ambrosius Episcopus missam celebrans Mediolani, super altare inter prophetiam & epistolam obdormiuit, & cum excitare eum nullus præsumeret, & Subdiaconus nisi ipso annuente epistolam legere non auderet, transactis duarum aut trium horarum spatijs, excitauerunt eum dicentes: Iam hora præterijt, & populus lassus expectat. Iubeat Dominus vt clericus epistolam legat. At ille: Nolite turbari fratres. Frater enim meus Martinus ad Dominum migrauit, & ego eius funeri obsequium præbui, sed vltimam orationem vobis excitantibus complere non potui: Tunc illi diem & horam notan-

tes, inuenerunt beatum Martinum ad cælum migrasse. *Vbi supra.*

V*. Duo socij erant, vnus cæcus & alter contractus. Cæcus contractum ferebat, & contractus cæco viam demonstrabat, sicque mendicantes multam pecuniam acquirebant. Audientes vero quod ad corpus beati Martini multi sanabantur, timere cœperunt, ne fortè per stratam in qua manebant corpus portaretur & sic sanarétur. Exeuntes ergo de illa strata corpori sancto in alia strata obuiantes contra eorum voluntatem sunt curati. *Ibidem.*

X. Cappam eius (*vt ait Ioannes Beleth*) Reges Franciæ in prælijs portare cõsueuerunt, vnde ipsius cappæ custodes, Cappellani dicebantur. *Vbi supra. Durandus libro secundo ration. capite decimo, numero octauo. Vide Baron. ad 11. Iunij.*

Item, vide Dæmoniacus h. Hospitalitas e.

MARTYRIVM.

A. PRudentius qui claruit tempore Theodosij senioris, Vincentium Daciano sibi supplicia comminanti respondisse ait: Tormenta, carcer, vngulæ, stridensque flammis vngula atque ipsa pænarum vltima mors Christianis ludus est. *In legenda sancti Vincentij.*

B. Nullus dies est, excepto die Kalendarum Ianuarij, qui non intra quingentorum numerum possit reperiri ascriptus. *Hieronymus in quadam epistola ad Chromatium.*

Antiquo iure Romanorum non tantum Calendis Ianuarij, sed etiam reliquorum mensium Calendis, ceterisque ferijs, Romanus Magistratus à qualibet læsione abstinuit. Nam ipsis ferijs vim alicui, licet ex lege, inferre, piaculare erat, vt constat ex Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 15. & tamen illis diebus innumeros Christianos extremo affectos supplicio Martyrij lauream retulisse vel ex ipso Suetonio patet in Tiberio cap. 61. Deinde D. Greg. l. 7. indict. 1. epist. 29. nullam excipit diem, qua non celebrentur martyrum natalitia, imo omnia reclamant martyrologia alteri sententiæ, quæ beati Hieronymi patrocinium sibi immeritò vendicat, cum illa ad Chromatium epistola non sit germanus Hieronymi fætus. Vide Card. Baron. præf. in Martyr. Rom. c. 7. & ad diem primam Ianuarij.

Accidit quendam natione Phrygem, primo quidèm bestias cæteraque tormenta sponte lacessere, sed tempore quo Polycarpus & cæteri Christiani pro fide Christi ad supplicia trahebantur, dehinc fractis animis cedere; quæ res eum ad martyrium procacia potius & temeritate, quàm deuotione prosiluisse declarat: ipse namque se iudicijs ingesserat. Victus itaque exemplum omnibus dedit, cautius in rebus talibus & circumspectius agendum, quia non temeritas, sed fides & modestia coronatur. *Eusebius in Eccles. hist. lib. quarto, capite decimo-quinto.* C.

Post fugas Ciuium & exilia, post cædes & tormenta quibus innumeros confecerat Lucius Arrianæ partis Episcopus, ad monasteria furoris sui arma conuertit, vastat eremum & bella quiescẽtibus indicit, tria millia simul (aut eo amplius) viros per totam eremum secreta & solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur, mittit armatam equitum ac peditum manum, qui cũ venissent nouam belli speciem vidẽt, hostes suos gladijs obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi: Amice ad quid venisti? *Ruffinus in Eccles. histor. libro secundo, capite tertio.* D.

Apud Edessam vrbem præfectus Imperatoris ad vastãdum catholicos E.

proce-

procedens in campum vbi Catholici conuenerant. Interea vidit muliérculam festinam de domo sua prorũpere, vt nec claudere ostium, nec operiri vt mulierum habitum decet diligentius potuisset, infantulum quoque secum trahentem. Qui eum interrogans. Quo, inquit, infælix properas tam festina? ad campum, ait, quo catholicorum populus conuenit. Et non, inquit, audisti quia præfectus illuc perget vt omnes interficiat quos inuenerit? Audiui, ait, & ideo festino vt ibi inueniar. Et quo, inquit, paruulum istum trahis? Vt & ipse, ait, martyrium consequi mereatur. Quod cũ audisset vir moderatissimus, redire officium & conuerti vehiculum ad palatium iubet. Et ingressus ait. Imperator si iubeas mortem subire sum paratus, opus vero quod præcipis implere non possũ. Cumque edocuisset cuncta de muliere repressit eius insaniam. *In Eccles. hist. lib. secundo, capite quinto.*

Item, vide Apollonia. a. Castitas. k. Crudelitas. e. Longinus. a. Ludus. r. Martinus. p. Mater. a. Mendacium. b. Christianus. a.

MATER.

A. CVm Sanctus Symphorianus adolescens ad locum martyrij duceretur, mater eius de muro exclamans, ait. Nate, nate, memento æternæ vitæ, tibi vita non tollitur, sed in melius commutatur. *In aurea legenda de eodem.*

Item, vide Aristobulus. a. August. c. f.

MATHESIS.

A. *In vita Domitiani cap. 15.*

DOmitianus, vt refert Suetonius, quendam Mathematicum sciscitatus est, quis eum exitus maneret, qui respondit fore vt breui laceraretur à canibus, quem Domitianus statim iussit occidi, & accuratissimè sepeliri, vt quasi mendacij eum argueret, sed repente orta tempestas eundem sepultum mox eruit, quem statim erutum canes discerpserunt. Nec est mirandum mathematicum ante mortem prædicere potuisse, quid ei venturum erat post mortem, quoniam vt ait Augustinus libro quinto de ciuitate Dei, capite septimo, non immerito creditur, cũ Astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto fieri instinctu spiritum non bonorum, si autem à me quæratur, quomodo vel ipsi dæmones id potuerunt præscire? respõdeo, iam Domitiano forsan occultè inspirauerant, vt illum occidi & sepeliri faceret, & iam tẽpestatem in proximo futuram tanquam aeris habitatores præsenserant, & canes venturos ad eum locũ nouerant, aut ipsi venire fecerũt, vel dæmones in canes trãsfigurati hoc fecerunt. Non enim dixit Suetonius hęc narrando, vtrũ illi canes phantastici, an veri fuerunt. Hæc ergo prænunciauerunt, quæ facturi erant. *Helinandus lib. 40.*

B. Statua quæ fit ab Horoscospis vt facilius decipiat, præcipit se in loco mundo seruari, & solum Deũ quando aliquid quæritur precibus & meritis inuocari. *In spec. hist. libro vigesimo-quinto, capite 101.*

Item, vide Tiberius. a.

MATRIMONIVM.

A. SAncta Eugenia 15. ætatis suæ anno ab Aquilino Aquilini Consulis filio petitur vxor. Cui illa: Maritus non natalibus, sed moribus est legendus. *In aurea legenda de sanctis Protho & Hyacintho.*

B. Cato filiam habuit, quæ primo viro mortuo cæpit conqueri, apud Patrem, cur alij viro non nuberet, at ille: quia non inuenio virum, qui nõ magis tua, quam te velit. *Agellius in noctibus atticis. Hieronym. aduersus Iouinianum libro primo, cap.* 49.

C. Quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur apud Romanos. Existimabãt enim matronæ eum fincera fide incorruptum esse animum, qui post depositum virginitatis cubile in publicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes. *Val. Max. l. 2. c.* 1.

D. Vnicæ filiæ pater Themistoclem consulebat, vtrum eam pauperi sed ornato, an locupleti parum probato collocaret. Cui is: Malo, inquit, virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem, quo dicto stultum monuit, vt generum potius, quam diuitias generi legeret. *Valerius libro quarto, capite secundo.*

E. Septitia mater Trachalorum Ariminensium irata filijs, in contumeliam filiorum, cum iam parere non posset, Publio seni nupsit, testamento etiam vtrumque præterijt, à quibus aditus Augustus, & nuptias mulieris, & suprema iudicia reprobauit, nam & hęreditatem maternam filios habere iussit, dotem quia non creandorum liberorum causa coniugium intercesserat, virum retinere vetuit. Si ipsa æquitas hac de re cognoscere potuisset, iustiusne an grauius pronuntiasset, quasi dicat, non. *Valerius libro quarto, capite quarto.*

F. Sancta Marcella orbata patris morte, viro quoque post nuptias septimo mense priuata est: cum eam Cerealis Consul ambitiosius peteret, & non quasi in vxorem, sed quasi in filiam, vellet donationem transfundere: Illa dixit. Si vellem nubere, & non æternæ me pudicitiæ dicare, vtique maritum quærerem, non hæreditatem. Illo quoque mandante posse & senes diu viuere, & iuuenes cito mori, dixit: Iuuenis quidem cito potest mori, sed senex diu viuere non potest. *Hieronymus in epistola ad Principiam de eadem.* Epist. 16.

Item, vide Castitas. b. Coniugium, gratiarum actio. a. Index. m. Oratio. a. Virginitas. c. Vxor. e.

MEDICINA.

A. INformandus est medicus vt pro diuersitate ætatum & temporum & complexionum & regionũ adhibeat medicinam, ficut exemplificat Augusti. epistola 5. de quodam medico qui adhibuit quod congruebat dolori cuiusdam & sanitas est cõsequuta. At ille post aliquot annos grauatus dolore apposuit idem medicamẽtum propter quod fuit ei peius. Cum autem à medico quæsiuisset quare hoc fuit? Respondit quod illi ætati non fuisset iussurus apponi illud medicamentum. *Ioannes Galensis in colloquio parte prima. dist. 10. capite sexto.*

B. Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, quia habeo Dominum Iesum Christũ, qui solo sermone restaurat vniuersa. Verba sunt beatæ Agathæ ad beatum Petrum. *In aurea legenda de beata Agatha.*

S. Tho. 2. 2. q. 97. ar. 1. ad 1. S. Agatha verba expendens ait: beata Agatha experta erat erga se diuinam beneuolẽtiam vt vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicina indigeret, vel statim sentiret diuinæ sanationis effectum. Caietanus illum explanans. D. Thom. locum, inquit: Respuere medicinam licet ratione

spiri-

spiritalis profectus: & hoc si infra limites obsequij rationalis fit, non est tentare Deum, sed semetipsum offerre hostiam viuentem Deo.
Item, vide Abstinentia. e. a f. Blasius. b. Cibus. a. Aegidius. c. Eleemosyna. a c. Infirmitas. f. Iosephus. a. Mirabile. y.

MEDICVS.

A. *Honora medicum propter necessitatem. Eccl. 36.* Absit vt de medicis quidquam peruersum loquar, in manus enim eorum exigentibus peccatis meis nimis frequenter incido. *Ioannes Salisberiensis in Polycratico libro secundo, capite vltimo.*

MEDITATIO.

A. Dixit Abbas Euagrius. Collige ad te sensum & memor esto diei mortis, memorare etiam eorum quæ in inferno sunt, & diei resurrectionis memor esto, iudicium terribile imaginare, repositam peccatoribus confusionem, sed & supplicia omnia, ignem æternum, vermem immortalem, &c. & bona quæ sunt iustis reposita, fiduciam ante Deum Patrem & Christum eius, & super iudicia peccatorum ingemisce, metuens ne & tu in his corruas; super bona vero iustis reposita gaude, & his frui festina. Vide ne obliuiscaris aliquando siue intra cellam siue foris, & memoriam horum ne abijciat mens tua, vt per hæc saltem sordidas & noxias cogitationes effugias. *In vitis Patrum libro tertio, capite primo.*

MEMORIA.

A. Pythagoræorum more exercendæ memoriæ gratia, quidquid die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. *Tullius de senectute ante finem.*

B. Virgilium propterea paruuli legũt vt videlicet poeta clarissimus teneris ebibitus annis, non facilè possit obliuione aboleri, secundum id Hor. *Quo semel est imbuta recẽs, seruabit odorẽ Testa diu.*
August. lib. 1. cap. 3. de ciuit. Dei.

C. Rex Ponti Mithridates viginti duabus gentibus quibus imperabat sine interprete iura dixit. Sicut Methodorus in tantum se meditatione assidua prouexit vt à multis simul dicta non modo sensuum sed & verborum ordinibus detineret. Messala vero post ægritudinem proprij nominis est oblitus. *Solinus de mirabilibus mundi 2. cap. Valerius Maxi. libro septimo, cap. septimo. Plin. libr. septimo, cap. 24. Quintil. 11. cap. 24.*
Item, vide Idioma. b. c.

MENDACIVM.

A. Diaconus quidam visurus monachos Ægyptios, humilitatis gratia, voluit cælare sui gradus honorem. Verum S. Ioannes Eremita vt eum vidit ostendẽs eum: Hic inquit. Diaconus est, & cum negare tentaret, apprehendens eum manu sua exosculatur & dicit. Noli fili negare gratiam Dei ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium, quia mendacium à malo est & non ex Deo sicut Saluator ait. *In vita S. Ioannis Eremitæ.*

B. Ille cui in iudicio imponuntur falsa, cum sit Innocens, patienter sustineat, & absque falsitate innocentiam ostendat exemplo Susannæ. Tales enim Deus defendit aliquando in præsenti, vel si permittit aliquando puniri, hoc facit ad cumulum meriti & præmij, *Dan. 13.*

 vt nar-

vt narrat Hieronymus de muliere septies percussa. Imponebatur enim ei cum iuuene crimen adulterij, & ad extorquendam confessionem tormentis vtrique illatis viro confitête, vt compendio mortis longos cruciatus vitaret, illa cælum respiciens. Tu, inquit, testis es Deus, non ideo me negare velle ne peream, sed ideo mentiri nolle ne peccem. Tandem illa semper dicente, non feci, prolata est in vtrumque sententia capitalis, & ad primum ictum caput viri est abscissum, & cum ad illam venisset, primo ictu rasuræ modice sanguinem emisit, secundo fibulam auri ex collo excussit, tertio gladius est reflexus. Alius percussor eligitur, & semel percussa concutitur, secundo ab ipso percussa quassatur, tertio vulnerata prosternitur, quarto percussa visa est mori, & ducta à clericis reuixit dicens: Dominus mihi adiutor est &c. & licet postea sæuirent leges, nihilominus reddita est libertati. *Ioannes Galensis in communiloquio parte prima, d. . cap. 3.*

C. Pa[illegible] quidam studentes Epiphan[illegible] Cypriorum Episcopũ decipere, vt aliquid eis daret, vnus eorum supinum se in terra prostrauit, alter super eum stans quasi mortuum flebat, & quia nihil, vnde eum sepeliret, haberet, querulis vocibus clamabat. Epiphanius superueniens vt in quiete dormiret, orauit, & sepulturæ necessaria ministrauit. Ille autem socium pulsans. Surge, inquit: Hodie tuis laboribus epulemur, quẽ cum mortuum cognouisset, ad Epiphanium currit, & quid ac[illegible]iderit, nuntiauit, ac vt eum re[illegible]tare[illegible], rogare cæpit. Ille autem benignè eum consolatus est, non tamen eum resuscitare voluit, ne deludãtur ministri Dei facilè. *In aurea legenda de beato Ioanne Chrysostomo, & in histor. tripart. lib. 9. cap. 48.*

Item, vide Cautela. b. Patientia. y. Religio. c.

MENDICITAS.

A. QVodam tempore accesserunt ad Isaac peregrini misericordiam postulantes, ita vt pæne nudi viderentur. Cumque vestes peterent, vnum de discipulis silenter vocauit, dicens: Vade & in loco tali cauam arborem require, & vestimenta quæ in ea inueneris, defer. Cumque discipulus vestes reperisset, & magistro latenter detulisset, vir Dei eas suscipiens peregrinis ostendit, dicẽs: Quia nudi estis, ecce tollite, & vestite vos. Hæc illi intuentes recognouerunt quæ posuerant, magnoque pudore consternati sunt. *Gregorius in Dialog. libro primo, capite 14.*

Item, vide Alexius. a. Arsenius. f. Eleemosyna. v. x. y. z. Mendacium. c. Monachus. x. Patientia. f. Paupertas. f. Vita. e.

MENSA.

Vide Augustus. i. k.

MERCATOR.

A. DIxit quidam Abbati Pastamoni: Quid faciam quia durum est mihi vendere quod manibus laboro? Et respondens dixit: Quia Abbas Sisois & cæteri vendebant opus manuum suarum, hoc enim te non lædet, sed quando vendes, semel dic pretium speciei quam detrahes, & si vis relaxare modicum pretij in te est, sic enim & quietem inuenies *In vitis Patrum libro sexto, parte secunda.*

B. Quidam Mimus dixit in theatro se scire quid vellent omnes, & cum

die

die constituto confflueret maior multitudo, silentibus omnibus dixisse perhibetur. Vili vultis emere, & carè vendere, quod omnes in conscientijs suis inuenerunt. *Ioannes Galensis in communiloquio parte secunda, d. 6. capite 3.*

G. Quidam Abbas Sancti Panthaleonis in Colonia cuidã fratri suo mercatori de pecunia monasterij pluries dedit, qui dũ ea mixta cum sua pluribus annis mercatus fuisset, totum amisit, licet alias fuisset optimus mercator. Cui Abbas. Quare tam viliter consumis substantiam tuam ad confusionem tuam & meam? Cui ille. Valde parce viuo, & diligenter mercatum meum custodio. Ignoro quid contra me agitur. Tandem in se reuersus est, & omnia in confessione Sacerdoti reuelauit, qui dixit ei: Pecunia fratris tui furtum est, & pecuniam tuam deuorauit. De cætero nihil recipias ab eo, de tuo negotiare, & medietatem lucri restitue monasterio, & de alia medietate viuas. Quod & fecit, & in breui ita ditatus est, quod omnia restituit & diues remansit, cui cum Abbas admirans quæreret, vnde tantæ diuitiæ tibi sunt? respondit: Quamdiu substantiam fratrum tuorum recepi, semper pauper fui, & grauiter peccasti, ex quo autem furtum abhorrui, semper abundaui. *Cæsarius in Dialogis miraculorum libro tertio, capite trigesimo-sexto.*

D. Vt recitat Tullius *libro tertio de officijs*, disputatum est inter Diogenem Babyloniũ Stoicum, & discipulum eius Antipatrum. Diogenes dicebat non omnia vitia rei venditæ esse exponenda emptori, sed quantum legibus fuisset constitutum, dum tamẽ cætera sine fraudè fiant. Antipater autem dicebat, cõtra fœdus humanę societatis esse, si venditor aliquod rei venditæ vitium cælet. Ad hoc Diogenes. Aliud est tacere, aliud cælare, sed nec, inquit, quidquid tibi vtile est audire, mihi dicere est necesse: alioquin oportet me multa de natura Deorum & fine bonorum referre. Antipater autem. Si damnatum est, inquit, Athenis, erranti viam non monstrare, multo magis damnabile est, scienter pati hominem in errorem incidere. Ad hæc Diogenes: Non te emere coegit, qui ne emere quidem exhortatus est, tu, quod tibi placebat, emisti, ille quod suum erat, non laudauit, vbi autem emptoris iudicium est, ibi fraus venditoris esse non potest. Ergo etsi nihil debet emptori venditor cælare, non tamen est hoc cælare, quidquid reticeas, sed cum sui emolumenti causa vult emptorem ignorare quod interest ipsum scire. Et post multa tandem concludit Tullius, quod in dubijs causis ex alia parte defendit honestas, ex alia vtilitas, quasi diceret, honestum est narrare vitia rei venditæ, vtile verò non publicare. *Ioannes Galensis in communiloquio parte 2. d. 6. cap. 3.*

Solet Indorum Rex mercatores cum suis mercibus diligenter defendere & custodire, & hæc est causa quare populosa est India, illuc enim concurrunt vndique mercatores, ibi bene recipiuntur, & lucrantur diuites & pauperes, ciues & forenses. Inde est quod tributa regalia & redditus augmentantur. Cauendũ est itaque ab offensa & iniuria mercatorũ. *In libro de secretis secretorum Aristot.* E.

Item, vide Religio. c.

MERI-

MERETRIX.

A. Sanctus Nonnus Episcopus vidēs quandam peccatricem nomine Pelagiam curiosè ornatam dixit: Altissime Deus ignosce mihi peccatori quia vnius diei meretricis ornatus totius vitæ meæ superauit industriæ ornamentum. *In vitis Patrum de sancta Pelagia.*

B. Sanctus Nonnus conuocans dispēsatorem Ecclesiæ tradidit ei vniuersam substantiam eius meretricis per eius prædicationem conuersæ dicens: Adiuro te per Dominum vt nihil de hac substrahatur nec quidquam ex ea inferatur non in domo Ecclesiæ, non in domo Episcopi, non in tua, sed cuncta viduis & pupillis & pauperibus distribuantur, quia hoc congruit vt quæ malè collecta sunt, bene & salubriter erogentur, & diuitiæ peccatorum proficiāt vsibus pauperum. *Ibidem.*

C. In vita Sancti Roberti Abbatis narratur, quod cum esset infans traditus mulieri ad lactandum, noluit gustare mammas, eo quod esset meretrix, præsentiens fœtorem. *Ioannes Galensis in suo moniloquio parte prima, d. 9. capite decimo.*

Item, vide Iudex. n. Peccatum. c. Voluptas. e. Proles. b.

MERITVM.

A. EVstachius antea Placidus vocabatur, hic erat magister militum Traiani Imperatoris. Erat autem valde misericors, sed tamen idolorum cultor, & quia misericordiæ insistebat, ad viam veritatis meruit illustrari. Vnde cum quadam die venationi insisteret, vidit inter cornua Cerui, formam sāctæ Crucis Christi, & Christi imaginem, quæ per os cerui, vel per illam imaginem sibi dixit: O Placide ego tui gratia in hoc animali tibi apparui. Ego sum Christus quem ignorans, colis. Eleemosynæ tuæ coram me ascenderunt, & ad hoc veni, vt per hunc quem venaris ceruum, ego te quoque venarer. Diffusè narratur qualiter ad fidem conuersus, baptisari se fecit cum vxore & filijs. *In aurea legenda de sancto Eustachio. Ioseph. de bello Iud. libro tertio, capite quarto & decimo-tertio, libro quarto, capite secundo, libro quinto, capite tertio, meminit Placidi cuius spectatissimi virtus Traiano innotuit, cum quo sub Vespasiano & Tito stipendia fecit, vnde Traianus imperium adeptus, Placidū, exercitui suo præficere voluit. Ios. libro tertio, capite vndecimo, & decimo sexto.*

Item, vide Abstinentia. k. Iudicium Dei. b. c. Labor. a. b. c. Peccatum. a. Perfectio. d. Roma. n. Seruitium. a. b. Timor. c.

MERLINVS.

A. ANno Theodosij & Valentiniani 5. Wortigernus Rex Insulæ Britanniæ consilio inito cum sapientibus quid agere deberet ad tutamen sui iussit conuenire artifices, vt ei turrim fortissimam construerent, sed cum opera eorum tellus absorberet, suasum est ei vt hominem sine Patre quæreret, & eius sanguine lapides & cementum aspergi præciperet. Inuētus ergo Adolescens Merlinus cū matre sua adducitur coram Rege quæ professa est de spiritu in specie hominis se illum concepisse. Merlinus autem multa obscura reuelauit, multa prædixit ventura. Et infra prophetauit quod Arcturus quem aprum Cornubiæ vocant Ecclesiæ Dei succurreret, Insulas Orientis sibi subiugaret, Gallicanas prouincias possi-

possideret, Romanis se terribilem exhiberet. Solet enim spiritus Dei per quos voluerit mysteria sua loqui, sicut per Sybillam, sicut per Balaam & huiusmodi. *Sigebertus in Chronicis, & in speculo histor. libr. 21. & capite 36. & libr. 22. capite 74.* *Ad annum Domini 542*

Omnes penè qui Merlini mentionem faciunt eum pseudoprophetis, Magisque annumerant, atque ex incubo dæmone natum contendunt, vt Gulielmus Neubrigensis in proœmio histor. Anglic. qui diuinationes illius tanquam falsas exsibilat. Hector Boethus libro nono de rebus Scoticis. Polyd. Virg. libro primo histor. Angl. Nauclerus generat. 17. volumine 2. Porro quod ex incubo dæmone procreatus narretur, vt alia plura quæ de eo traduntur, ex fabulosa historia Britonum Gaufredi, manasse videntur. Genebrardus lib. secundo Chro. ad annum Christi 500. ait eum fuisse Thelesini Helij Matthæi philosophi maximi auditorem, qui quod ex cometarum atque planetarum motu multa conijceret de futuris, vates & Magus habitus est. Sed author Catalogi scriptorum Britanniæ hunc Merlinum vocat Calidonium ex Scotiæ finibus oriundum, à nostro Merlino Anglo diuersum. Godfredus Viterbiensis parte decima-octaua. Chronici carmine multa de Merlini ortu, vaticinijs & alijs rebus est complexus. Matthæus Paris in maiori historia Anglorum eius diuinationes non semel allegat. Petrus Blesensis Merlinum irrisoriè prophetam vocat in compendio in Iob in fine commentarij capitis primi.

B. Fuit in Britannia Merlinus vates ex filia Regis Demetiæ & incubo dæmone natus. *In Chronico Martini Poloni. Vide Arcturus. a.*

Item, vide Gothi. a.

MILITIA.

A. Manlius Torquatus Consul cæsum filium suum virgis, securi percussit, quia contra imperiũ Cõsulum cum hostibus pugnauerat, & tamen expugnauerat. *In hist. schol. parte 5. cap. de Dario Valer. Max. lib. 6. c. 9. Tullius de offic. lib. 3. Liuius lib. 8.*

B. Cornelius Scipio, cui deleta Carthago auitum cognomen dedit Africani, Consul in Hispaniam missus, vt Numantinorum spiritus contunderet, eodem momento quo castra intrauit, edixit, vt omnia ex his quæ voluptatis causa comparata erãt, auferrentur: nam constat tum maximũ inde Institorum, & lixarum numerum, cum 2. millibus scortorum abijsse. Sic exercitus noster, qui paulo ante metu mortis, deformi se fœderis ictu maculauerat, erecta & recreata virtute, acrem illam & animosam Numantiam incendijs exustam, ruinisque prostratam solo æquauit. *Valerius libro secundo, capite nono, & de hoc etiam in Polycratico libro sexto, capite secundo. Liuius 57. Front. Stratag. lib. 4. c. 1. Florus 2. cap. 18.*

C. Scipionis sectam Metellus sequutus, cum exercitum in Africa, Iugurthino bello nimia Spurij Albini indulgentia corruptum Consul accepisset, omnibus imperij neruis ad reuocandam antiquæ disciplinam militiæ connisus est, nec singulas partes apprehendit, sed totam continuo in suum statum redegit. Protinus lixas è castris submouit cibũque coctũ venale proponi vetuit. In agmine neminẽ militũ ministerio seruorum iumentorumque vt arma sua & alimenta ipsi ferrent, vti passus est, castrorum subinde locum mutauit, eadem tanquam

Iugurtha semper adesset, vallo fossaque aptissimè cinxit. *Valerius libro secundo, capite septimo. Sallust. Iugurt. Frôtinus libro quarto, capite primo.*

D. Tu Posthumi dictator Posthumiũ, quem ad generis penetraliumque sacrorum successionem propagandam genueras, cuius infantiæ blandimenta sinu atque oculis foueras, quem puerum literis, iuuenem armis instruxeras, fortem, amantem tui & patriæ, quia non tuo iussu, sed sua sponte præsidio progressus hostes fuderat, victorem fecisti securi feriri. *Ibidem Valerius Liuius* 4. *Agellius lib.* 18. *cap. vlt. Diod.* 12.

E. Tu item Manli Torquate Latino bello Consul, filium, qui prouocatus á Geminio Metio Duce Tusculanorũ ad dimicandum te ignaro descenderat, arripi à litore, & in modum hostiæ mactari iussisti, satius esse iudicans patrem forti filio, quam patriã militari disciplina carere. *Ibidem Val. Liuius lib.* 8. *Agellius & alij.*

F. A Carthaginensium Senatu, duces bella prauo consilio gerentes, & si prosperè, cruci tamen affigebantur, quod bene gesserant Deorum adiutorio: quod male commiserant, ipsorum culpæ imputantes. *Ibidem Val. & auctor de viris illust. c.* 18.

G. Clearchus Lacedæmonum Dux, egregio edicto disciplinam militiæ continebat, à militibus Imperatorẽ potius, quam hostem metui debere inculcans, quo denunciabat futurũ, vt spiritum pœnæ impenderent, quẽ pugnæ acceptum ferre dubitassent, idque à Duce præcipi non mirabantur, maternarum blanditiarum memores, quæ eos ad præliandum exituros monebant, vt aut viui cum armis in conspectum earum venirent, aut mortui in armis referrentur. *Ibidem Val. Front.* 4. *c.* 1.

H. Disciplina militaris acriter retenta, principatum Italiæ Romano imperio peperit, multarũque vrbium, magnorum Regum, & gentium regimen largita est, fauces Pontici sinus patefecit, Alpium Taurique montis conuulsa claustra tradidit, ortumque è paruula Romuli casa totius terrarum orbis fecit columen. *Valerius lib. secundo, capite octauo.*

I. Eleganter Scipio Africanus cum scutum cuiusdam vidisset auro & gemmis ornatum dixit se non mirari si tanta diligentia ornasset, in quo plus præsidij, quam in ense haberet. *Petrus Bles. in quadam epistola.*

K. Refert Pericles non picturam, non aurum, non lapides, sed scutum diuisum, fractam galeam, hebetem gladium, faciem vulneratam cedere militibus ad ornatum. *Ibidem.*

L. De militibus Iulij Cæsaris narratur, quod famem & cæteras necessitates, non cum obsiderentur tantum, sed cum ipsi alios obsiderent, tolerarẽt, vt in Diuichina munitione, viso genere panis ex herbis quo sustinebantur, cum feris rem sibi agendam dixerit Pompeius. *Ioannes Galensis in communiloquio parte prima distinct.* 10. *capite quinto.*

M. Vsus militiæ ordinatæ est tueri Ecclesiam, impugnare perfidiam, pauperum propulsare iniurias &c. pro fratribus sanguinem fundere, & pro patria dimicare. Miror quomodo Princeps illis habet fidem quos iubet Deo suo, cui, vt cætera taceam, etiam ex sacramento militiæ obligati sunt, fidem debitam non seruare. Denique consecratio militis est, vt ea die qua quis militari cingulo decoratur, Ecclesiam solemniter adeat, gladioque super altari posito & oblato, quasi celebri professione facta, seipsum altaris obsequio deuoueat,

&gla-

ac gladij, id est officij sui iugem Deo spondeat famulatum. In quibusdam etiam locis moris est militiæ in crastino consecrandum, totam noctem præcedentem peruigilem in orationibus ducere, & nec iacendi, nec sedendi habere licentiam, nisi fortè repentinæ infirmitatis necessitas coegerit. *Helinandus in Chronicis. Similia narrat Petrus Blesensis epistola 94. vbi de militia præclarè disserit.*

N. Nihil damnabilius est in milite quam otium, per quod vsus armorū dediscitur, obrepit inertia, & vires eneruantur. Ideo Publius Nasica cum exercitum in Hybernis regeret, licet vsu classium non egeret, ne tamen miles corrumperetur desidia, naues ædificare instituit. Legitur Traianus Imperator milites suos quoties vacabant, à prælijs exercuisse in cursu, in saltu, in vsu natandi, mittendi lapides manu vel funda &c. eos erudiens ad omnes modos quibus bellum sustineri debeat aut inferri. De magno Pompeio refert Sallustius quod cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat, veruntamen ex quo ipse & Senatus ac populus Romanus otio vacare cœperunt, qui quandoque in remotis nationibus hostiles insultus modico aggere propulsabant, superueniente cæsarea paucitate reliquerunt præsidia fortissimæ vrbis, & in sola fuga fiduciam posuerunt. *Petrus Blesf. in quadam epistola.*

Front. l. 4 Strateg. Dionys. in vita. Veget. de re milit. lib. 1. c. 9. Epist. 94.

O. Augustus Cæsar non permittebat milites otiari, quorum professio instituta est ad laborem. *In Polycratico libro sexto, capite quarto.*

P. Lucanus breui quodam præconio Catonem commendat, & militiam Romanorum adijciens inter cætera, quod ei vestiri fuerat preciosè,

al. Compendio.

Hirtam membra super, Romani more Quiritis,
Induxisse togam:

Quod profectò non diceret, nisi durioris togæ vsus de Quiritum consuetudine processisset. *Vbi supra.*

Q. Adeo obtinuit olim apud Romanos vt electio & sacramentum militem facerent, vt sine electione nemo conscriberetur, sine iuramento nemo nomen militis aut officium sortiretur. In libro officiorum Tullius refert, quod Publius Imperator tenebat prouinciam, in cuius exercitu filius Catonis tiro militabat. Cum autem Publius videretur vnam dimittere legionem, Catonis quoque filium qui in ea legione militabat, dimisit, sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, scilicet contra Publij præceptum, Cato ad Publium scripsit, vt si pateretur in exercitu remanere, eum secundo obliget sacramento, quia priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat; quia non obediendo Publio fecerat contra militiæ sacramentum quod prius fecerat, quam fuerat factus miles, cuius formam ponit *Vegetius de re militari libro secundo, cap. 5. in Polycratico lib. sexto, capite septimo.*

R. Diocletiano & Iuliano & alijs impijs dicuntur militasse fideles, impugnabant enim hostes imperij, sed Dei mandata seruabant; si vero præcipiebant temerare legem, Deum præferebant. Dauid quoque legitur militasse, Achis & fidem & reuerentiam militantis implesse. Hæc autem militiæ omni formula præscribenda est & implenda. Vt Deo primum fides debita: deinde principi & Reip. seruetur incolumis. Vnde plurimum miror, si quis princeps illis habeat fidem, quos videt Deo suo, cui vt cætera taceam, etiam sacramento militiæ obligati sunt, fidem debitam non ser-

seruare, quoniã morbo rationis laborat, qui eum sibi fidelem fore credit, quem videt esse corruptum & perfidum in illum, cui plurimum debet. *In Polycratico libro 6. capite 9. solennis. De hoc habes exemplum supra, vbi Fidelitas. a.*

S. Iam inoleuit consuetudo solemnis, vt ipsa die, qua quisque militari cingulo decoratur, Ecclesiam solemniter adeat, gladioque super altare posito & oblato, quasi celebri professione facta, seipsum deuoueat altaris obsequio & gladij, id est officij iugem Deo spondeat famulatum neque necesse est, vt hoc profiteatur verbo, cũ legitima professio militiæ facta eius videatur inserta. Quis enim in homine illuminato, & qui magis arma debeat nosse quã literas, professionẽ exigat literatam. *In Polycr. lib. 6. c. 10.*

T. Lizander Lacedæmonius egressum via quendam castigabat, cui dicenti ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, respondit, ne speciem quidem rapturi præbeas, volo. *Ioannes Saresb. in Polyc. lib. 6. cap. 11.*

V. Plinius asserit, quia fuit hæc quoque antiquitus animaduersio militaris, iubere ignominiæ causa militi venam solui, & sanguinem dimitti, cuius rei rationem, etsi in veteribus literis non potuerit inuenire, hoc tamen primo factum opinatur in militibus stupentis animi, & à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna quam medicina videretur, postea tamen ob pleraque alia delicta id factitatum esse credit per consuetudinem, quasi minus sani viderentur omnes qui contra officium delinquerent. *Eodem libro capite duodecimo.*

X. Iulius Cæsar orta seditione militum, paucis percussis castra sedasse legitur, & fidem militum reparasse. *Eodem libro capite decimotertio.*

Fit interdum vt ex delicto suo priuentur milites cingulo, in ijs maximè vbi sacrilegia committũtur. Veteri namque iure statutum est, ac nouo non abolitum, vt qui non seruato militiæ sacramento, religionem quam profitetur, impugnat, cinguli amissione mulctetur. Fertur hoc edicto Iulius compescuisse militem, quando ingressus vrbem, non licuit homines spoliare aut templa Deorum. Gauis, Curio, bello Dardanico contra Dirrachium, cum vnam de quinque legionibus seditiosam vidisset, eam procedere iussit inermem, discinctáq; in conspectu armati exercitus coegit stramenta secare. Postero die similiter fossam discinctos milites facere, nec restituebantur dignitati, antequam eos præ cæteris virtutum merita insignirent. Dum vero cingulo spoliati sunt, nec eis æra procedunt, nec militaribus priuilegijs gaudent, nec habent aliquod cum gladio telóue commercium; ideoque prouida constitutione maiorum, est gladius insertus cingulo, vt collato honore cinguli, potestas ipsius gladij intelligatur collata. Cingulum est indicium laboris, labor, honoris meritum, vt liqueat omnibus, quod qui laborem indictum militiæ subire detrectat, honorem gladij in militari cingulo frustra portat. *Vbi supra.* Y.

Z. Athenienses vnum præ cæteris mandasse militibus loquuntur annales. Miles nondum emeritus, exercitio & labori iugiter assuescat, nam hæc solent in castris sanitatem, & in conflictu pręstare victoriam, ijdem & tradiderunt quia in peditibus robur consistit exercitus, & parumper aptum esse militiæ, qui nisi eques.

eques sit, pugnare non nouit. *Eodem libro, capite decimo-nono.*

Item, vide Augustus. l. Exercitium. a. b. c. Extorsio. a. Hannibal. b. Obedientia. a. b. Pax. b. Roma. a. k.

MILO.

A. Milonem Crotoniensem egisse omnia supra quam homo valet, etiam in hoc proditur, quod ictu nudæ manus taurum interfecit, eumque solidum qua mactauerat die, absumpsit, non grauatus & victor omnium certaminum obijt. *Solinus de mirabilibus mundi, cap. de viris illustr.*

Agellius libro 15. cap. 16.

MIRABILE, SIVE MIRACVLVM.

A. De Gyge Lydorum Rege Tullius libro 3. de officijs dicit, quod cum esset regius pastor, facta proluuione imbrium, descendit in quendam hiatum terræ, vbi inuenit hominem, mortuum in equo æneo sedentẽ, in cuius digito inuenit annulum, per quem inuisibilis factus stuprum Reginæ intulit, & adiutrice ea Regem Dominum interemit. *Helinandus in Chronicis. Plin. 7. capite 46. Solin. 7. Valerius Maxim. libro septimo, capite primo.*

B. In Heraclea fuit theatrum, id est mirabile, quod inter septem miracula mundi quintum ponitur, nam de vno monte marmoreo ita sculptũ est, vt omnes cellulæ, & mansiones, & muri, & antra bestiarum, ex vno solidoque lapide facta sint. Est autem totum theatrum super quatuor canetos de ipso lapide sculptos appendens, & nemo in gyrum poterat tam secretè, aut solus, aut cum alio loqui, qui omnes qui in circuitu erant, audirent ipsum. *Helinandus in Chronicis libro decimo-sexto.*

C. Anno Valentiniani tertio, apud Constantinopolim miræ magnitudinis grando decidens, nõnullos homines interfecit, & apud Atrebatas lana è cælo, pluuiæ mixta defluxit. *Hier. in Chron. Paulus Diaconus hist. l. 12. Paulus Orosius lib. 7. hist. c. 32.*

D. Cum sanctus Fulgentius secundò mitteretur in exilium, prędixit cuidam viro religioso nimis dolenti de illius recessu, quod cito reuerteretur, & addidit. Homo, quæso secretũ sit apud te, quod me nimia charitas indicare compellit. Dicebat enim: Mirabilia non conferunt homini iustitiam, sed hominum notitiam, quæ magis fugienda est, quam quærenda. *In gestis sancti Fulgentij Ruspensis. Episcopi, apud Surium 1. Ianuarij, & in spec. histor. lib. 21. cap. 106.*

E. Anno Othonis Imperatoris 19. in Italia lapis miræ magnitudinis tonitru & tempestate turbulenta de cælo iactus ingens miraculum videntibus præbuit. *Sigebertus in Chronicis.*

F. Anno Henrici tertij Imperatoris, corpus Pallantis Gygantis, filij Euandri, Romæ integrum repertum est cum hoc epitaphio: Filius Euandri Pallas, quem lancea tantum Militis occidit, more suo iacet hic. Ea quidem est natura conditorum corporum, quod carne tabescente cutis exterior, neruos, nerui, ossa continent. Ardens lucerna ad caput inuenta est, quam cum nullo aspergimine liquoris, aut flatus violentia extinguere valerent, quidam solertioris ingenij, stylo subtus flammam, foramen fecit, & mox introducto aere ignis euanuit. *In speculo histor. libro vigesimo-sexto, cap. 34. In Chronico Martini Poloni dicitur*, quod longitudo corporis dicti Gygantis altitudinem murorum Romanæ vrbis vincebat.

G. Prior quidam monasterij Grandimontensis, Petrus nomine, intuens miracula quæ fiebant ad sepulchrum Sancti Stephani institutoris ordinis Grandimontensis, timuit sibi & alijs quietem minui, & internæ suauitatis dulcedinem tardius experiri, si populorum turbæ locum illum miraculorum causa frequentarent, & veniens ad sepulchrum ita loquutus est. Serue Dei tu ostendisti nobis paupertatis viam, toto conamine docuisti nos incedere per eam, nunc de arcta via ad latam & spatiosam tuis nos vis reuocare miraculis, & qui prædicasti solitudinem, in solitudine nundinas vis congregare: non curiositate ducimur, vt miracula videre velimus, sanctitati tuæ satis credimus. Caue ergo de cætero ea miracula facias, quæ tuam extollant sanctitatem, & nostram destruant humilitatem: non sic tuæ laudi prouideas, vt nostræ sis immemor salutis. Quod si aliter feceris, tibi dicimus, & per obedientiam quam tibi promisimus, constanter asserimus, quod ossa tua hinc extrahemus, & in flumen spargemus. *In speculo histor. libr. 26. capite 58.*

Simile habes in Chronico ordinis Carthusiani.

H. In idolo quodam Astaroth quidā dæmon habitabat, qui se languentes curare dicebat, sed non sanando subueniebat, sed à læsione cessando. *In aurea legenda de S. Bartholomæo.*

I. Circa annum Domini 770. in Cāpania Italiæ frumentum & hordeum & legumina instar pluuiæ cecidisse refertur. *In aurea legenda sub titulo de S. Gelasio Papa.*

K. Circa annū Domini 700. terræ motus magnus factus est quo vrbes aliæ sunt subuersæ, aliæ á montanis ad subiecta campestria cum muris & habitatoribus integræ & saluæ vltra sex miliaria vt dicitur transmigrarunt. *Vbi supra.*

L. Circa annum Domini 856. in Italia apud Brixiam, tribus diebus & tribus noctibus, sanguis de cælo pluisse narratur. *Vbi supra.*

M. Per idem tempus, locustæ innumeræ apparuerunt in Gallijs, senas alas habentes, sex pedes, duos dentes lapidibus duriores: spatiū diurni itineris quatuor aut quinq; miliaribus extendentes, omnia viridia vastantes & herbas, quæ vsque ad mare Britannicum peruenientes, tandem flatu ventorum in profundum maris demersæ sunt, sed æstu Oceani in littus reiectæ, ex putredine aerem corruperunt, vnde mortalitas & fames maxima est sequuta, ita vt ferè tertia pars hominum interiret in Gallia. *Vbi supra. Simile scribit de Africanis locustis. Paulus Diaconus lib. 4.*

N. Circa annum Domini 1000. visa est in cælo trabs ignea meræ magnitudinis, super solem iam ad occasum vergentem currere, & ad terram cadere. *Vbi supra.*

O. Circa annum Domini 1053. tres lunæ visæ sunt, & in medio signum Crucis, nec multo post visi sunt tres soles. *Vbi supra.*

P. Circa annum Domini 1090. lapides ad quantitatem ouorum quadrāguli, mixti cum pluuia de cælo cadentes, multos occiderunt: corui quoque & quamplures aues per aera volantes visæ sunt carbones viuos in rostris portare & domos incendere. *Ibidem.*

Q. Maximam virium substantiā neruos facere certissimum est, quantoque fuerint densiores, tanto propensius augescere firmitatem. Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis aduocauit militem quendam Cnæi Pompei ita spreuisse hostem prouocantem, vt inermis eum superaret & cap-

& captum digito vno in castra Imperatoris reportaret. *Et infra.* Auitis. Lacon & Philonides Alexandri Magni cursores mille ducenta stadia vno die transierunt. In Italia puer octo annos natus. 75. quinque millia passuum á meridie transiuit ad vesperum. *Solinus de mirabilibus mundi, capite duodecimo.*

R. Cum apud locum Regillum A. Posthumius Dictator, & Tusculanorum Dux Manilius Octauius, magnis viribus inter se concurreret, ac neutra acies pedem referret, Castor & Pollux Romanorum propugnatores visi hostes penitus fuderunt. *Valerius libro primo, capite octauo. Dionys. libro sexto.*

S. Mausimenis Atheniensis vxor, cum filij ac filiæ suæ stupro interuenisset, inopinati monstri perculsa aspectu, & in præsens tempus ad indignandum, & in posterum ad loquendum obmutuit. Illi nefarium concubitum voluntaria morte pensarunt. Hoc modo fortuna sæuiens, huic vocem, his vitam ademit. *Valer. libro primo, capite octauo.*

T. Apollinis Delphici oraculo, Macedonum Rex Philippus admonitus, vt á quadrigæ violentia se custodiret, toto regno disiungi iussit currus, eũque locum qui in bœtia quadriga vocatur, semper vitauit, nec tamen periculi genus effugit, nam Pausanias in capulo gladij quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam. *Ibidem. Cicero de Fato. Aelianus lib. 2. hist.*

V. Prusias Regis Bithyniæ filius, pro superiore ordine dentium, vnum os extensum æqualiter habuit, nec ad speciem deforme, nec ad vsum vlla ex parte incommodum. *Ibid.*

X. Aristomenis Messenij cor Athenienses ob eximiam calliditatem exactum, pilis refertum inuenerunt, cum eum aliquoties captum, & astutia elapsum cepissent. *Ibidem Valer. Plin. lib. 11. capite 27.*

Siluester capreas Cretę genitas sagittis confixas ad salutare auxilium cuiusdam herbæ natura deducit, efficitque vt concepta ea, continuo & tela, & vim veneni vulneribus respuant. *Valerius libro primo, capite octauo. Plinius libro octauo, capite vigesimoseptimo.* Y.

Cephalenia Insula, cum omnia vbique pecora vsu aquę continuo recreentur, pecudes in ea ex parte maiore, ore aperto ex alto ventos recipientes sitim suam sedant. *Ibidem Valerius.* Z.

Crotonæ in templo Iunonis Laciniæ ara ad omnes ventos immobili cinere donata est. *Ibidem Valer. Plin. libro secundo, capite 107.* A a.

Altera in Macedonia, altera in Caleno agro aqua proprietatem vini quo homines inebriantur possidet. *Ibidem Valerius. Plinius libro secundo, capite 108.* A b.

Serpentes á Tito Liuio curiosè pariter ac facunde relata fiat mentio. Is enim ait in Africa apud Bragadam flumen, tantæ magnitudinis fuisse anguem, vt Attilij Reguli exercitum vsu amnis prohiberet multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus elisis, cum telorum iactu perforari nequiret, ad vltimum balistarum tormentis vndique petitam, silicum crebris & ponderosis verberibus procubuisse, omnibúsque ipsa Carthagine visam terribiliorem, atque cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque iacentis pestifero afflatu, vicina regione polluta, Romana inde submouisse castra. Beluæ corium centum & viginti pedum in vrbem missum. *Valer. ibid. Agel. l. 6. c. 2. Oros. l. 4. c. 8. Liuius 18.* A c.

Tuscia

A d. Tusciæ virginis vestalis, criminis incesti Reę castitas infamiæ nube obscurata emersit, quæ conscientia certa sinceritatis suæ, spem salutis ancipiti argumento petere ausa est. Arrepto enim cultro. Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admoui manus, effice, vt hoc hauriam è Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam: audaciter & temerè iactis votis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit. *Valerius libr. octauo, capite primo. Dionys. Halic. 2. Plin. 28. capite secundo. August. 10. De ciuit. cap. decimo-sexto.*

D. Thom. q. 6. de potentia art. 5. id factum existimat bonorum Angelorum ministerio, Deo sic volente castitatis virtutem & præstantiam hominibus commendare. Ceteroqui constat idipsum dæmonis opera peragi potuisse, aquam, ne per cribrum dilaberetur, suspensam tenente.

A e. Referam nunc quod suo seculo cognitum, manauit ad posteros, Penates Deos, id est idola, Ænea de Troia aduectos Lauinij collocasse, inde ab Ascanio filio Albam, quam ipse condiderat, translatos, pristinum repetisse sacrarium, scilicet per seipsos Lauinium reuertendo, & quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, suam voluntatem altero transitu significasse, id est, iterum Lauinium reuertendo, significasse se velle ibi manere. *Valerius lib. primo, capite septimo. Dionys. lib. 1.*

A f. In primitiua Ecclesia signa fiebant pro Infidelibus conuertendis, quia ergo signa non sunt modo necessaria, nec modo fiunt, sicut passim tunc fiebant. Nos enim cum arbusta plantamus, tamdiu aquam infundimus, quousque in terram conualescant. *In hist. schol. parte 3. cap. 104.*

A g. *Manicht. damasc.* Quæ de tribus pueris, & Iona propheta dicuntur in scripturis, gentiles malunt irridere, quam credere, qui in suis literis tamen credunt Arionem Cytharistam de manu exceptum Delphini dorso, & ad terras esse prouectum. Sed nostrum plane incredibilius, quia mirabilius, quia potentius. *Augustinus primo de ciuitate Dei, capite decimo-quarto. Arionis meminere Herod. libro primo, Plin. libro nono, Agellius libro decimo-sexto.*

A h. *In l. de mundo.* Mala quæ ex mundi elementis, terrenis accidunt rebus, vno loco Apuleius breuiter stringit. Terrena omnia, mutationes, conuersiones, & interitus habere dicens: Namque immodicis, tremoribus terrarum, (vt verbis eius vtar) dissiluisse humum, & interceptas vrbes cum populis dicit, & imbribus prolutas regiones, incendia de nubibus promicasse, quibus Oriens conflagrauit, sic ex Æthnæ verticibus flumina flammarum cucurrisse. *August. quarto de ciuit. Dei, capite secundo.*

A i. Hominum quorundam naturas nouimus multum cæteris dispares, & ipsa raritate mirabiles, nonnulla, vt volunt, de corpore facientium, quæ nullo modo alij possunt. Sunt qui aures moueant vel singulas, vel ambas simul: sunt qui totam cæsariem capite immoto quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocantque cum volunt: sunt qui eorum quæ vorauerunt, incredibiliter plurima & varia, paululum præcordijs contrectatis, tanquam de sacculo quod placuerit, integrum proferunt. Quidam voces auium, pecorumque, & aliorum hominum sic imitantur, vt nisi videantur, discerni non possunt. Nonnulli ab imo sine pædore vllo ita numerosos sonitus pro arbitrio edunt, vt ex illa etiã parte cantare videantur. Ipse sum expertus sudare hominem solere cum vellet. Notum est quosdam flere, cum

Plut. in symposio meminit cuiusdã Parmenonis, qui animalium voces egregiè imitabatur.

eum volunt. *August. 14. de ciuitate Dei capite vigesimo-quarto.*

Ak. Iam illud est multo incredibilius, quod plerique fratres experti sunt. Fuit quidam Restitutus Presbyter in parochia Ecclesiæ Calamensis, qui quando ei placebat (rogabatur autem vt hoc faceret ab eis qui rem miram coram scire cupiebant) ad imitatas quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces, ita se auferebat á sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solum vellicantes aut pungentes non sentiret, sed & aliquando vreretur sine doloris sensu. *Ibidem. Simile. Plin. narrat. l. 7. cap. 52. de Hermotimo, cuius anima relicto corpore vagari erat solita, & quæ viderat enarrare.*

Al. Virgilius de ingenti lapide, quem in agrorum limite infixum Turnus pugnans & rapuit, & cucurrit, & intorsit, & misit contra Æneam, ait. Vix illum lecti bis sex ceruice subirent, Qualia nunc hominum producit corpora tellus, significans maiora tunc corpora producere solere tellurem, quam temporibus recentioribus. *Augustinus de ciuitate Dei capite nono, libro decimo-quinto.*

12. Æneidos. Iuuenalis Saty. 15.

Am. De corporum magnitudine plerumque incredulos nudata per vetustatem, siue per vim fluminũ variosque casus, sepulchra conuincunt, vbi apparuerunt ossa incredibilis magnitudinis. Vidi ipse in Vticensi litore, sed & alij multi, molarem hominis dentem tam ingentem, vt si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Plinius secundus, quanto magis præterit seculi excursus, minora corpora naturam ferre testatur. Ipse Plinius dicit esse adhuc gentem vbi ducentos annos viuitur. *Ibid.* *L. 7. c. 48.*

An. Apis, bos Ægyptius, quoniam eum sine sarcophago venerabantur incolæ viuum, Apis, non Serapis vocabatur: quo mortuo, quoniam quærebatur & reperiebatur vitulus coloris eiusdem, hoc est albis quibusdam maculis insignitus, mirũ quoddam & diuinitus sibi procuratum esse credebant. Non enim magnum erat dæmonibus ad eos decipiendos phantasiam talis Tauri ostentare vaccæ concipienti & prægnanti, vnde libido matris attraheret, quod in eius fætu iam corporaliter appareret &c. *Augustinus 18. de ciuitate Dei cap. 6.*

Ao. Troiam euersam, Græci relinquẽtes, & ad propria remeantes, diuersis cladibus contriti sunt, & tamen ex eis Deorum suorum numerum auxerunt. Nam & Diomedem fecerunt Deum, quem diuinitus irrogata pæna perhibent ad suos non redijsse, eiusque socios in volucres fuisse conuersos affirmant. *Et infra.* In Insula Diomedæa templum eius has alites circumuolare dicunt tam mirabili obsequio, vt aqua impleant rostra, & aspergant, eoque si Græci venerint, non solum quietas esse, sed & adulari. Si autem aliegenas viderint, subuolare ad capita, & ictibus tam grauibus, vt etiam perimant, vulnerare. Varro narrat de Circe illa famosissima, quæ socios Vlyssis mutauit in bestias, & de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant, quoddam stagnum, & conuertebantur ibi in lupos, & post nouem annos eodem renatato stagno reformabantur in homines. Denique expressit quendam Demænetum gustasse de sacrificio, quod Arcades immolato puero Deo suo Lycæo facere solent, & in lupum

Ouidius Met. 14. Plin. l. 10

Plinius.

Kk fuisse

fuisse mutatum, & anno decimo figuræ propriæ restitutum, pugillatu sese exercuisse, & Olympiaco vicisse certamine. *Eodem libro capite decimoseptimo.*

A p. De ludificatione dæmonum prætacta quid dicemus? nisi de medio Babylonis esse fugiendum. Quanto in hæc ima potestatem dæmonum maiorem videmus, tanto tenacius Deo est inhærẽdum, per quẽ de imis ad summa conscendimus. Si enim dixerimus ea non esse credenda, non desunt qui certissimè ea asseuerent. Nam & nos cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione, vbi stabularias mulieres imbutas his malis in caseo dare solere dicebant, quibus vellent viatoribus, vnde in iumenta verterentur, & post opus, iterum ad se redirent, nec tamen in eis fieri mentem bestialem. Sed Apuleius in libris quos asini aurei titulo inscripsit, sibi accidisse vt accepto veneno, humano animo permanente, asinus fieret, aut indicauit, aut finxit. Tenendum est Deum omnia posse facere quæ voluerit, nec dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam nisi Deus permiserit. Specie tenus quæ à vero Deo sunt creata, cõmutant, vt videantur esse quod non sunt. *Eodem libro cap.* 18.

Apuleius fuit Magus.

A q. Non ergo solum animum, sed ne corpus hominis quidem vlla ratione crediderim in bestias posse conuerti, sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando seu somniando per rerum innumera genera variatur, & cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit. Phantasticus sibi videri potest in somnis & portare onera, quæ onera si vera sunt corpora, portantur à dæmonibus, vt illudant hominibus, partim onerum vera corpora, partim iumentorum falsa corpora cernentibus. Nam quidam Præstantius nomine patri suo contigisse indicabat, vt venenum prætactum per caseum sumeret, & iaceret in lecto quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Post aliquot autem dies euigilasse dicebat, factum se caballum dixisse, & annonam inter alia iumenta baiulasse. Alius se domi suæ antequam requiesceret, vidisse venientem ad se philosophum quendam, & exposuisse sibi nonnulla Platonica, quæ ante rogatus exponere noluisset, ait, & tum ab eodem philosopho quæsitum cur in domo eius fecerit, quod in domo sua petẽti negauerat: non feci, inquit, sed me fecisse somniaui. Ergo secundum istum modum videtur mihi fieri potuisse, si tamen factum est. *Ibid.*

A r. Diomedæas autem volucres, non mutatis hominibus factas, sed substractis credo fuisse suppositas, sicut cerua pro Iphigenia Regis Agamemnonis filia. Nec enim dæmonibus iudicio Dei permissis huiusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt, sed quia illa virgo viua reperta est, suppositam pro illa ceruam facile cognitũ est. Socij vero Diomedis, quia nusquam subito comparuerunt, in eas aues quæ pro illis occultè ex locis vbi est hoc genus auium, ad ea loca perductæ ac repente suppositæ, creduntur esse conuersi. De templo autem Diomedis non est mirãdum fieri dæmonum instinctu, quorum interest persuadere Deum factum esse Diomedem, vt falsos Deos tam veri Dei iniuria colant &c. *Ibidem.*

A s. Sicut scripserunt, qui naturas animalium curiosius indagarunt, Salamandra in igne viuit. *Augustinus* 21. *de ciuit. Dei capite quarto. Plin. hist. l.* 10.

capi-

capite 67. tradit eam tactu suo instar glaciei extinguere ignem.

A t. Quis nisi Deus dedit carni Pauonis mortui ne putresceret? Euenit apud Carthaginem nobis non credentibus, vt nobis cocta apponeretur hæc auis, de cuius pectore pulparũ quantum visum est decerptũ seruare iussimus, quod post dierum tantum spatium, quanto alia caro quæcunque cocta putresceret, nihil nostrum offendit olfactum. Itemque repositum post dies amplius triginta, bonum est inuentum, & post annum, nisi quod aliquantulum corpulentiæ siccioris & contractioris fuit. *Ibid.*

Quis dedit paleæ vel tam frigidam vim, vt obrutas niues seruet, vel tam feruidam vt poma immatura maturet. *Ibidem.*

A u. De ipso igne mira quis explicet? quo quæque adusta nigrescunt, cùm ipse sit lucidus, pænè omnia quę ambit & lambit, colore pulcherrimo decolorat. E contrario, lapides igne candente decocti, & ipsi fiunt candidi: & quamuis magis ille rubeat, illi albido colore nitescant, congruit tamen luci quod album est, sicut nigrum tenebris. Cum ergo ignis in lignis ardeat, vt lapides coquat, contrarios habet, non in contrarijs rebus effectus. Etsi enim lapides & ligna diuersa sunt, contraria tamen nõ sunt, sicut album & nigrum, quorum in lapidibus vnum facit, alterum in lignis. *Ibidem.*

A x. Carbones ictu leuissimo franguntur, pressu facillimo conteruntur, & in eis tanta est firmitas, vt nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur, vsqueadeo vt eos substernere soleant, qui limites figunt ad conuincendum litigatorem. Quis eos in terra humida infossos, vbi ligna putrescerent, tam diu durare posse, nisi rerum corruptor ignis efficit? *Augustinus 21. de ciuitate Dei capite quarto. Plin. lib. 36. Chersiphronem architectum iacturum fundamenta templi Dianæ Ephesinæ, quo diuturnius esset loco palustri opus, carbones substrauisse.*

A y. Calx igne candescit, quo alia tetra redduntur, & occultissime ignem ab igne concipit, eumque iam gleba tangentibus frigida tam latenter seruat, vt nulli nostro sensui prorsus appareat, sed compertus experimento, etiam dum non apparet, sciatur sopitus inesse: propter quod viuam calcem loquimur, velut ignis latens anima sic inuisibilis visibilis corporis. Iam vero quam mirum est, quod cũ extinguitur, tunc accẽditur. Vt enim occulto igne careat, aquæ infunditur, aquæue perfunditur. Et cũ ante sit frigida, inde feruescit, vnde feruentia cuncta frigescunt. Tale miraculum, si de lapide aliquo Indico legeremus, siue audiremus, & in nostrum experimentum venire non posset, aut mendacium putaremus, aut certe grauiter miraremur &c. *Ibidem.* *Seneca li. 3. nat. quæst.*

A z. *Plin. l. vlt. c. 4.* Adamas nec ferro, nec igni, nec vlla vi perhibetur præter quam Hircino sanguine vinci, sed qui eum habent, atque nouerunt, nunquam ita mirantur, vt ij quibus primum potentia eius ostenditur: quibus autem non ostenditur, fortasse non credũt, aut si credunt, inexperta mirantur. *Ibidem.*

B a. *Plin. l. 36. c. 16.* Magnetem nouimus mirabilem ferri esse raptorem, quod cum primũ vidi, vehementer inhorrui, quippe cernebam à lapide ferreum annulum captum atque suspensum, deinde tanquam ferro quod rapuerat, vim dedisset, idem annulus alteri admotus, alterum suspendit, atque vt ille prior lapidi, sic alter annulus priori

annulo cohærebat. Accessit tertius & quartus, iamque sibi per mutua circulus nexis, quasi catena pependerat annulorum. *Augustinus de ciuitate Dei 21. capite quarto.*

B b. Sed multo est mirabilius quod à Coepiscopo meo Seuero Mileuitano, de isto lapide comperi. Seipsum namque vidisse narrauit, quemadmodum Bathanarius quondam Comes Africæ cum apud eum conuiuaretur, protulit eundem lapidem, & tenuit sub argento, ferrumque super argentum posuit. Deinde sicut subter mouebat manum, qua lapidem tenebat, ita ferrum desuper mouebatur, atque argento medio nihilque patiẽte, concitatissimo cursu ac recursu infra lapis ab homine, supra ferrum rapiebatur à lapide. *Ibid.*

B c. Quando iuxta eum ponitur Adamas, non capit ferrum & si iam rapuerit, mox remittit. India mittit hos lapides. *Ibidem. Plinius vltim. lib.*

B d. Agrigentinum Siciliæ salem perhibent, cum fuerit admotus igni, velut in aqua fluere, cum vero ipsi aquę, veluti in igne crepitare. *Aug. 21. de ciuitate Dei c. 5. Plin. l. 21.*

B e. Apud Garamantas quendam fontem perhibent tam frigidum diebus, vt non bibatur, tam feruidum noctibus, vt non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces, vt in cæteris, extinguantur accensæ, sed vt non in cæteris, accenduntur extinctæ. *Ibid. Plin. lib. 5. Mela. l. 2. & Plin. 2.*

B f. Asbeston Arcadiæ lapidem perhibent propterea sic vocari, quod accẽsus semel iam non potest extingui. *Ibidem. Aug. Plin. lib. 35.*

B g. Poma in terra Sodomorũ perhibẽt gigni vsque ad maturitatẽ, sed morsu pressuue tentata, in fumum ac fauillam, corio fatiscente, vanescere. *Ibid. Aug. Solinus c. 37. Tacitus l. vlt. Iosep. l. 5. de Iud. bello c. 5. Strabo. l. 17. Sapiẽtie. c. 10.*

Pyriten lapidem Persicum tenentis manum perhibent si vehementius prematur, adurere, propter quod ab igne nomen accepit. *Ibid. Augus. Plin. lib. vlt.* B h.

In Cappadocia etiam vento equas concipere, eosdemque fœtus non amplius quam triennio viuere. *Aug. Ibi. Iust. l. vlt. Solinus. Varro de re rustica.* B i.

Tilon Indiæ insulam eo præferri cæteris terris, quod omnis arbor quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum. *Ibidem. Augustin. Plin. lib. 12.* B k.

Relatum est in literis gentium, fuisse Veneris fanum, atque ibi candelabrum & lucernam sub diuo lucentem, vt eam nulla tempestas, nullus imber extinguere possit, vnde ista lychnos asbestos, id est lucerna inextinguibilis nominata est. Voluerunt infideles per dictum miraculum firmare numina paganorum: Nos addimus, ad istam lucernam, & humanarum & magicarum, id est, per homines dæmonicarum artium, & ipsorum per seipsos dæmonum multa miracula fieri, quæ si negare voluerimus, eidem ipsi aduersabimur veritati. Aut ergo in lucerna illa mæchanicum aliquid de lapide asbesto ars mundana molita est, aut arte magica factum est, quod homines illo mirarentur in templo, aut dæmon sub nomine Veneris tanta se efficacia præsentauit, vt hoc ibi prodigium appareret hominibus, & diutius permaneret. *Augustinus de ciuitate Dei, libro vigesimo-primo, capite sexto.* B l.

Tot mirifica quæ mechanemata vocant, Dei creatura vtẽtibus humanis artibus fiunt, vt ea quæ nesciunt, opinentur esse diuina. Vnde factum B m.

est,

Alexādriæ in Serapidis templo de quo Ruffinus li. 11. hist. est, vt in quodam templo lapidibus magnetibus positis in solo & camera proportione magnitudinis, simulachrum ferreum in aeris illius medio inter vtrumque lapidem, quasi numinis potestate penderet. *Ibidem.*

B n. Nec volo temerè credi cuncta quæ posui, quia nec à meipso ita creduntur, exceptis ijs quæ vel sum expertus, sicuti ferè de omnibus dictis, vt de calce, carne pauonis &c. Et sunt alia plurima quæ huic libro inserere longum fuerit. De his autem quæ posui non experta, vel lecta, præter quam de fonte illo quem prius memoraui de facibus, & de pomis Sodomorum, cum nec testes idoneos potui reperire, & illum quidem fontem non inueni, qui in Epiro vidisse se dicerent, sed qui in Gallia similem nossent, non longè à Gratianopoli. De fructibus Sodomorum non tantum literæ fide dignæ indicant, verum & tam multi se loquuntur expertos, vt hinc dubitare non possim, cætera vero sic habeo vt nec neganda, nec affirmanda decreuerim. *Eodem libro capite septimo.*

B o. Est in Marci Varronis libris de gente populi Romani, quod ijsdem verbis quibus ibi legitur, ponam hic. In cælo, inquit, portentum extitit mirabile. Nam stellam Veneris nobilissimam, Castor scripsit tantum portentum extitisse, vt mutaret colorem, figuram, magnitudinem, cursum, quod factum ita nec antea, nec postea sit. *Eodem libro capite octauo.*

B p. In monasterio quodam virginum quidam puer erat, quem malignus spiritus omni nocte vexare consueuerat, sed sancti moniales, vt susceperunt Sanctum Eleutherium Patrem monasterij beati Martini siti in vrbis Spoletanæ pomerijs, quod malignus spiritus nulla nocte ab illo puero recederet, indicarunt, postulantes vt hunc secum ad monasterium tolleret; consensit senex, qui cum multo tempore in monasterio fuisset, eiusdem senis animus de salute pueri immoderatius per lætitiam tactus est. Nam coram positis fratribus dixit: Fratres, diabolus sibi cum illis Sororibus iocabatur, at vero vbi ad seruos Dei ventum est, accedere non præsumpsit: post quam vocem, eo momento idem puer diabolo se inuadēte vexatus est, quo viso senex fleuit, quem cum Fratres consolari voluissent, Respondit: Credite mihi quia in nullius vestrûm ore hodie panis ingreditur, nisi puer fuerit à dæmonio ereptus. Tunc precatus est Deum, & eousque oratum est, quousque puer á vexatione sanaretur. Credo quod elatio parua ei subrepserat, & eius discipulos Deus facti illius voluit esse adiutores &c. *Gregorius in Dialog. libro tertio, capite trigesimo-tertio.*

Dicebat Abbas Dulas quia ambulantibus nobis secus littus Maris sitiui & dixi Abbati Hilarioni. Abba, sitio valde, & cum fecissem orationem senex dixit mihi, bibe de mari, & dulcis facta est aqua & bibi. Ego autem modicum in vase hausi, ne forte iterum sitirem, & dixit, quid implesti aqua? Deus qui hic est & vbique Deus est. Alio tempore orauit & transiuit flumen pedibus. Ego autem dixi: Quomodo sentiebas pedes tuos in aqua? Et ait: Vsque ad talum sentiebā aquam, reliqua erat solida sub pedibus meis. Rursus euntibus nobis ad alium B q.

senem venit sol ad occasum & orans senex dixit: Obsecro Domine stet sol donec perueniam ad seruum tuum, & factum est sic. *In vitis Patrum libro decimo-nono, parte prima.*

B r. Spiridion Cyprius Episcopus vir vnus ex ordine Prophetarum pastor ouium etiam in Episcopatu positus permansit. Filiam habuit Irenem nomine, quæ virgo defuncta est. Post eius obitum venit quidam dicens ei quoddam depositum commendasse. Rem gestam ignorauerat Pater; & quæsitum vbique nusquam inuentum est. Persistebat ille. Permotus senex ad sepulchrum filiæ properat, eā nomine clamitat. Tum illa de sepulchro. Quid vis, ait, Pater? Commendatum, inquit, illius vbi posuisti. At illa locum designans. Illic, ait, inuenies defossum. Regressus domum, repertam rem tradidit reposcenti. *Ruffinus libro primo histor. capite quinto. Sozomenus libro primo, capite vndecimo. Socrates libro primo histor. Eccles. capite duodecimo.*

B s. Quidam sæcularis venit ad Abbatem Sisoym habens filium secum, quo in itinere mortuo non est conturbatus, sed cum fide tulit eum ad senem & procidit cum filio tanquam faciens pænitentiam vt benediceretur ab eo, & surgens pater reliquit filium suum ante pedes senis & egressus est. Porro senex putans quia pænitentiam ageret, dixit ei. Surge, vade foras non enim sciebat quia mortuus erat, & statim surgens egressus est, & videns eum Pater eius expauit, & intrans dixit seni causam. Audiens senex contristatus est, non enim volebat hoc fieri ibi. *In vitis Patrum libro 19. parte 2.*

B t. Tentatus est aliquando Abraham discipulus eiusdem à dæmonio, & videns eum idem Senex quia cecidit, surrexit, & expandit manus suas ad cælum dicens: Deus vis? non vis, non dimitto te nisi eum curaueris, & illico curatus est frater ille *Ibid.*

Vna die cum Sanctus Palemon & Pachomius discipulus vigilantes simul accenderent ignem, quidā frater apud eos manere voluit, qui cum susceptus fuisset inter verba vt fieri solet erupit & dixit. Si quis est ex nobis fidelis stet super hos carbones ignis, & orationem dominicam sensim lateque pronunciet, quem Palemon intelligés superbiæ tumore deceptum, commouit dicens: Desine frater ab hac insania, qui correptione senis non profecit, sed plus elatus super ignem stare cæpit, eratque videre quomodo operante inimico generis humani & Domino permittente nequaquā perustus fuerit. Itaque cum fecisset postero die idē maturè proficiscens ac velut exprobrans eis aiebat. Vbi est fides vestra? Deinde narratur qualiter in grande facinus est prolapsus, ac demum per amentiam se præcipitans in fornacem interijt. *In vitis Patrum in vita Sancti Pachomij.* B u.

Dixit beatus Cheremon Abbas, nunquā monachos probos nec morbo cænodoxię, id est vanæ gloriæ vacuos nostri maiores esse dixerūt, qui seipsos exorcistas coram hominibus confitentur, & gratiam diffamant, & ideo si quis coram nobis horum aliqua fecerit, non de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet apud nos esse laudabilis. *Cassian. in collat. Patrum, collat. decima-quinta, capite secundo.* B x.

Secundum quod dicit Hieronymus virtute magica possunt aliqua miracula fieri, tamen illa pertinent ad vanitatem & curiositatem, sicut Simon Magus faciebat statuas ambulare, B y.

lare,

lire, loqui & consimilia, sed illa quæ sunt salubria sicut curatio languidorum &c. non possunt artibus magicis fieri. *Nicolaus de Lyra in postilla super Matth. cap.* 12.

Bz. Dixit Abbas Nesteron spiritualium rationem charismatum tripartitam esse maiorum traditione percepimus. Prima curationum causa est cum pro merito sanctitatis electorum quosque signorum gratia concomitatur. Secunda cum ob ædificationem Ecclesiæ vel eorum qui infirmos suos ingerunt vel eorum qui curandi sũt, fidem sanitatum virtus etiam à peccatoribus indignisque procedit. Tertius curationum modus etiam colludio dæmonum ac factione simulatur, vt dum homo manifestis criminibus obligatus propter signa Dei famulus creditur, & per hoc obtrectationis auditu reserato etiam religionis sanctitas infametur, vel certe qui hæc dona habere se credit per superbiam, grauius elidatur. Ideoque à patribus nostris opera signorum nequaquam vidimus affectata, & nunquam exercere voluerunt, nisi fortè extrema illos necessitas coarctasset. *Collatione decima-quinta, capite primo & secundo.*

Ca. In superiori Thebaide cuiusdam Abbas monasterij cuidam qui nuper ad eremum secesserat, nec amplius ab eo quam sex milibus distaret, panem Abbas per duos pueros miserat, quorum maior quindecim, minor duodecim annos habebat. Iis ergo inde redeuntibus aspis miræ magnitudinis fit obuiam, cuius occursu nihil perterriti, vbi ad pedes eorum venit cærulea colla deposuit, minoris autem pueri manu apprehensa ac pallio inuoluta ferri cæpit. Deinde monasterium quasi victor ingressus captiuam bestiam non sine iactantia deposuit, sed cum infantium fidem fratres prædicarent, Abbas consilio altiori ne infirma ætas insolesceret virgis vtrumque compescuit, vt opus illud non suæ fidei sed diuinæ fuisse virtutis discerent. *Hæc Posthumianum narrasse scribit Seuerus in suo Dialogo lib. primo, capite quinto.*

Vbi prima superioris Thebaidis ingressus sum, peruenimus ad quendam senem monachum sub radice montis habitantem, bouem vnum habebat, cuius hic erat totus labor impulsa rotali machina aquam de puteo producere, nam ferè mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur. Hortus illic erat multis oleribus copiosus, id quidem contra naturam eremi. Verum hoc illi labor cum pecore communis, & propria præstabat industria. Ergo vna cum Domino bos ille viuebat. Nobis quoque ex ea copia cænam dedit, vbi vidi quod vos Galli forte non creditis ollam cum oleribus quæ nobis in cænam præparabantur, sine igne feruere. Tanta vis solis est vt quibuslibet totis etiam ad Gallorum pulmenta sufficiat. *Seuerus eodem libro.* Cb.

In extrema Cyrenæorum ora nũquam fuisse pluuiam est auditum, sed illic ventorum ea vis est vt si quando, vel clementior è cælo aliquantulus spirare flatus cæperit, magis in illis terris quam in vllo mari naufragium fit; nulla ibi germina, sata nulla proueniunt. Terra aliquando solidior herbam raram atque hispidam gignit, ea ouibus est pabulum. Incolæ lacte viuunt, qui ditiores, ordeaceo pane, ea ibi sola messis est quæ celeritate prouentus per naturam solis siue aeris ventorum casus euadere solet, quippe fertur à die iacti seminis trigesimo die maturescere. Ibi consistere homines non alia Cc.

ratio

senem venit sol ad occasum & orans senex dixit: Obsecro Domine stet sol donec perueniam ad seruum tuum, & factum est sic. *In vitis Patrum libro decimo-nono, parte prima.*

B r. Spiridion Cyprius Episcopus vir vnus ex ordine Prophetarum pastor ouium etiam in Episcopatu positus permansit. Filiam habuit Irenem nomine, quæ virgo defuncta est. Post eius obitum venit quidam dicens ei quoddam depositum commendasse. Rem gestam ignorauerat Pater; & quæsitum vbique nusquam inuentum est. Persistebat ille. Permotus senex ad sepulchrum filiæ properat, eã nomine clamitat. Tum illa de sepulchro. Quid vis, ait, Pater? Commendatum, inquit, illius vbi posuisti. At illa locum designans. Illic, ait, inuenies defossum. Regressus domum, repertam rem tradidit reposcenti. *Ruffinus libro primo histor: capite quinto. Sozomenus libro primo, capite vndecimo. Socrates libro primo histor. Eccles. capite duodecimo.*

B s. Quidam sæcularis venit ad Abbatem Sisoym habens filium secum, quo in itinere mortuo non est conturbatus, sed cum fide tulit eum ad senem & procidit cum filio tanquam faciens pænitentiam vt benediceretur ab eo, & surgens pater reliquit filium suum ante pedes senis & egressus est. Porro senex putans quia pænitentiam ageret, dixit ei. Surge, vade foras non enim sciebat quia mortuus erat, & statim surgens egressus est, & videns eum Pater eius expauit; & intrans dixit seni causam. Audiens senex contristatus est, non enim volebat hoc fieri ibi. *In vitis Patrum libro 19. parte 2.*

B t. Tentatus est aliquando Abraham discipulus eiusdem à dæmonio, & videns eum idem Senex quia cecidit, surrexit, & expandit manus suas ad cælum dicens: Deus vis? non vis; non dimitto te nisi eum curaueris, & illico curatus est frater ille *Ibid.*

Vna die cum Sanctus Palemon & Pachomius discipulus vigilantes simul accenderent ignem, quidã frater apud eos manere voluit, qui cum susceptus fuisset inter verba vt fieri solet erupit & dixit. Si quis est ex nobis fidelis stet super hos carbones ignis, & orationem dominicam sensim lateque pronunciet, quem Palemon intelligẽs superbiæ tumore deceptum, commouit dicens: Desine frater ab hac insania, qui correptione senis non profecit, sed plus elatus super ignem stare cæpit, eratque videre quomodo operante inimico generis humani & Domino permittente nequaquã perustus fuerit. Itaque cum fecisset postero die idẽ maturè proficiscens ac velut exprobrans eis aiebat. Vbi est fides vestra? Deinde narratur qualiter in grande facinus est prolapsus, ac demum per amentiam se præcipitans in fornacem interijt. *In vitis Patrum in vita Sancti Pachomij.* B u.

Dixit beatus Cheremon Abbas, nunquã monachos probos nec morbo cænodoxię, id est vanæ gloriæ vacuos nostri maiores esse dixerũt, qui seipsos exorcistas coram hominibus confitentur, & gratiam diffamant, & ideo si quis coram nobis horum aliqua fecerit, non de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet apud nos esse laudabilis. *Cassian. in collat. Patrum, collat. decima-quinta, capite secundo.* B x.

Secundum quod dicit Hieronymus virtute magica possunt aliqua miracula fieri, tamen illa pertinent ad vanitatem & curiositatem, sicut Simon Magus faciebat statuas ambulare, B y.

lare, loqui & consimilia, sed illa quæ sunt salubria sicut curatio languidorum &c. non possunt artibus magicis fieri. *Nicolaus de Lyra in postilla super Matth. cap. 12.*

Bz. Dixit Abbas Nesteron spiritualium rationem charismatum tripartitam esse maiorum traditione percepimus. Prima curationum causa est cum pro merito sanctitatis electorum quosque signorum gratia concomitatur. Secunda cum ob ædificationem Ecclesiæ vel eorum qui infirmos suos ingerunt vel eorum qui curandi sũt, fidem sanitatum virtus etiam à peccatoribus indignisque procedit. Tertius curationum modus etiam colludio dæmonum ac factione simulatur, vt dum homo manifestis criminibus obligatus propter signa Dei famulus creditur, & per hoc obtrectationis auditu reserato etiam religionis sanctitas infametur, vel certe qui hæc dona habere se credit per superbiam, grauius elidatur. Ideoque à patribus nostris opera signorum nequaquam vidimus affectata, & nunquam exercere voluerunt, nisi fortè extrema illos necessitas coarctasset. *Collatione decima-quinta, capite primo & secundo.*

Ca. In superiori Thebaide cuiusdam Abbas monasterij cuidam qui nuper ad eremum secesserat, nec amplius ab eo quam sex milibus distaret, panem Abbas per duos pueros miserat, quorum maior quindecim, minor duodecim annos habebat. Ijs ergo inde redeuntibus aspis miræ magnitudinis fit obuiam, cuius occursu nihil perterriti, vbi ad pedes eorum venit cærulea colla deposuit, minoris autem pueri manu apprehensa ac pallio inuoluta ferri cœpit. Deinde monasterium quasi victor ingressus captiuam bestiam non sine iactantia deposuit, sed cum infantium fidem fratres prædicarent, Abbas consilio altiori ne infirma ætas insolesceret virgis vtrumque compescuit, vt opus illud non suæ fidei sed diuinæ fuisse virtutis discerent. *Hæc Posthumianum narrasse scribit Seuerus in suo Dialogo lib. primo, capite quinto.*

Vbi prima superioris Thebaidis ingressus sum, peruenimus ad quendam senem monachum sub radice montis habitantem, bouem vnum habebat, cuius hic erat totus labor impulsa rotali machina aquam de puteo producere, nam ferè mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur. Hortus illic erat multis oleribus copiosus, id quidem contra naturam eremi. Verum hoc illi labor cum pecore communis, & propria præstabat industria. Ergo vna cum Domino bos ille viuebat. Nobis quoque ex ea copia cœnam dedit, vbi vidi quod vos Galli forte non credītis ollam cum oleribus quæ nobis in cœnam præparabantur, sine igne feruere. Tanta vis solis est vt quibuslibet totis etiam ad Gallorum pulmenta sufficiat. *Seuerus eodem libro.* Cb.

In extrema Cyrenæorum ora nũquam fuisse pluuiam est auditum, sed illic ventorum ea vis est vt si quando, vel clementior è cælo aliquantulus spirare flatus cœperit, magis in illis terris quam in vllo mari naufragium fit, nulla ibi germina, sata nulla proueniunt. Terra aliquando solidior herbam raram atque hispidam gignit, ea ouibus est pabulum. Incolæ lacte viuunt, qui ditiores, ordeaceo pane, ea ibi sola messis est quæ celeritate prouentus per naturam solis siue aeris ventorum casus euadere solet, quippe fertur à die iacti seminis trigesimo die maturescere. Ibi consistere homines non alia Cc.

ratio

ratio fecit quam quod omnes tributo liberi sunt, nihil emunt, nihil vendunt fraudulenter, aurum & argentum non habent nec habere cupiũt. Nam cum ego presbytero illi scilicet in cuius tugurio fuerant hospitati decem nummos aureos obtulissem, refugit, altiori consilio protestatus Ecclesiam auro non strui sed destrui. *Eodem libro capite secundo.*

Cd. Iuxta Romam Albulæ aquæ vulneribus medentur. In Italia fons Ciceronis oculorum vulnera curat. In Æthiopia lacus est quo perfusa corpora velut oleo nitescunt. Ex lictorio Italiæ qui biberint, vini tædium habent. In Boetia duo fontes, alter memoriam, alter obliuionem adfert. Cyzici fons amorem Veneris tollit. Boetiæ Lacus furialis est de quo qui biberit, exardescit ardore libidinis. In Campania sunt aquæ quæ sterilitatem fœminarum & virorum insaniam abolere dicuntur. In Sicilia sunt duo fontes, quorum vnus sterilem fœcundat, alter fœcundam sterilem facit. Fons Siloe in radicis montibus Syon non iugibus aquis sed incertis horis diebusque ebulit. In Iudæa quondam riuus Sabbathis siccabatur. In Sardinia fontes calidi oculis medentur. Terræ sunt quę multum sulphuris, aluminisque habent. Itaque cum per venas calentes aqua frigida venit, vicino sulphuris calore contacta excandescit, nec talis ab origine fluit, sed permutatur dum venit sulphur alumenque secum ferunt, aquæ materiam vtramque igne plenam minimisque motibus incalescentem. *Lysidorus libro decimo-tertio. Etymol. 2. cap. Vide Plinium libro decimo, capite secundo.*

Plin. lib. 30. c. 2.

Ce. De prædictis fontibus Sardiniæ dicit Solinus *cap. 4. de mirabilibus mundi,* quod quisquis sacro raptum negat, lumina aquis obtrectat, vbi periurium non est, cernit clarius, si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admissum fatetur. *Solinus vbi supra.*

Item, vide Alexander, Animal. a. Antichristus. a. Dij gentium. a. b. c. d. e. Aegyptus. b. Fulmen. a. b. Gorgias. a. Honor. c. Hieremias. a. b. Imago. a. Luxuria. l. Martinus. e. Patientia. g.

MISERIA.

Vide Homo. a. d. Mors. Mundus. Natiuitas.

MISERICORDIA.

A. Sanctus Odilo Cluniacensis Abbas in promulgandis iudicijs ac modis pænitentiæ præfigiendis, tam pius erat, vt nequaquam districtum Patris imperium, sed potius maternum exhiberet affectum. Vnde se reprehendentibus sic eleganter alludebat. Si damnandus sim, malo tamen de misericordia quam de duritia, vel de crudelitate damnari. *Petrus Damiani in eius vita. Sigebert. ad annum 992.*

B. Quidam, nomine Euagrius, cum vidisset quendam fratrum phantasijs, nocte turbari, hoc modo curauit eum, præcipiens, vt languentibus cibos ieiunans ministraret. Vnde requisitus, nihil inquit, sicut misericordia, huiusmodi passiones extinguit. *In tripartita historia libro octauo, capite primo.*

Item, vide Compassio.

MISSA.

A. Hoc in ordine Cartusiensi causaris & arguis quod singulis diebus missas non faciunt, atque huiusmodi religionis, seu potius superstitionis obtentu tuum machinaris egres-

ris egressum. Scis, quia monachiorum Pater sacerdotij gradum non attigit, expersque missarum multo tempore, etiam in die Paschæ vtrum Paschalis esset dies, ignorauit. Paulus, Antonius, Petrus, & Paulus Apostoli, atque cæteri quorum laus est in Euangelio, non leguntur singulis diebus hostiam immolasse. Frequentia contemptum parit, & ex ipsa raritate crescit reuerentia sacramenti. Vnde & Augustinus beatum reputat Sacerdotem qui semel in vita missam vnam dignè celebrare meruit. Teste Ambrosio, nunquam nisi puro corde, & contritione deuota, offerenda est hostia, in qua est salus mundi. *Petrus Blesensis in epistola ad monachum qui ab ordine Carthusiensi recedere conabatur.*

S. Benedictum intelligit.

Greg. l. 2. Dialo. 1.

In oratione ante Missam.

Epist. 86.

Licet Carthusiani in primis sui ordinis incunabulis, ob Sacramenti honorem, à quotidiana celebratione abstinuerint: (nam Blesensis ante annos amplius quadringentos hæc scripsit) nunc tamen constat à quotidiana celebratione neminem arceri. Noua enim collectio statutorum ordinis Carthusiensis capite 7. 2. partis, omnes hortatur Sacerdotes ad quotidianam confessionem & celebrationem, additque illam consuetudinem esse antiquam & receptam. Ceterum argumenta quæ in hac epistola congerit Blesensis, non aliud probant quàm à reprehensione immunes esse etiam pios Sacerdotes qui ob Sacramenti reuerentiam à quotidiano sacrificio abstinent. Deinde probant quotidianum sacrificium ijs dumtaxat congruere qui vitam tantæ dignitati parem instituunt. Primis Ecclesiæ nascentis exordijs fideles cum laude quotidiè communicasse luculenter conuincitur ex 2. cap. Act. Tertul. libro secundo ad vxorem. Hieron. epistol. ad Lucin. August. epistol. 122. Cyprian. in oratio. Domin. Ambr. libro quinto de Sacram: cap. quarto. Itaque multo magis credendum est olim Sacerdotes quotidianis vacasse sacrificijs. Non ergo dubitandum est Apostolos Petrum & Paulum, ceterosque Sacerdotes, quorum laus est in Euangelio, quotidie rem diuinam fecisse, etsi scriptum non sit. Certè scriptum est in libro Passionis D. Andream Apostolum, cum in crucem ageretur, tyranno dixisse: Quotidie immolo Deo agnum immaculatum. Porro non omnis familiaritas parit contemptũ, sed quæ cum hominibus imperfectis initur, quia homines in hominibus facilè quosdam defectus obseruant. A Deo autem omnis abest imperfectio: hinc Angeli qui familiarissimè Deo astant, summa seruiunt cum reuerentia. Consule Suarem tomo secundo, in 3. part. S. Thom. disp. 80. sect. secunda. Hæc paucula notaui, ne aliqui lectione huius epistolæ inducti, laudabilem & sanctam plurimorum consuetudinem quotidiana sacrificia offerendi carpant. Neque mirum cuiquam videri debet, si P. in eam opinionem de quotidiani sacrificij oblatione, inductus fuerit, cum propter eximiam animi demissionem, nullis precibus ac rationibus ad amplexum Sacerdotij permoueri potuerit, identidem protestatus se tam augusti Sacramenti ministerio indignum: quanquam declivi & affecta iam ætate, precibus aliorum victus Sacerdotio initiatus appareat ex epistol. 129. Hic auctor insinuat Sanctum Benedictum non fuisse Sacerdotem. Contrarium tamen asserit & probat Pater Antonius Yepes in Chronicis Benedictinis, centuria prima ad annum quinquagesimũ secundum S. Benedicti cap. 5.

Presbyter quidam vitę venerabilis inuenit in balneis virum ad suum obsequiũ præparatum, qui sibi de pedibus calciaméta abstraheret, & ei in omnibus deseruiret. Presbyter

die

die quadam ad balnea iturus dixit intra se. Viro illi necesse est aliqua portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit, qui mox hominem inuenit & eius obsequio in omnibus vsus est. Tunc cum vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat illi viro obtulit. Cui ille mærens respondit: Quare ista das Pater? iste panis sanctus est. Ego non possum manducare. Me enim quem vides, aliquando loci huius Dominus fui, sed pro culpis meis hic post mortẽ deputatus sum. Offer ergo pro me hunc panem vt pro peccatis meis interuenias & tunc exauditum te esse cognosce cum veneris huc ad lauandum & me non inueneris. In quibus verbis disparuit. Idem presbyter vero hebdomada continua se pro eo in lachrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & reuersus post eũ amplius nõ inuenit. Qua in re quam prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur &c. *Gregorius in Dialogis libr. 4. cap. 57.*

C*. Dum quidam nauta in mari naufragium passus fuisset, & Agaro Panormitanus Episcopus credens eum esse mortuum, pro absolutione eius animæ per quendam Sacerdotem sacrificium obtulisset, tandem cum ad portum Romanum venisset, illic nautam reperit. Ipse vero nauta narrabat ei dicens: Laborans in fluctibus subito mentis pondere sum grauatus ita vt nec somno depressus essem, nec vigilare me crederem, cum ecce in medio mari quidam apparuit qui mihi ad refectionem panem detulit, qui statim vires recepi, nec longè post nauis transiens affuit, quæ me ab illo vndarum periculo suscepit. Quod ille audiens, requisiuit diem, atque illum fuisse reperit quo pro eo presbyter Domino hostiam sacræ oblationis immolauit. *Eodem libro capite 59.*

Ad quendam solitarium venit presbyter quidam vt consecraret sibi oblationem ad communicãdum. Veniens autem quidam accusauit illum presbyterum, qui cum ex consuetudine venisset iterum ad eum vt consecraret, scandalizatus est ille solitarius & non aperuit ei. Presbyter hoc viso discessit. Et ecce vox ad solitarium dicens: Tulerunt ergo homines iudicium meum, & factus est velut in excessu mẽtis, & videbat quasi puteum aureum & situlam auream & funem aureum, & aquam valde bonam. Videbat autem & leprosum haurientem refundentem in vase, & cupiebat bibere & non bibebat eo quod leprosus esset, & ecce vox rursus ad eum. Cur non bibis ex hac aqua? An ob causam eius qui implet? implet enim solum, & effundit in vase. In se autem reuersus solitarius & considerans virtutem visionis vocauit presbyterum, & fecit eum sicut prius sanctificare sibi oblationem. *In vitis Patrum libro nono, parte 2.* D*.

Perrexit Abbas Matoys de Raytu in partibus Gebalon. Erat autem cũ eo frater eius, & venit ad eum Episcopus loci illius, & fecit eum presbyterum. Et dum gustarent simul, dixit Episcopus: Ignosce mihi Abba, quia scio quod nolueris hanc rem, sed vt tuam perciperem benedictionem præsumpsi hoc facere. Dixitque senex cum humilitate. Et animus meus modicum volebat hoc, verũtamen hoc grauiter fero quia cogor separari á fratre meo. Non enim sufficio omnes preces solus implere. Dixit Episcopus: Si scis quia dignus est, & ego ipsum ordino. Dixit ei Abbas Matoys: Equidem si dignus est nescio, vnum autem scio quia melior me est. E.

me est. Ordinauit autem & ipsum Episcopus, & ita vtrique recesserunt ab hac vita, vt nunquam ad sacrificandum oblationem altari proximarent. Dicebat autem senex: Credo in Deum quia fortitam non sustineam graue iudicium propter ordinationem quam suscepi dum oblationem non audeo consecrare. Hoc enim officium illorum est qui sine querela viuunt. *In vitis Patrum libro decimoquinto, cap. quarto.*

F. Ad Alexandrinum Macharium ego veniens reperi ante fores ipsius qui venerat vt curaretur. Habebat enim totum caput carchino exesum vt etiam vertices nudarentur, & necdum à Machario susceptus fuerat aut visus, qui mihi pro illo roganti vt ei misereretur respõdit. Non est dignus iste curari, hanc enim pœnam diuinitus accepit, quia fornicatione pollutus mysteria Domini violare consueuit, persuade autem illi vt in perpetuum se suspendat à sacrificij immolatione, & sic poterit curari, quod & factum est. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus.*

G. Dæmon apprehensus à beata Iuliana inter alia quæ sibi confessus est dixit, quia tunc à Christianis maximè elongabatur, quando mysterium dominici corporis agebatur, & quãdo orationes & prædicationes fiebant. *In aurea legenda de sancta Iuliana.*

H. Sacerdos quidam missam de beata virgine quotidie celebrabat, qui Archiepiscopo Thomæ accusatus, ab eo tanquam idiota ab officio suspenditur. Cum autem beatus Thomas suũ cilicium sumere deberet, & ipsum abscondisset, vt ad suendum horam captaret, beata virgo Sacerdoti apparuit dicẽs: Vade ad Archiepiscopum, eique dicas, quod illa ob cuius amorem missas dicebas, eius cilicium quod est in tali loco, consuit, & ibi reliquit. Illa ergo sibi mandat, vt interdictum quod tibi fecit, relaxetur. Quod ille audiens, & ita inueniens, stupuit, & interdictum laxans Sacerdotem, hoc habere secretum præcepit. *In aurea legenda de Natiuitate beatæ Mariæ. In appendice exemplorum Cantipratani.*

I. Vir tribunitius Hesperius apud nos est. Habet in territorio Fussalensi fundum zebuli appellatum, vbi cum afflictione animalium & seruorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi. Deo miserante, illa vexatio protinus cessauit. Acceperat autem ab amico terram sanctam de Hierosolymis allatam, vbi Christus sepultus die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali & ipse pateretur, ast vbi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret cogitabat. Fortè accidit vt ego & collega meus Episcopus Synicensis Ecclesiæ Maximinus in proximo essemus: vt veniremus, rogauit, & venimus, cumque nobis omnia retulisset, hoc etiam petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, vt etiam Christiani possent ad celebranda quæ Dei sunt, congregari. Factum est. Erat ibi paralyticus: Hoc audiuit, petiuit à parentibus suis vt illum eò afferrent, quo cum venisset, orauit, & pedibus suis saluus abscessit. *August. de ciuitate Dei lib. 22. cap. 8.*

Item, vide Clericus. c. Coitus. a. Iacobus Alphæi. b. Magia. e. Ordo. b. Pollutio. a. Proprietarius. a.

MODERATIO.

A. POplicola Valerius, cũ exactis Regibus, imperij eorum vim vniuersam, omnia insignia sub titulo consulatus in se translata cerneret, inuidiosum magistratus fastigium moderatione sua ad tolerabilem habitum deduxit, vltro Spurio Lucretio assumpto collega. Ædes suas diruit, quia loco excelsiori positæ instar arcis habere videbantur. *Valer. libro 42. capite primo. Liuius 2. Plutarc. Dionys. 5.*

B. Marcus Rutilus Cẽsorinus iterum Censor creatus, populum grauissima oratione corripuit, quod eam potestatem bis sibi detulisset, cuius maiores, quia nimis magna videretur, coarctandum tempus iudicassent. Vterque rectè, & Censorinus, & populus, alter enim vt moderatè honores crederent, præcepit; alter se moderato credidit. *Ibidem Valer. Liuius libr. 4. & 9. Plut. in Coriolano.*

C. Numidicus Metellus populari factione patria pulsus in Asiam secessit, in qua cum fortè ludos spectanti literæ redditæ essent, quibus scriptum erat, maximo Senatus & populi Romani consensu, reditum illi in vrbem datum, nõ á theatro prius abijt, quam spectaculum ederetur, non lætitiam suam proximè sedentibus patefecit, sed intra se continuit. *Ibidem Liuius 69. Auctor de viris illustribus capite sexagesimo-secundo.*

D. Theopompus Spartanorum Rex cum primus statuisset, vt Ephori Lacedæmoniæ crearentur, ita futuri regiæ potestati oppositi, quemadmodum consulari imperio Tribuni plebis sunt obiecti Romæ, atque illi cum vxor dixisset, id egisse illum, vt filijs minorem potestatem relinqueret, relinquam, inquit, sed diuturniorem optime quidem, ea enim demũ tuta est potentia, quæ viribus suis modum imponit. *Valerius ibidem. Plut. in Lycurgo.*

E. Antiochus á Lucio Scipione vltra Taurum montem imperij finibus submotus, cum Asiam vicinasque gentes aduenisset, gratias agere populo Romano non dissimulanter tulit, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. *Ibidem Valer.*

Tullius pro Deiotaro. al. amisisset.

MONACHVS.

A. QVidam monarchus Cisterciensis pòst Episcopus Albanensis & Cardinalis die quadam equitans vni monacho minus literato secum equitanti dixit vt sibi & socijs bonum verbum diceret. Qui licet multum prius se excusans ait: Cum mortui fuerimus & adducti, occurret S. Benedictus, & nos cucullatos cum gaudio introducet. Huic autem Episcopo & Cardinali infulato dicet, quis es tu? Et tu respondebis, Pater, Ego sum monachus Cisterciẽsis. At ille nequaquam, monachus enim corniculatus non est, tunc hoc multa pro se allegante data sententia, dicet ostiarijs. Aperite ventrem eius, & si inueneretis ibi olera, fabas, pisa, cum monachis introeat, si autẽ pisces grossos & cibos delicatos, foris maneat, quid illa hora dicturus es? Cardinalis subridens sermonem cõmendauit. *Cæsarius in Dialogo miraculorum lib. 4. cap. 79.*

B. In verbis seniorum dicitur, dixisse Antonium, si posset fieri quantos passus ambulat monachus, vel calices aquæ bibit, deberet senioribus decla-

declarare, vt non deuiet in ipsis. *In speculo historiali lib. 15. cap. 14.*

C. Cum Longobardi in montem Cassinum irruentes omnia diriperent, monachi fugientes Romam petierunt, codicem regulæ Benedictinæ, pondus panis, & mensuram vini secum deferentes. *Sigebertus in Chronicis. Leo Ostiensis in Chron. Cassi. l. 1.*

D *. Sanctus Odo cum discipulos regularibus disciplinis instrueret, multorum monachorum narrauit excessum miserabilem, vt in eis motus iuueniles consumeret. His, inquit, diebus frater quidam veniens ad domũ cuiusdam sui parentis ad comedendum quæsiuit, cui cum respondisset quia nondum hora comedendi venit, indignans adiecit. Heu tota nocte equitando laboraui, & nunc ieiunare me cogitis. Afferte ergo mihi si quid habetis. Cui cum dicerent pisces se habere, cæpit huc illuc oculos circumferre. Ibat autem circa pedes eius gallinarum grex. Tunc baculum arripuit, & vnam percussit & furens dixit. Hæc est hodie mihi piscis. Circumstantes autem cum quodam rubore dicebant. Licet tibi comedere carnem Pater? At ille volatile, inquit, non est caro, volatilia enim & pisces vnam habent originem. Apposita est ergo coram eo gallina ex quo coxam abstulit & momordit, nec euomere potuit nec glutire, sed eum vita priuauit. *In gestis sancti Odonis Cluniacensis, apud Surium tomo sexto, decimo-nono Nouembris. Vincent. Specul. histor. libro vigesimo-quarto, capite sexagesimo-septimo.*

E. Quidam frater ex prædicti ordinis congregatione illicito tempore sibi fleubotomiæ curationem adhibuit, super quo facto commotus est eius animus, quia quamuis eum necessitas coegisset, tamen absque eius licentia præsumere non debuit. Mox vena per quam sanguis effluxerat & quousque animam redderet à quocunque medicamine non fuit restricta. *Vbi supra.*

Quadam die Benedictus Dei famulus misit ex more ad quoddam monasterium sanctimonialium pro exhortandis animabus, sed is qui missus fuerat monachus, post factam admonitionem, á sanctimonialibus rogatus mappulas accepit, sibique eas abscondit, qui mox vt reuersus est eum vir Dei vehementi amaritudine cæpit increpare dicens. Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum. *Gregorius in Dialogis libro secundo capite vigesimo.* F.

Seruus Dei Isaac dum de Syriæ partibus Spoletum venisset, non longe desertum locum reperit, ibique sibi habitaculum humile construxit, ad quem multi vt ad magistrum confugerunt. Cumque eum crebrò discipuli humiliter admonerent, vt pro vsu monasterij possessiones quæ afferebantur acciperet, dicebat: monachus qui in terra possessionem quærit, monachus non est, sic quippe timebat paupertatis suæ securitatem perdere sicut diuites diuitias. *Et infra.* Die quadam ad vesperum in orto monasterij iussit iactari fammenta quæ vulgo vangas vocamus. Nocte vero eadem dum ex more cũ fratribus ad Dei laudes surrexisset præcepit dicẽs. Ite & operarijs nostris pulmentum coquite, vt mane primo paratum sit. Facto mane iussit deferri pulmentum atque hortum cum fratribus ingressus est, quot vangas iactari iusserat tot in eo laborantes operarios inuenit. Ingressi quippe fures fuerant, sed mutata menta per spiritum apprehen- G.

derunt vangas, & cuncta orti spatia coluerunt, quibus vir Dei ait, Fratres multum laborastis, iam quiescite. Sufficienter refectis ait: Nolite malum facere, quoties de orto vultis aliquid, ad orti ostium venite, tranquille petite, quos statim collectis oleribus onustari fecit. *Gregorius in Dialogis libro tertio, capite decimo-quarto.*

H. Dixit Abbas Euagrius. Nunciata est cuidam monacho mors Patris sui, & ille ait ad eũ qui nunciauerat. Desine blasphemare, meus enim pater immortalis est. *In vitis Patrum libro primo, parte prima, & in tripartita historia lib.* 8. *cap.* 1.

I. Abbas Siluanus sedens quondam cum fratribus factus est in excessu mentis, & plorabat. Et dixerunt fratres: Quid habes Pater? ille autem tacebat & flebat. Compellentibus autem eis dixit. Ego ad iudicium raptus sum & vidi multos de habitu nostro euntes ad tormenta, & multos seculares euntes ad regnum. *In vitis Patrum libr.* 1. *parte* 2.

K. Dicebat Arsenius. Sufficit monacho si dormierit vnam horam si est tamen pugnator. *In vitis Patrum libr. primo parte prima.*

L. Monachus occurrit ancillis Dei in itinere, quibus visis diuertit ex via. Cui dixit Abbatissa: Tu si perfectus monachus esses, non respiceres nos sic vt agnosceres quia fœminæ eramus. *Eodem libro quarto, parte* 5.

M. Dixit senex. Monachus in tentatione sic est vt Dominus domus quæ cadit, & si sobrius fuerit in cogitatione sua reædificat eam, inueniens materias ad ædificium profuturas, atque ita velociter fabrica proficit: ita & monachus si in tentationem inciderit & conuersus fuerit ad Dominum habet meditationem diuinæ legis, opus manuum, orationem, & cætera quæ sunt fundamenta. *In vitis Patrum lib.* 5. *parte* 3.

Dicebat quidam de Thebæis senibus, quod filius esset Sacerdotis idolorum, & cum patrem vidisset idolo sacrificare, vidit Sathanam sedẽtem, & omnem eius militiam astantem. Et ecce vnus de Principibus adorauit eum. Cui dæmon: Vnde venis? Ille dixit. In illa prouincia suscitaui bella & plurimas perturbationes, & veni nunciare tibi. Interrogante autem diabolo in quanto tempore hoc fecisset respondit; In triginta diebus. Tunc diabolus iussit eum flagellari dicens: Tanto tempore hoc fecisti? Et ecce alius venit, & interrogatus vnde veniret respondit: In mari suscitaui commotiones & multos homines occidens veni nuntiare tibi. Dixit ei diabolus: In quanto tempore hoc fecisti? Sunt 20. dies, & hunc iussit flagellari. Et venit tertius dicens: In illa ciuitate dum nuptiæ fierent excitaui lites & multas sanguinis effusiones feci, & ipsum sponsum occidi. Et hunc iussit flagellari. Quartus venit dicens: In eremo eram & ecce iam 40. anni sunt quod impugno monachum quendam, & vix nocte ista præualui, vt eum facerem fornicari. Quod dæmon audiens surrexit, & tollens coronam capitis posuit in capite illius dicens: Magnam rem fortiter egisti. Hæc ego cum vidissem & audissẽ dixi intra me. Valde magnus est ordo monachorum. *In vitis Patrum lib.* 5. *parte* 8.

N. Frater quidam renuncians seculo retinens sibi pauca venit ad Abbatem Anthonium, quod vt cognouisset senex dixit ei. Si vis monachus fieri, vade in illum vicum & eme carnes & impone corpori tuo nudo, & sic veni huc. Et cum fecisset sic, aues carnes & corpus eius lacerabant. Tunc

inter-

interrogauit senex si fecisset quod dixerat. Illo autem ostendente corpus suum laceratum dixit. Qui renunciant seculo & volunt habere pecunias, ecce ita impugnati á dæmonibus discerpuntur. *In vitis Patrum libro sexto, parte prima.*

O. Dicebat fratribus Abbas Isaac: Patres nostri & Abbas Pambo vetustis & in multis partibus resarcitis vestibus vtebantur, nunc autem pretiosis vestibus vtimini. Discedite hinc desertastis locum hunc. *Eodem libro parte secunda.*

P. Dicebat Abbas Cassianus, quia Sincletius nomine renunciasset seculo, & facultates pauperibus diuidens, aliqua sibi retinuisset, ad quem sanctæ memoriæ Basilius dixit: Et senator esse desijsti, & monachum te non fecisti. *Eodem libro septimo, capite vigesimo-nono.*

Q. Dixit frater Abbati Pastemoni. Si habeo quod sufficiat necessitatibus meis aliunde, videtur tibi quod non cogitem de labore manuum. Respõdens senex dixit: Quantumuis habeas non negligas operari, & quantum potes, fac, & non cum turbatione animi. *Eodem libro, parte 2.*

R. Frater interrogauit Abbatem Serapionem. Dic mihi vnum verbum. Dicit ei senex: Quid tibi habeo dicere, quia tulisti ea quæ erant viduarũ & orphanorum, & posuisti in fenestra. Viderat eam enim codicibus plenam. *Ibid.*

S. Dicebat Abbas Yperitius, quia thesaurus monachi est voluntaria paupertas. *Ibid.*

Interrogatus est senex à fratre quid faceret vt saluus esset. Ille autem expolians se & cingens lumbos suos & extendens manus dixit. Sic debet esse nudus monachus ab omni materia seculari, & crucifigere se aduersus tentationem & certamina mundi. *Ibidem.*

T. Venit quidam vir portans aurum in Scitij, & rogabat presbyterum eremi vt erogaretur ad fratres. Dixit autem presbyter: Non opus habent fratres. Et cum non acquiesceret posuit sportam cum solidis in ingressu Ecclesiæ & dixit presbyter. Qui opus habet tollat & nemo tetigit, quidam autem nec aspexit, & dixit ei senex. Suscepit Deus oblationem tuam, vade & da illud pauperibus. Et valde ædificatus discessit. *Eodem libro parte tertia.*

V. Frater interrogauit senem dicens. Vis teneo duos solidos propter infirmitatem mei corporis: Videns senex eum velle tenere dixit ei, etiam. Et vadens frater in cellam suam conterebatur cogitationibus dicens. Putas verum mihi dixit Senex? Et surgens iterum venit ad senem agens pænitentiam dicens. Propter Dominum dic mihi veritatem. Dixit ei senex: Dixi tibi, vt teneres, verumtamen non est bonum tenere plusquam opus est corpori. Si ergo retinueris duos solidos in ipsis inuenietur spes tua, & si contigerit vt pereat, Deus iam non cogitat de nobis. Cogitationem ergo nostram iactemus in Domino quoniam ipsi cura est de nobis. *Ibidem.*

X. Frater dixit Seni: Abba volebam inuenire senem aliquem iuxta volũtatem meam & morari cum ipso. Dixit ei senex: Bene quæris. Affirmabat autem eiusmodi esse desiderium suum non intelligens quod loquutus est ei senex. Et dixit ei tandem senex. Ergo si inueneris secundum voluntatem tuam vis manere cũ eo? Et dixit ei: Etiã. Dixit ei senex. Non vt tu sequaris voluntatem illius, sed vt ille tuam, & ita in eo repauses. Sensit

autem frater ille quod dicebat, & prostrauit se in terram dicens: Ignosce mihi, quia gloriabar me bene dicere, cum nihil tenerem boni. *In vitis patrum libro decimo, parte* 11.

Y. Duo fratres carnales renunciauerunt seculo, quorum minor cœperat habitum monachi gestare, & cum venisset quidam Patrum, posuerunt peluim, & venit qui minor erat ætate, vt lauaret pedes senis. Senex eius manus tenens, remouit eum, & maiorem ætate fecit implere opus quod primi in monasterio consueuerunt facere. Dixerunt ei Fratres: Abba ille minor ætate, in conuersatione primus est. Respondit senex: Ego tollam primatum minoris, & trado ei qui ætate præcedit. *Eodem libro parte duodecima.*

Z. Dixit Sancta Sincletica. Non habemus in hoc seculo securitatem. Nam dicit Apostolus. Qui stat videat ne cadat, quia velut mare est in incerto vita nostra. In monasterio tamen nauigamus sole iustitiæ nobis præbente ducatum, illi autē in nocte ignorantiæ deportantur. Sed tamen contingit vt seculares illi in tempestate nauigantes ad Dominum clamando saluent nauim suam, nos autem in tranquillitate neglectu ipso demergimur dum gubernaculum iustitiæ derelinquimus. *In vitis Patrum lib.* 11. *parte* 3.

Aa. Mandatum est Epiphanio Episcopo Cyprio ab Abbate monasterij sui. Quia orationibus tuis non negligimus regulam, sed cum sollicitudine, primam, tertiam, sextam, nonam atque vesperam celebramus. Ille autem mandauit ei. Constat vos ab oratione vacare cæteris horis, verum monachum oportet sine intermissione orare aut certè psallere in corde suo. *In vitis Patrum. Ibi.*

Ab. Narrauerunt fratres dicentes. Venimus aliquando ad quosdam senes, & post orationem inuicem sedimus, & cum discederemus poposcimus vt iterum fieret oratio. Dixit autem vnus senum illorum ad nos, quid? nō orastis? & nos diximus etiam, sed quando intrauimus: & ex illa hora vsque modo loquuti sumus. Et ille dixit: Ignoscite fratres quia vobiscū sedens quidam frater & loquens centies orationem fecit. hæc cum dixisset, facta oratione dimiserunt nos. *Ibidem.*

Ac. Narrauit Abbas Ioannes quia Abbas Anub & Pastor & residui fratres ex eodem vtero nati monachi fuerūt in Scythi, sed quādo venit gens Masicarum & desolauerunt ipsum locum, venerunt in locum qui dicitur Terenuthij, donec deliberarent vbi habitare deberent, & facie cuiusdam statuæ pluries percussa lapidibus dixit Abbas Anub. Nos qui sumus septem fratres si vultis vt maneamus simul, efficiamur velut statua quæ non est perturbata contumelijs. Illi autem dixerunt. Quomodo iubes Pater ita fiat. Nobis autem retulit Abbas Pastor, quia mansimus simul omni tempore vitæ nostræ operantes & facientes omnia secundum verba senis. *Ibidem libro decimo-quinto, parte secunda.*

Ad. Abbas Moyses dixit fratri Zachariæ. Dic mihi quid faciam? Ille hæc audiens iactauit se ad pedes eius dicens: Tu me interrogas Pater? Dixit: Crede mihi Zacharia quia vidi Spiritum sanctum descendentem in te, & propterea cogor interrogare te. Tunc tollens Zacharias cucullum de capite misit illud sub pedibus suis, & conculcans dixit. Nisi ita conculcatus fuerit homo, nō potest monachus esse. *Eodem libro parte secunda.*

Dixit

A e. Dixit Abbas Nisteron, quando intraui in initio in congregatione dixi animo meo. Tu & asinus vnum estο. Si ergo asinus vapulat & non loquitur, sic & tu vt in psalmo legitur, vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. *Eodem libro parte quarta.*

A f. Narrauerunt aliqui quia philosophi quidam voluerunt probare monachos & venit vnus transiens stola indutus. Et dixerunt: Tu veni huc. Ille vero indignatus aggressus est eos. Transiuit & alter monachus magnus rusticus genere & ipsi dixerunt: Tu monache male senex tu veni huc. Ille vero venit, & cœperunt ei dare alapas. Et conuertit illis aliam maxillam. Statim illi surrexerunt & dixerunt: Verè ecce monachus, & fecerunt eum sedere in medio sui. *In vitis Patrum libro 16. parte 2.*

A g. Contigit Abbatem Pambo iter facere cum fratribus in partes Ægypti, & videns quosdam seculares sedentes dixit: Surgite & salutate & osculamini monachos vt benedicamini. Frequenter enim cum Deo loquuntur & sancta sunt ora eorum. *In vitis Patrum libro decimo-septimo, parte prima.*

A h. Fuit quidam magnus inter præuidentes. Hic affirmabat dicens quia virtutem quam vidi stantem super baptisma, eandem vidi super vestimentum monachi, quando accepit habitum spiritualem. *In vitis Patrum libro decimo-octauo, parte quinta.*

A i. Referebat quidam Patrum quia tres res honorabiles sunt apud monachos, cōmunicatio sacramentorū, & mensa fratrū, & peluis in qua fratrum pedes lauantur, quia erat quidam magnus vir, & contigit vt idem gustaret cum fratribus, & comedentibus illis videbat in spiritu quosdam comedentes mel, alios autem panem, alios stercus, & admirans orabat intra se dicens. Reuela mihi Domine mysterium hoc. Et venit ei vox dicens: quia illi qui manducant mel hi sunt qui cum timore & gratiarum actione edunt & incessanter orant, & oratio eorum ascendit ad Deum. Qui panem manducant hi sunt, qui gratias agentes percipiunt ea quæ ex Deo sunt cum gratiarum actione. Qui stercus vero manducāt, hi sunt qui murmurant & dicunt: Hoc bonum est, illud malum est, hæc autem & talia non oportet cogitare, sed magis Deum glorificare. *In vitis Patrum libro decimo-octauo, propè finem.*

Venit aliquando Abbas Macarius Ægyptius ad monasterium Pambo. Et dixerunt ei senioris illius loci. Dic fratribus verbum ædificationis Pater. Qui dixit eis: Ego nondum factus sum monachus, sed vidi monachos. Abij enim in eremo & reperi stagnum & Insulam, veniebantque diuersa animalia eremi & bibebant in stagno. Inter quæ vidi duos homines nudos, quibus dixi. Vnde estis? Qui dixerunt: De cænobio sumus, & factus est nobis consensus. Et egressi sumus huc ecce iam quadraginta anni sunt. Et interrogabam eos. Quomodo possum fieri monachus? Et dixerunt: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ in mundo sunt non potest fieri monachus. Et interrogaui eos. In hyeme non sentitis frigus & in æstate non incenditur vestrum corpus in caumate? Et dixerunt: Deus fecit nobis hanc dispensationem, vt nec in hyeme frigus, nec in æstate ardorem sentiamus. Ideoque ego dixi vobis A k.

quia nondum factus sum monachus. *In vitis Patrum libro secundo, parte secunda.*

Al. Quidam frater interrogauit senem vtrum cum matre vel cum fratribus proficiscens manducare deberet? Cui senex ait. Cum muliere non manducabis. *In vitis Patrum libr. 11. parte 2.*

Am. Ait Antonius. Ingens dæmonum turba peruolat aerem, quorum cõtra omnes Christianos maximè contra monachos odium est. *Athanasius in vita Sancti Antonij.*

An. Postulanti cuidam duci sanctum Antonium vt paulo largius suam præsentiam indulgeret, ait, se non posse diutius ibi morari, dicens, quod sicut pisces ex aqua extracti mox in arenti terra moriuntur solis calore, ita & monachi cum secularibus retardantes, humanis statim confabulationibus resoluuntur, nam tardantibus nobis aliquando quædam propositi succedit ignauia. *Athanasius ibidem.* Et sicut pisces terræ tactu tabescunt, sic gloria monachorum ad vrbes accedendo fœdatur. *Narratur in historia tripartita libro primo, capite vndecimo.*

Ao. Vidimus apud Ægyptios monachos multos Patres in terra positos cælestem vitam agentes, & prophetantes, quibus ad testimonium meritorum nec signorum deerat efficacia. Nonnullos eorum ita ab omni maliciæ cogitatione ac suspicione vidimus sequestratos, vt nec si aliquid mali ageretur in seculo meminissent. Denique plurimi eorum, non ad humana profugia sed ad Deum conuersi quæ poscunt ilico consequuntur. Multa enim in eis fides est quæ & montibus vt transferantur valeat imperare. Plurima enim signa quæ ab Apostolis & Prophetis gesta fuerant consummauerunt. Sed & illud valde mirum rara & difficilia in eis conuenisse, vt & numero immensi sint vt virtute incomparabiles. *Et infra.* Sunt ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculis astricti &c. *In prologo narrationis de vita & conuersatione Sanctorum Patrum Aegyptiorum qui in Scythi morabantur.*

Forma huiusmodi inter monachos Ægyptios obseruatur, vt si quis ad eos veniat, ante omnia oratio fiat, & nomen Domini inuocetur. *In vita Sancti Ioannis Eremitæ.* Ap.

Vbi per vrbes tantæ multitudines veniunt ad salutem quanta Ægypti deserta protulerunt? Nam quanti populi habentur in vrbibus, tantæ pænè habentur in deserto multitudines monachorum. *In vitis Patrum sub titulo de sancto Apollonio.* Aq.

Venimus ad ciuitatem quandam Thebaidis amplam nomine Oxirinthum, in qua tanta religionis deprehendimus dona, vt ea dignè nemo sufficiat enarrare. Repletam enim monachis intrinsecus vidimus & extrinsecus, & plura monasteria quam domos in ea esse. Requirentes autem ab Episcopo loci illius, viginti millia virginum & decem millia monachorum inibi haberi comperimus. *In vitis Patrum sub titulo de vrbe Oxirintho.* Ar.

Vidimus præsbyterum in vrbe Arsinoue nomine Serapionem multorum monachorum Patrem quasi decem milium. Moris vero erat non solum ipsis sed & omnibus pænè Ægyptijs monachis vt messis tempore se locent ad metendam operam suã atque ex eadem mercede octogenos vnusquisque modios frumenti plus minusue conquirat, & horum partem plurimam vsibus pauperum offerunt. As.

ferunt. Vnde non solum regionis illius indigentes alunt, sed & Alexandriam naues frumento onustæ diriguntur, vel captiuis vel egentibus prorogandæ. *In vitis Patrum sub titulo de sancto Serapione.*

A t. Vidimus apud Thebaidam, & Isidori nominatissimum monasterium, in quo mille habitantibus viris larga præbeantur habitacula, intrinsecus autem horti irrigui, arborumque paradisi. Senior quidam grauis ad ianuam sedens hoc habebat officium vt aduentátes ea lege susciperet, quo ingressi vltra non exeant. Hic ergo senior habebat cellulam proximam portæ, à quo suscepti didicimus quæ institutionum beatitudo gereretur intrinsecus. Duos esse aiebat solos viros quibus permissa est ingrediendi, egrediendique libertas, qui opera fratrum dispensarent, & quæ necessaria sunt, inferre curarent: cæteros verò esse ita in silentio, & quiete, & bonis operibus, vt omnes signa faciant. Et cum vnicuique vitæ finis adfuerit, omnibus modis prænoscens fratribus, valedicens spiritum lætus emittit. *In vitis Patrum sub titulo de Isidori monasterijs.*

A u. Anachoreta Palemon in eremo Domino seruiens, Pachomio se monachum fieri, & cum eo habitare petenti, respondit. Non potes hic monachus fieri, non enim parua res agitur, si veri monachi conuersatio pensetur. *Et infra.* Intuens autem Pachomij fidem, tandem eum suscipiens, habitu monachi consecrauit. Morabantur ergo simul, texebant cilicia, & laborabant manibus suis, vt haberent, vnde tribuerent necessitatem patientibus. In vigilijs autem cum nocturnas orationes celebraret, si quando vidisset senior somno Pachomium premi, educens eum foras, arenam portare præcipiebat, & tali exercitio mentem somno grauatam subleuabat. *In vitis Patrum in vita S. Pachomij.*

Cum Pachomius Deum precaretur quatenus declararet ei qualis esset futurus status monachorum, subito videt visionem quæ de statu posterorum suorum plenius edoceret. Nam monasteria sua valdè dilatanda nonnullosque piè & continenter victuros cognouit, neglecturos autem plurimos suam salutem, maximè per negligentiam Præpositorum qui pro dignitate contendent, & boni reprobabuntur & mali eligentur. Postea refertur qualiter ei Christus apparuerit dicens. Confortetur cor tuum quia posteritas tua manebit semper. *In vitis Patrum in vita Sancti Pachomij, & in speculo histor. lib. 19. cap. 47.* A x.

Quod sæculares curę etiam in nos monachos vel Eremitas cadere nonnunquam possint monstratur secundum regulam Seniorum qui quidquid necessitatem victus quotidiani & ineuitabilem vsum carnis excedit ad eam curam definierunt pertinere, vt verbi gratia si fieri posset opus vnius solidi necessitatem nostri corporis expedire ad duorum vel trium solidorum acquisitionem nosipsos propensiore velimus opere ac labore distendere, & cum duarum velamen sufficiat tunicarum ad vsus noctis & diei, tria vel quatuor fieri procuremus, quod nō nisi dæmonum instinctu fieri manifestū est. Nam quidam probatissimus Seniorum cum transiret iuxta cellam cuiusdam Fratris hoc morbo laborantis, & eminus conspexisset eum graui malleo saxū durissimum contererentem, vidissetque Æthiopem astantem illi & cum eo malleum illidentem diuitissimè substitit admirans. Cum iam fatiga- A y.

 tus re-

tus requiescere voluisset iterum instigatus cogebatur resumere malleum. Tandem senex tā dira dæmonis ludificatione permotus ad cellam fratris diuertit,& dixit: Quid est frater? Laboramus, inquit, contra istud durissimum saxum, vixque potuimus aliquando conterere. Ad hæc senex. Bene dixisti: Non enim solus eras, sed fuit tecum alius quem non vidisti, qui tibi in hoc opere non tam adiutor quam impulsor instabat. *Verba sunt Abbatis Isaac in collationibus Patrum quas scripsit Cassianus collatione 9. cap. 6.*

A z. Cænobitarum disciplina à tempore Apostolorum sumpsit exordium. Nam talis extitit Ierosolymis multitudo illa credentium, quorum erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat &c. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Sed cum Apostolorum excessum tepescere cœpisset credentium multitudo, à quibus Apostoli pro ipsis fidei rudimentis ac inueterata gentilitatis consuetudine nihil expetebant,nisi vt ab immolatitijs idolorum, & fornicatione, & suffocatis & sanguine temperarent, atque illa libertas quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est etiam illius Ecclesiæ perfectionem quæ Ierosolymis consistebat commutare cœpisset, etiam Ecclesiæ Principes ab illa districtione laxati sunt credentes, si cum facultatibus suis fidem Christi sequerentur nihil detrimenti perpeti. Sed quibus Apostolicus inerat feruor discedentes à ciuitatibus suis in locis suburbanis & secretioribus commanere & exercere instituta ab Ecclesia & Apostolis cœperunt priuatim. Qui tempore procedente segregati à credentibus turbis ab eo quod á coniugijs abstinerent & à parentum consortio mundique conuersatione se secernerent, monachi siue monozantes á vitæ solitariæ districtione nominati sunt. Vnde cænobitæ dicti. Illud ergo antiquissimum fuit genus monachorum, quod non tempore solum sed gratia primum est quodque per annos plurimos durauit. Verba sunt Abbatis Pyamonis. *In collationibus Patrum quas scripsit Cassianus collat. 18. capite quinto.*

De hoc perfectorum numero Sanctorum, Anachoretarum etiam flores fructusq; prolati sunt, cuius professionis. Principes memorauimus Paulum vel Antonium. Nouimus fuisse qui sublimioris profectus desiderio solitudinem sectati sunt. Inde ergo Anachoretæ,id est secessores nūcupantur, eo quod nequaquam hac consenti victoria qua inter homines occultas diaboli insidias calcauerūt, aperto conflictu dæmonibus congredi cupientes vastos eremi recessus penetrant, ad exemplum Ioannis Baptistæ, Heliæ, Elizæi, atque illorum de quibus Apostolus ait. Circuierunt in melotis. *Verba sunt Pyamonis vbi supra.* B a.

Monachum vt militem Christi in procinctu belli semper positum accinctis lumbis iugiter oportet incedere. Horum enim habitu etiam illos ambulasse Heliam & Helyzęum diuinarum scripturarum authoritate monstratur, ac deinceps Principes authoresque noui testamenti, Ioannem videlicet Petrum & Paulum cæterosque taliter incessisse cognoscimus. De Helia habetur quarto Regum primo, de Ioanne Matthæi tertio, & Marci primo, de Petro actuum duodecimo, de B b.

Paulo

Paulo ibidem. *Ioannes Cassianus de institutis monachorum libro primo, capite primo.*

Bc. Cum in primordijs fidei pauci, sed probatissimi monachorum nomine censerentur qui à beatæ memoriæ Marco formam suscepere viuendi, non solum illa magnifica retinebant quæ primitus ordinata erant: verum multo sublimiora cumulauerunt. Secedentes enim in secretorum suburbiorum loca agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam, vt etiam his qui erant religionis externi stuporis esset tam ardua conuersationis eorum professio. Eo enim feruore diuinarum scripturarum lectionibus orationique ac operi manuum intendebant, vt nec escarum quidem appetitus vel memoriam nisi alio tertioúe die corporis interpellaret necessitas, cibumque non tam desideratum quam necessarium sumerent, nec ante solis occasum, aliaque sublimiora perfecerunt. *Ioannes Cassian. de institutis monachorum lib. 2. cap. 5.*

Bd. Thebaide est cœnobium quanto numero populosius cunctis tanto rigore districtius. In eo plusquā quinque millia fratrum ab vno reguntur Abbate, tantaque est obedientia, vt tam prolixus numerus omni æuo seniori subdatur, quanta non potest apud nos vni vel vnus obedire pro modico tempore. *Idem libro quarto, capite primo.*

Be. Igitur ambiens quis intra cœnobij recipi disciplinam, non ante prius admittitur, quam diebus decem vel eo amplius præ foribus excubans perseuerantiæ, ac desiderij sui, humilitatis ac patientiæ indicium demonstrauerit. Cumque omnium prætereūtium fratrum genibus prouolutus & ab vniuersis de industria refutatus tanquam qui non religionis sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare, iniurijs & exprobrationibus multis affectus, experimentum dederit constantiæ suæ, perquiritur ne de pristinis facultatibus suis inhæserit ei vel vnius nummi contagio. Sciunt enim eum sub monasterij disciplina esse non posse, sed ne humilitatis quidem aut obedientiæ apprehensurum esse virtutem, nec illa cœnobij paupertate ac districtione contentum fore, si in conscientia eius pecuniæ quantulumcunque latitauerit. *Eodem libro capite tertio.*

Bf. Cuius senioris scilicet deputati ad custodiam & instructionem nouitiorum hæc erit sollicitudo præcipua, vt doceat nouitium primitus suas vincere voluntates, quem in his diligenter exercens hoc illi semper imperare de industria procurabit quæ senserit animo eius esse contraria. Multis siquidem experimentis docti tradunt monachum & maximè iuniorem ne voluntatem quidem concupiscentię suæ refrænare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates. Ideo cætera sine propriæ voluntatis mortificatione nihil valent. *Cassianus de institutis monachorum libr. 4. capite octauo.*

Bg. Consequenter instruuntur in monasterio suscepti nullas prorsus cogitationes prurientes in corde perniciosa confusione cælare, sed eas patefacere seniori, credere bonum esse vel malum quod pronunciauerit senioris examen, ita fit vt in nullo circumueniatur à diabolo. *Et infra.* Alias subtilissimus diabolus illudere vel deludere iuuenem non poterit, nisi cum eum semper arro-

arrogantiam aut verecundiam ad cogitationum suarum velamen induxerit &c. *Eodem libro cap. 9.*

B h. Tanta obseruantia regula obedientiæ in eo cœnobio, vt iuniores absq; Præpositi scientia vel permissu non solum non audeant cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi necessitati satisfacere sua authoritate præsumant. Impossibilia sibi imperata ea fide ac deuotione suscipiunt, vt tota virtute ac sine cordis hæsitatione perficere ea nitantur, & ne quidem impossibilia pro senioris reuerentia metiantur. *Eodem libro capite decimo.*

B i. Itaque considentes intra cubilia sua ac meditationi studium pariter impendentes cum sonitum pulsantis ostium audierint ad orationem eos seu ad opus aliquod inuitatis certatim prorumpunt, vt qui inchoauit literam, finire non audeat, & non tã operis compendia sectetur quã obedientiæ virtutem exequi toto studio festinet, quam non solum operi manuum seu lectioni, vel silentio, verum cunctis virtutibus ita præferũt, vt huic censeant omnia postponenda. *Eodem lib. cap. 12.*

B k. Ante communem refectionem summa cautione seruatur, ne extra mensam quidquam cibi quisquam percipiat, vt incedentibus per hortos & pomeria ducatur sacrilegium non modo quicquam ex pomis aut fructibus alijs gustare, verum etiam & manu contrectare, absque eo quod palam cunctis reficientibus exhibetur. *Eodem libro cap. 8.*

B l. In septimana cuiusdã fratris hebdomadarij coquinæ, cum præteriens œconomus tria lenticulæ grana iacere vidisset in terra quæ ex manu hebdomadarij festinantis elapsa sunt, cõfestim super hoc Abbatem consuluit, à quo velut neglector sacri peculij ab oratione suspensus est, cuius negligentię reatus non aliter remissus est nisi eum publica pœnitentia diluisset. Non enim seipsos solum non esse suos sed etiam omnia quæ sua sunt credunt Domino consecrata, propter quod si quid fuerit semel in monasterio illatum cum omni reuerentia decernunt tractari. *Eodem libro capite vigesimo.*

Frater quidam erga puritatẽ cordis sui intentus, cum ei post annos quindecim patris ac matris & amicorum multorum de prouincia Ponti plures epistolæ delatæ fuissent, accipiens fasciculum literarum, diuque apud seipsum voluens. Quanta erit cogitationum, inquit, causa harum lectio vel ad inane gaudium vel ad tristitiam, si recensendo affectus earum vel vultus quos tanto tempore dereliqui iterum eos reuisere ipsisque cohabitare animo cæperim! Hæc & similia voluens in suo pectore non solum nullam resoluere epistolam definiuit, sed ne ipsum fasciculum quidem resignare, ne eorum qui scripserant vel nomina recensendo, vel vultus recordando à spiritus sui intentione cessaret. Itaque eum tradidit igni. Ite, inquiens, cogitationes, nec me vlterius ab illa quæ fugi reuocare tentetis. *Eodem lib. capite trigesimo secundo.* B m.

Hæc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita sententia, operantem monachum dæmone vno pulsari, ociosum innumeris spiritibus deuastari. *Eodem libro capite vigesimo-tertio.* B n.

Per Ægyptum Patres, nullo modo occisos esse monachos, ac præcipuè iuuenes sinunt, actum & profectum patientiæ & humilitatis sedulitate operis metientes, & non solum à B o.

nullo quidquam ad vsum victus sui accipere patiuntur, sed etiam de laboribus suis, non tantum hospites ac peregrinos reficiunt, verum etiam per loca Lybiæ sterilia nec non per ciuitates his qui squalore carcerum contabescũt, dirigunt de fructu manuum suarum rationabile Deo sacrificiũ offerentes. *Ioãnes Cassian. de institutis monachorum libro decimo, capite vigesimo secundo.*

B p. Abbas Paulus cum in eremo vastiore consistens quæ Porfirio vocatur palmarũ fructibus & horto modicus haberet sufficientem alimoniã, nec posset aliquid aliud vnde sustentaretur exercere, eo quod ab oppidis vel habitabili terra septem mansionibus vel eo amplius deserti illius separaretur habitatio, collectis palmarum folijs quotidianum pensum, iugiter expetebat á se. Et cum opere totius anni antrum eius fuisset impletum, igne supposito concremabat, probans sine opere manuum nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen conscendere &c. *Eodem libro capite 24.*

B q. Hæc est antiquitus Patrum permanens sententia, omnimodis monachum fugere debere mulieres & Episcopos. Neuter enim finit eum, quem semel familiaritati suæ deuinxerit, vel quieti cellulæ vlterius operã dare, vel dictæ theoriæ per sacrarum rerum intuitum, purissimis oculis inhærere. *Cassianus de institutis monachorum libro vndecimo, cap. 18.*

B r. Audiui in hac duntaxat regione quendam iuniorem, cum á suo increparetur Abbate, cur humilitatem quam renuntians pro modico tempore retenuerat, cæpisset excedere, ac diabolica inflari superbia, summa contumacia respondisse. Nunquam ob hoc meipsum humiliaui pro tempore, vt semper subditus sim. Ad quod eius tam effræne responsum, ita est senior obstupefactus, velut qui á Lucifero verba hæc prolata, non ab homine percepisset, vt nullam vocẽ aduersus tantam proteruiam de ore suo prorsus emittere, nisi gemitus de corde & suspiria potuerit, cogitãs quod Dominus cum in forma Dei esset, humiliauit se, factus obediens, nõ vt ille diabolico tumore possessus, pro tempore, sed vsque ad mortem. *Cassianus de institutis monachorum libro 12. cap. 31.*

Valens Imperator effræni audacia, legem dedit, vt monachi id est Christiani ad militiam cogerentur, ad vastasque illas eremi solitudines inaccessas, Tribuni & milites missi sunt, qui sanctos ac veros milites Dei, alio nomine persecutionis abstraherent. Occisa sunt ibi agmina multorum Sanctorum. *Orosius libro septimo, de orchestra mundi cap. 33.* B s.

Item, vide Arsenius. u. e. i. Caritas. c. Cognatus. a. Contemplatio. a e. Dæmon. p r. Detractio. h. Dormire. b. Eleemosyna a a. Fulgentius. a. Furtum. f. h. Humilitas. q. Hypocrisis. a. Martinus. n. a. Mulier. e f r. Obedientia. i k n. p s t. v z. Otium. b. Parisius. a. Religio, Sacerdos. d. Silentium. d e. Stabilitas. a e.

Monialis.

A. Possessor quidam Carterius nomine, quandam monialem rapuit, sibique illicito matrimonio iunxit. Cum ille sceleris conscius timeret, atque ad monachum quendam nomine Menam, non præsumeret accedere, ne forte se asperè increparet, fecit oblationes suas, easque inter alias oblationes misit, sed cum coram eo fuissent deportatæ, spreuit & abiecit dicens: Ite, & dicite ei: Obla-

Oblationem suam Deo omnipotenti abstulisti, & mihi tuas oblationes transmittis? Ego tuam oblationem non accipio, quia suam abstulisti Deo. *Gregorius in Dialogo libro tertio, capite 26.*

B. Pachomius scripsit regulas quibus moniales conuersationis suæ momenta digererent.. Exceptis enim melotis quas fæminæ non habebant, omnis institutionis earum forma monachis eius probatur esse consimilis. Si quis autem monachus habebat propinquam aut sororem eamque visitare voluisset, mittebatur cũ eo vnus de senioribus probatæ vitæ, & primum videbant eam quæ sororibus præerat, deinde sub eius præsentia & aliarum, cum omni pudore & gratia sanctitatis cernebat eam nihil ei deferens, nec ab ea aliquid accipiens. *Et infra.* Quod si defuncta esset virgo, curantes funus eius reliquæ deferebant vsque ad ripam fluminis quod vtraque monasteria diuidit psalmos ex more cantantes. Tunc transeuntes monachi cum ramis palmarum & oliuarum frondibus psallentes transuehebant, & in sepulchris suis condebant. *In vitis Patrum. In vita S. Pachomij.*

C. Cum Abbatissa quædam ad quendam Principem accessisset, implorãs eius opem contra monasterij perturbatores, venissetque cornuta, & habitu dissoluto, & indecenti statui monachali, respondit ei Princeps: Domina prius habebam voluntatem bonam ad vos & vestrum monasterium, sed quia in habitu tali vos video, vobis non auxiliabor in aliquo. Hæc ego recolo me legisse.

Item, vide Accusatio. b. Episcopus. h. Furtum. h. Humilitas. e. Mulier. q.

MONITIO.

Vide Humilitas. x.

MONS.

A. AD preces Gregorij Neocæsariensis legitur mons retractus, & dedisse locum basilicæ ædificandæ. *In historia scholast. parte septima, capite octauo, & Eccles. hist. libro septimo, capite 26.*

B. Vir vitæ venerabilis Nonnosus, præpositus monasterij quod in Socratis monte situm est, in mole saxi, per eius orationem de loco translati, quod quingenta boum paria non possent mouere, imitatus est factum Gregorij qui montem mouit. *Gregorius in Dialogis libro primo, capite septimo.*

MONSTRVM.

A. ANtonius progrediens in eremo, inter conuallem saxosam videt homunculum aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis, in caprarum pedes desinebat, qui offerebat eidem palmarum fructus ad viaticum: quo cognito gradum pressit, & quisnam esset, interrogans, hoc responsum accepit. Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas, Faunos, Satyrosque, & Incubos colit: legatione fungor gregis mei, precamur, vt pro nobis communem Dominum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognouimus. Talia eo loquente, faciem lachrymis rigabat Antonius, gaudebat quippe de Christi gloria, & interitu Sathanæ, & baculo humum percutiens, aiebat: Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris. Bestiæ Christum loquuntur. Hęc ne cui scrupulum moueãt, sub Rege Constantino, vniuerso mundo teste defen-

defenditur. Nam & Alexandriam istiusmodi homo perductus, magnũ spectaculum populo præbuit, & postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur sale infusum, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum est. *Hieronymus in vita sancti Pauli primi Eremitæ.*

B. Quæritur, vtrum ex Adam credendum sit nata esse monstruosa hominum genera, quæ gentium narrat historia. Omnia genera hominum quæ dicuntur esse, credere non est necesse. Verum quisquis vspiam nascitur homo, id est animal rationale mortale, quamlibet nostris ingerat sensibus formam, ex illo vno protoplasto originem ducere nullus fidelium dubitauerit. *Augustinus decimo-sexto de ciuitate Dei, capite octauo.*

C. *Seminiverum.* Androgyni, quos Hermaphroditos nuncupant, quamuis rari sint, difficile est tamen vt temporibus desint, in quibus sic vterque sexus apparet, vt ex quo potius debeant accipere nomen, incertum sit, à meliore tamen, hoc est masculino, vt appellarentur, loquendi mos præualuit, nam nemo vnquam Androgynæas aut Hermaphroditas nuncupauit. *Ibidem.*

D. Ante annos aliquot, duplex homo natus est superioribus membris, inferioribus simplex, nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter vnus, & pedes duo, & tam diu vixit, vt multos ad eum videndum fama traheret. *August. 16. de ciuitate Dei cap octauo.*

E. Antoniam Drusi non spuisse percelebre est, nonnullos nasci accepimus concretis ossibus eosque sudare nec sitire, qualis Syracusanus Lygdamus fertur, cuius ossa deprehensa sunt non habere medullam. *Solinus in libro de mirabilibus mundi, capite secundo.*

Romæ puer ex ancilla natus est, quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, totidem auribus, natura virili duplex. *Orosius de orchestra mundi libro quinto, capite sexto.* F.

Tempore Henrici quarti Imperatoris in confinio Normanniæ portentum visum est. In vna vel potius duabus mulieribus duo erant capita, quatuor brachia cætera gemina vsque ad vmbilicum, inferius singula, ridebat, edebat, loquebatur, vna flebat, esuriebat, tacebat altera, ore gemino mãducabatur, sed vno meatu egerebatur. Vna defuncta superuixit alia ferè triennio mortuam portans, donec & pondere molis & nidore cadaueris defecit. *In speculo histor. libro vigesimo-sexto, capite trigesimo-octauo.* G.

Henrici quinti Imperatoris tempore in parochia Legiensi, porca porcellum faciem hominis habentem enixa est, & pullus gallinæ quadrupes natus. *In aurea legenda sub titulo de sancto Pelagio Papa.* H.

Lotharij Imperatoris tempore, mulier quædam in Hispania monstrum bis gemini corporis enixa est, auersis vultibus & corporibus sibi cohærens. Ante quidem effigies erat hominis integro corpore distincta, retro vero facies canis, corporis & membrorum proprietate integra. *Ibidem.* I.

Item, vide Mirabile. v. x. a. a. Prodigium. c. k.

MORBVS.

Vide Brachmani. a.

MORS.

A. Apud Græcos moris est, vt cũ Imperator quis creatur, mox vt fuerit corona redimitus, cum procerum vallatur obsequijs, quidam sibi præsto fit obuius qui vna manu vasculum plenum mortuorum ossibus ac pulueribus offerat, in alia stuppam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repentè in ictu oculi consumitur, vt in altero debeat considerare quid est, in altero valeat videre quod habet. In stupa iam colligit in die iudicij quam subito mundus ardebit, vt de imperij fastigio non insolescat, & de dignitatis apice non infletur. *Petrus Damiani in epistola 16. ad Alexandrum Papam lib. 1. epist.*

B. Audiens Ioannes Eleemosynarius consuetudinem esse, quod mox vt Imperator coronatus est, confestim monumentorum ædificatores sumũt quatuor vel quinque marmorum species diuersi coloris, & ingredientes ad Imperatorem dicunt. De quali marmore vel metallo iubet imperiũ tuũ sibi fieri monumentũ? Imitatus hoc, monumentum sibi fieri præcepit, sed tamen vsque ad obitum id imperfectum manere fecit, ordinauitque aliquos, qui ad eum, cum in celebri festiuitate cum clero consisteret, accederent, sibique dicerent: Domine monumentum tuum imperfectum est, præcipe vt cõsummetur, eo quod nescias qua hora fur veniat. *In legenda aurea sub rubrica de S. Ioanne Eleemosynar. & apud Surium vigesimoseptimo Ianuar.*

C. In monasterio sancti Gregorij, quidam frater adeo febribus correptus est, vt vltimum flatum emittere videretur, sed cum monachi cum eo psallerent, & psalmodiam interrumpentes ei detraherent, ipse reuiuiscens, & oculos subridendo concutiens, ait. Parcat vobis Deus fratres quare mihi detrahere voluistis? nam tam à vobis, quam à diabolo, vno tempore fui accusatus, & nesciebam cui calumniæ prius responderem. Sed si quandoque quemlibet migrantem videritis, eidem non detractionem, sed compassionem impendatis, vtpotè qui ad tam districti Iudicis iudicium cum criminatore suo vadit. *In aurea legenda sub titulo de sancto Gregorio.*

Tantæ pietatis ac dulcedinis fuit S. Ambrosius, vt cum alicuius sancti Sacerdotis vel Episcopi sibi obitus nunciaretur sic amarissimè flebat, vt vix consolari valeret. Cum autem rogaretur cur viros sanctos sic fleret; aiebant, ne putetis me flere quia recesserint, sed quia me præcesserint, & quia difficilè inuenietur qui tam dignus eorum officio habeatur. *In aurea legenda de eodem.* D.

Beata Maria appropinquante hora sui exitus, foras deferri se fecit, vt cælum videre posset, iussitque se in terram super cinerem poni, & signum crucis coram se teneri, iussitque vt passio secundum Lucam coram se legeretur. Et cum diceretur: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, illa spiritum emisit. *In aurea legenda sub titulo de Sancta Martha.* E.

Laudabat Augustinus illos quibus moriendi desiderium erat, & sæpius recitabat exemplum Ambrosij, qui cum in extremis esset & rogaretur, vt prolongationem vitæ sibi precibus obtineret, respondit: Non sic vixi vt pudeat me inter vos viuere, nec mori timeo quoniam bonum habemus Dominum. Quod responsum mira- F.

mirabiliter extollebat. *In aurea legenda sub titulo de beato Augustino, & apud Surium 28. Aug. cap. vigesimo septimo, vitæ S. Augustini.*

G. Augustinus dissolutioni corporis appropinquans hoc memorabile docuit, nullum hominem quantumcumque excellentis meriti, sine cõfessione & Eucharistia debere transire. *Vt supra.*

H. Quædam mulier beato Francisco deuota, subito vni de Sacerdotibus dixit: Volo pater confiteri. Ego mortua fueram, & diro carceri mancipanda, quia peccatum vnum quod tibi pandam, non fueram confessa, sed orante pro me beato Francisco, ad corpus redire mihi indultum est. Confessa ergo, & absolutione recepta, in Domino obdormiuit. *In aurea legenda sub titulo de B. Francisco.*

I. Cum beatus Martinus aliquandiu molestia febrium teneretur, & à discipulis rogaretur, vt in lectulo suo in quo in cinere & cilicio decumbebat, stramentum aliquod poneretur, non decet, inquit, filij, Christianum nisi in cinere & cilicio mori. Ego si aliud exemplum vobis reliquero, ipse peccaui. *In aurea legenda sub titulo de beato Martino.*

K. Princeps quidam Salernitanus, cũ quadam die prospexisset de monte Vesuuio flammas erumpere, protinus ait: Procul dubio aliquis sceleratus diues in proximo moriturus est. His dictis, proxima nocte dum idem Princeps securus cum meretrice concumberet, expirauit. Est enim talis consuetudo in illis partibus, vt imminente morte diuitis reprobi, mons ille flammas euomat sulphureas. *Petrus Damiani epist. lib. 1. epist. 9. ad Nicolaum Papam.*

L. Saladinus cum apud Damascum sciret sibi mortem imminere, signiferum suum vocauit, dicens: Tu qui solebas ferre vexilla mea per bella, fer vexillum mortis meæ, scil. panniculum vilem per totam Damascũ clamando. Ecce Rex totius Orientis moriens non fert secum nisi hoc pallium vile, & sic mortuus est. *In speculo histor. lib. 29. capite 54. & in summa de vitijs & virtutibus in tractatu auaritiæ, rubrica quarta. Antoninus p. 2. tit. 17. cap. 9.*

M. Quidam Rex Lotharingiæ iuuenis cum esset in extremis, respiciens palatium & domos suas, dixit: O Domine Deus quam contemnendus est mundus iste. Ecce ego qui tot habui palatia & hospitia, nescio quo hac nocte debeo ire vel quis me hospitio debet recipere. *Humbertus in libro de dono timoris.*

N. Cum tumba Alexandri esset aurea, & in palatio conuenissent multi philosophi, vnus dixit: Alexander heri ex auro fecit thesaurum nunc autem æque aurum de eo facit thesaurum. Alius: Heri non sufficiebat sibi ipsi totus mundus, hodie ei solæ quatuor vlnæ sufficiunt. Alius: Heri populo imperauit, hodie ille imperat illi. Alius: Heri ducebat exercitus, hodie ab illis traditur sepulturæ &c. *Petrus Alphontius in tractatu de prudentia.*

O. Quidam magnæ literaturæ datus mundi vanitatibus, audiens in matutinis de longa vita Patrum primitiuorum, & quod semper in fine de quolibet dicebatur, & mortuus est, cogitauit etiam quod sic eueniret ei, & ex hoc intrauit ordinem prædicatorum, vbi enituit vir magnæ authoritatis & sanctitatis. *Humbertus in libro de dono timoris.*

P. Brachmanni quasi philosophi in deserto omnia mundana spernebant, quibus missis ab Alexandro nuncijs mandauit vt ab eo peterent, quidquid

quid vellent. At illi dixerunt: Da nobis immortalitatem. Quo respondente, quomodo vobis dare potero cum etiam ego non habeam? Illi rescripserunt: Tu ergo cum sis mortalis quare tot mala faciẽdo discurris? *Iacobus Vitriaco l.1.c.92. hist. Orient.*

Q. Apud Diuionem contigit, quod quidam vsurarius ducens vxorem, ante portale Ecclesiæ in quo vsurarius insculptus erat, cum quadam bursa, & ecce subito cecidit illa bursa lapidea, super caput vsurarij, & statim expirauit. *Humbertus in libro de dono timoris.*

R. Lapis quidam missus fuit Alexandro, qui positus in vna parte stateræ, ponderabat plusquam alia quæcunque poni possent in alia: posito autem puluere super lapidem, minus ponderabat quam quodcunque poni posset in alia parte stateræ, quod videntes sapientes nimis mirabantur, quorum vnus ait: Iste lapis vobis demonstrat quid estis, nunc enim ponderatis plusquam totus mundus, qui vos sustinere non potest, sed posito super vos puluere, in morte minus eritis quam aliquis mundi. *In gestis Alexandri.*

S. Cum quidam miles flagitiosus, nullam pænitentiam sibi indictam ab Alexandro Papa, vellet facere, dedit ei annulum suum, & iniunxit quod pro pænitentia portaret, tali conditione, quod quando eum respiceret, cogitaret de morte sua. Quod cum pluribus diebus fecisset, rediit ad Papam, & dixit quod paratus erat quãcunque pænitentiam facere. *Humbertus in libro de dono timoris.*

T. Beato Ioanni Eleemosynario quidam totum aurum quod habebat, nẽpe septem libras & dimidiam obtulit rogans eum vt oraret pro salute vnici filij sui, quod cum ille fecisset, mortuus est puer, cumque ille valde tristis esset, vidit in somnis quendam quasi in habitu Patriarchæ dicentem sibi: Vt quid turbaris Frater? Nonne rogasti me vt peterem à Deo quatenus filium tuum saluaret? Ecce saluus factus est, crede mihi, quia si viueret, prauus homo fieret. Surge & glorifica Deum, qui ab hoc vano seculo saluauit filium tuum. *In speculo histor. libro vigesimotertio, capite 110.*

V. Massagetæ & Derbices miserrimos putant, qui ægrotatione moriuntur, & parentes, cognatos senes iugulatos deuorant, dicentes: rectius est vt à se, potius quam à vermibus consumantur. Tibareni, senes quos dilexerint, in patibulo suspendunt. Scythæ viuos infodiunt cum mortuorum ossibus. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis, obiiciunt senes. Quod cum Alexandri Præfectus Nicanor emendare vellet, pæne amisit prouinciam. *Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. c. 6.*

X. Essedonum moris est parentũ funera prosequi cãtibus & laniare corpora, capitum ossa auro incincta in poculorum tradere ministerium. *Solinus de mirabilibus mundi.*

Y. Pindarus, cum in gymnasio super gremium pueri quo vnicè delectabatur, quieti se dedisset, placidum finẽ accepit. Nec enim prius decessisse cognitus est, quam cum à Gymnasiarcha claudere volente locum, nequaquaquam excitaretur. *Valerius libro nono, capite duodecimo. Suidas.*

Z. Cum Iouinianus Imperator de Perside ad Illiricum remeasset, in quoddam cubiculum nouum se recepit, vbi calore prunarum, & nidore parietum prægrauatus & suffocatus, vitam finiuit. *Hugo Floriacensis libro quinto, & in speculo histor. lib. 15. cap. 47.*

A a. Philippus Ludouici Grossi filius adhuc puer, dum Parisius equo vehebatur iuxta Ecclesiam Sancti Geruasij, porcus equi pedibus se fortè submittens, equum super ipsum præcipitem dedit, & mortuus est. *In speculo histor. libro decimo-septimo, capite quarto.*

A b. Regina Clotildis, vxor Clodouæi Regis, filio suo primogenito baptizato, & in albis mortuo. Ego, inquit, pro hac causa nullo dolore coarctor, sed Deo gratias ago, quia me dignam dixit, vt de vtero meo primogenitum recipere dignaretur in regnum suum. *Gregorius Turonensis in gestis Francorum, & in speculo historia. libro vigesimo-secundo, capite quinto.*

A c. Legitur quod Adam & Eua, quando viderunt mortem Abel, luxerunt centum annis, intelligentes mortem illam, mortem esse peccati. *Gulielmus Lugdunensis in summa de vitijs in tractatu iræ rubrica* 19.

A d. Anaxagoras, quærenti sibi ante mortem, an in patriam vellet deferri, nihil necesse est, inquit, vndiq; enim ad inferos tantumdem est. *Tullius libro primo Tusculanarum quæst.*

A e. Homo moritur, cum anima corpus relinquit solutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cum anima corporeas illecebras contemnit, & cupiditatum exuit passiones. *Macrobius in somnium Scipionis lib.* 1. *cap.* 17.

A f. Mos erat Ethnicorum incondita corpora seruare nouem diebus & plangere & fouere ea calida aqua, vt sciretur vtrum anima egressa an sopita esset. Condita quadraginta diebus seruabant. Hebræis mos erat incondita seruare diebus septem, condita diebus triginta. *In scholast. histor. super Genesis caput de iuramento quod fecit Ioseph patri.*

Plotinus excellenter Platonem laudauit. Is, cum de humanis animis ageret, Pater misericors, inquit, mortalia illis vincula faciebat. Ita hoc ipsum, quod mortales sunt homines, ad misericordiam Dei Patris pertinere arbitratus est, ne vitæ huius miseria semper tenerentur. *August. nono de ciuitate Dei, capite decimo.* A g. *Lib. 1. de dubijs animæ.*

Sæpe solet animabus exeuntibus electorum dulcedo laudis cælestis erumpere, vt dum libenter eam audiunt dissolutionem carnis ab anima non sentiant. Vnde quidam Seruulus nomine, meritis diues, quem longa ægritudo dissoluerat, qui in dolore semper gratias agebat, qui omni tempore vitæ paralyticus iacuerat, cum se morti iam proximum agnouisset, peregrinos admonuit quos susceperat hospitio, vt surgerét, & cum eo pro expectatione sui exitus psalmos decantarent. Cumque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repentè compescuit dicens: Tacete, tacete, nunquid non auditis quantæ resonent laudes in cælo? Et dum ad easdem laudes intenderet, sancta illa anima soluta est. *Gregorius in Dialogis libro quarto, capite decimo-quarto.* A h.

In Marsorum prouincia Diaconus fuit, quem Longobardi tenuerunt, quorum vnus educto gladio caput eius amputauit, sed cum corpus eius in terram caderet, interfector eius spiritu immundo correptus est & ad eius pedes corruit, & quod amicum Dei occiderat, inimico Dei traditus ostendit. *Et infra.* Fortasse est nonnunquam electorum culpa licet minima, quę in eadem morte debeat resecari. Quod & sacra testantur eloquia. A i.

Nam vir Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in itinere occidit, sed statim illic scriptum est, quia stetit leo iuxta asinum & non comedit de cadauere. Ex qua re patet quod inobedientia in ipsa fuit morte laxata. *Gregorius in Dialogo libro quarto, capite 23. & 24.*

A k. In ea mortalitate quæ Patricij Marsi temporibus hanc vrbem vehementer afflixit, in domo Valeriani aduocati, puer armentarius fuit præcipuæ simplicitatis & humilitatis. Idem vero puer percussus est, qui subito sublatus à parentibus redijt, simulque Dominum suum vocari fecit, cui ait: Ego in cælo fui, & qui de hac domo morituri sunt, agnoui. Tu vero ne timeas, quia hoc tempore moriturus non es. Vt vero scias me in cælo fuisse, ecce accepi illic, vt linguis omnibus loquar. Deinde narrato qualiter eis tam in Græca quam Bulgarica lingua perfectè loquutus est, subditur. Mirati sunt qui audiebant, atque ex duarum linguarum experimento, quas eum antea nescire nouerant, de omnibus crediderunt, quas probare non valebant. Tunc per biduum mors eius dilata est, sed die tertio, quo occulto iudicio nescitur, manus ac brachia, lacertosque suos dentibus lacerauit, atque ita è corpore exijt, quo mortuo omnes illi quos prædixerat, mortui sunt. *Gregorius in Dialogis lib. quarto capite vigesimo-sexto.*

A l. Theodorus nomine quidam, inquietus valde fuit, qui in monasterium meum, fratrem suum magis necessitate, quam voluntate sequutus est, cui nimium graue erat, si quis pro salute sua aliqua loqueretur: bona autem non solum facere, sed etiã audire non poterat. In hac autem pestilentia, quæ nuper huius vrbis populum magna ex parte consumpsit, percussus est in inguine. Cumque extremum spiritum ageret conuenerunt fratres, vt egressum eius orando protegerent. Cuncti autem fratres tanto pro eo cæperunt enixius orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repentè cæpit eisdem astantibus clamare. Recedite ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiã me deuorare non potest. Date locum, vt me amplius non cruciet, sed faciat quod facturus est. Tunc fratres cæperunt ei dicere: Quid est quod loqueris? Signum tibi sanctæ crucis imprime. Respondebat ille: Volo me signare, sed non possum, quia squammis huius draconis premor. Cum hoc audissent fratres, prostrati cum lachrymis cæperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subito cæpit æger clamare: Draco qui me ad deuorandum acceperat, orationibus vestris expulsus est. Pro meis peccatis intercedite, quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditus relinquere. Ergo reseruatus ad vitam, toto ad Deum corde conuersus est, & postquam mente diu est flagellis attritus, tunc eius anima carne soluta est. *Gregorius in Dialogis lib. 4. cap. 37.*

Plerumque de culpis minimis ipse solus pauor egredientes animas iustorum purgat, sicut narrari de quodam sancto viro mecum frequenter audisti, qui ad mortem veniens vehementer timuit, sed post mortem discipulis in stola alba apparuit, & quam præclarè sit susceptus, indicauit. *Gregorius in Dialogis libro quarto, capite 46.* A m.

Dixit Abbas Elyas. Ego tres res timeo, vnam cum egressura est anima mea. A n.

mea, aliam quando occursurus sum Deo, tertiam quando proferenda erit contra me sententia. *In vitis Patrum libro tertio, parte prima.*

A o. Theophilus Episcopus cum moriturus esset dixit: Beatus es Abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti. *Ibidem.*

A p. *Plin. l. 7. cap. 52.* Atilius à medicis, & domesticis mortuus creditus, cum aliquamdiu humi iacuisset, elatus postquam corpus eius ignis corripuit, viuere se proclamauit, & auxilium pædagogi sui inuocauit. Sed iam flammis cruciatus fato substrahi non potuit. Plato scribit Pamphilium inter eos qui in acie ceciderant, decem diebus iacuisse, biduoque postquam inde sublatus esset, impositum rogo reuixisse, ac mira quædam tempore mortis visa narrasse. *Valerius libro primo, capite octauo.* *Lib. 10. de Rep. Macrob. in som. Scipion.*

A q. *Plin. l. 7. cap. 52.* Antipater Poeta Sidonius, omnibus annis, vno tantum die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cumque senex fuisset, natali suo consumptus est. Polystratus & Hipoclides eodem die nati, Epicuri sectam sequuti, eodem die mortui referuntur. *Ibi. Polystrat. meminit Laertius in Epicuro.*

A r. Alacris & fortis Cimbrorum & Celtiberorum philosophia, qui in acie gaudio exultabant, tanquam gloriosè vita excessuri, lamentabantur in morbo, quasi turpiter perituri. Laudanda vtrorumque populorum animi præsentia, quod & patriam fortiter tueri, & fidem amicitiæ constanter præstandam arbitrabantur. *Valerius libro secundo, capite sexto. Cicero Tusc. 1.*

A s. Thraciæ natio merito sibi laudem sapientiæ vendicauit, quæ natales hominum flebiliter, exequias hilariter celebrat. Hæc sine vllis doctorum præceptis verum conditionis nostræ habitum peruidit. *Ibidem Valer. Herodot. 5. Solin. cap. 15.*

Indorum fæminæ, cum more patrio complures eidem esse nuptæ soleant, mortuo marito in certamen veniunt, quam ex his maximè dilexerit, victrix gaudio exultans, deductaque á necessarijs, coniugis se flammis superiacit, & cum eo crematur: superatæ cum tristitia & mærore in vita remanent. *Ibidem Valer. Cicero Tusc. 5. Solinus cap. 5.* A t.

Horatius Puluillus, cum in Capitolio Ioui ædem dedicaret Pontifex, inque nuncupatione solemnium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audisset, nec manum á poste remouit, ne tanti templi dedicationem interrumperet, nec vultum mutauit, ne Patris magis, quam Pontificis partes egisse videretur. *Valerius libro quinto, capite decimo. Liuius 2. Dionys. 5. Tacitus 19.* A u.

Xenophon proximus á Platone fælicis ac beatæ facundiæ gradus, cum solemne peragerer sacrificium, è duobus filijs maiore natu Gryllum, apud Mantineam, in prælio cecidisse cognouit, nec ideo institutum Deorum omittendum putauit, sed tantum coronam deponere contentus fuit, quem vt audiuit fortissimè pugnantem interijsse, capiti reposuit. *Valerius libro 5. cap. 10.* A x. *Laertius in vita Stobæus serm. 106. Ælian. hist.*

Anaxagoras audita morte filij, nihil mihi, inquit, inexpectatum, aut nouum nuncias. Ego illum ex me natum, sciebam esse mortalem. Hoc docere volens, ita liberos esse procreandos, vt meminerint ijs à rerum natura & accipiendi spiritus, & reddendi eodem momento temporis legem dici. *Ibidem Valer. Laertius in vita. Cicero Tuscul. 3. Ælianus hist. 3.* A y.

A z. Socrates, cum Atheniensium scelerata dementia tristem de capite

eius-

eius sententiam tulisset, & forti animo potionem veneni accepisset, admoto iam labris poculo, vxore Xantippæ inter fletum vociferanti innocentem eum periturum, quid ergo, inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti? o immensam illam sapiētiam, quæ ne in ipso quidem vitæ excessu obliuisci sui potuerit. *Valerius libro septimo, capite secundo. Laertius in vita.*

Ba. Æschyli poetæ excessus, vt non voluntarius, sic ob nouitatem casus referendus. In Sicilia mænibus vrbis, in qua morabatur, egressus aprico in loco resedit, super quem Aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde atque lapidi eam illisit, vt fractæ testudinis carne vesceretur, eoque ictu origo fortioris tragædiæ extincta est. *Valerius libro nono, capite duodecimo. Suidas. Plin. libro decimo, capite tertio. Aristophanes in ranis.*

Bb. Non vulgaris etiam Homeri mortis causa fertur, qui in Insula, quia quæstionem à piscatoribus propositam soluere non potuisset, dolore consumptus creditur *Ibidem Valerius. Plut. in vita. Sed Herodotus aliter.*

Bc. Quæstio fuit talis. Plato ibat spatiatum in litore maris, quem cum viderent nautæ inuidentes, deriserunt. Qui cum quæsiuisset, quid haberent? Responderunt. Quotquot cæpimus non habemus, & quotquot non cæpimus, habemus, pannos enim expediculabant, pediculos mactabāt. Plato vero cogitans de piscibus, non intelligens, non dormiuit, non comedit, & mortuus est. Iste fuit Homerus, qui etiam Plato vocatus est. *Ioannes Galensis in compendiloquio de dictis & vita philosophorum parte 3.*

Bd. Q. Milo Crotomates cum quercū fissam cuneis vidisset, fretus viribus accessit, & diuellere conatus est, quem arbor in suam naturam reuocata excussis cuneis compressit, eumque feris lacerandum præbuit. Item Polydamas tempestate speluncam subire coactus, eam sepulchrum habuit illius ruina. Possunt hi præbere documentum nimio robore membrorum aciem mentis hebescere, ne supra mortalem sit fælicitatem, eundem & validissimum esse, & sapientissimum. *Valerius libro nono, capite 12. Pausanias. Suidas.* *Agell. 15. cap. 16. Ouidius in Ibim.*

Be. Xerxes Rex pro totius Asiæ iuuentute, quæ intra centum annos obitura esset, fleuit, qui in specie aliena suam conditionem deplorasse videtur. *Valerius libro 9. capite 13.* *Herodot. lib. 7.*

Bf. Quanti in medijs opibus & inter infulas consulatus repentina morte subtracti sunt: Nuper Imperator Valentinianus cum contra Sarmatas Quadosque propter Illirici vastationē in cōsistorio sæuus infremeret, & totius gentis excidiū minaretur, sanguine erūpente discrepuit. Necdum annus expletus est quo Principem Gratianum prodente exercitu suo ante fæda captiuitas, deinde miserabilior oppressit interitus. *Hieronymus in epistola ad Præsidium.*

Item, vide Arsenius. m. Caritas. d. Diuitiæ. c. Gaudium. a b. Hilarion. a. Mulier. i. Nicolaus. c. Paupertas d e. Peregrinatio. b. Philosophia. c. Roma. b. Situla. a. Tentatio. a. Timor. c. Vita. b. Voluptas. c.

MVLIER.

A. CVm Genebaldus vir prouidus, neptem beati Remigij in vxorē haberet, & se religionis causa mutuo absoluissent, ipsum Genebaldum Remigius Laudunensem Episcopum ordinauit, ad quem frequēter vxor causa instructionis veniens, tandem

tandem ab eo impregnata peperit filium, quem de mandato Patris latronem nominauit. Ne autem suspicio oriretur, vxorem prius ad se venire permisit, quæ iterum imprægnata pariens filiam vulpeculam nominauit. Tandem beatum Remigium adijt, & ille confessum blandè consolans in cellula septem annis reclusit, & interim suam Ecclesiam gubernauit. Septimo anno Genebaldo peccatum suum Angelus nuncians, & egredi de cella præcipiens, ostium aperuit, sigillo quo beatus Remigius illud firmauerat, saluo remanente. Tunc Genebaldus iactans se in medio ostij in modum crucis ait. Et si Dominus meus Iesus Christus ad me veniret, non egrediar hinc nisi Dominus meus Remigius veniat. Tunc beatus Remigius monente Angelo Laudunum venit, & in locum suum eum restituit, & vsque in finem sanctè vixit, & latro filius suus ei in Episcopatu successit. *In aurea legenda de sancto Remigio. Hincmarus in vita S. Remigij apud Surium 13. Ianuarij. Petrus Damianus l. 1. epist. 10. ad Alex. Papam, & epist. 9. ad Nicolaum Papam. Sigebert. ad annum 500.*

B. Sanctus Felix à quadam vidua per tres menses alimenta suscepit, nunquam tamen faciem eius vidit. *In legenda sancti Fælicis.*

C. Theodas magus audiens Regem Auenir valde turbatum quod filium suum Iosaphat à fide Christi non posset auertere, venit, & quod filium suum ad patrias leges faceret redire promisit. Cui Rex. Si hoc, inquit, feceris, statuam auream tibi erigam. At ille. Remoue à filio tuo curam, & mulieres decoras & ornatas introduci præcipe. Nihil enim sic potest seducere Iuuenes, sicut facies mulierum. Ergo rex omnibus ministris eiectis puellas decoras ei sociauit, quæ eum semper ad libidinem prouocabant. Illæ tamen non potuerunt eum peruertere, eum gratia diuina iuuante. *In aurea legenda sub titulo de Barlaam, cuius historiam scripsit Damascenus.*

D. Post mortem viri, Paula nunquam cum viro comedit, quamuis sanctum, & in pontificali sciret culmine positum. *Hieronymus in vita eius.*

E. Regina Francorum Vltrogoda, audiens Carilephi Abbatis vitæ qualitatem, misit ad eum, desiderans eius præsentia perfrui, & animam suam Deo commendare per eius preces. Quod si, inquit, precibus meis annuerit, omnia fisci illius prædia in cuius parte residet, ei tribuam. Quibus auditis: Ite, inquit, & Dominæ vestræ hæc verba referte. Si quid præualeo, pro ea exorabo, certum tamen habeat, quamdiu in corpore ero, faciem me mulieris nunquam visurum. Fisci sui partem cui voluerit, attribuat. Cum ergo post mortem illius, fama de eo talis spargeretur, Sathan inuidus mulieris cuiusdam inhonestæ cor adeo face incredulitatis igniuit, vt comam incideret, vestes viriles sumeret, venitque ad monasterium. Ea vero domus interiora petente, & scrutari volente, gemina capitis eius lumina crepuerunt. *In gestis Sancti Carilephi apud Surium 1. Iulij, & in speculo hist. lib. 21. cap. 44.*

al. Altrogodis.

F. Anno Domini 1025. Vrbanus Papa venit in Galliam, & celebrauit concilium apud Claromontem, in quo excommunicauit Philippum Regem Francorum, qui viuente vxore sua superinduxerat alterius viuentis vxorem, & omnes ei consentientes, & Reginam maledictam

donec ad emendationem venerint. Philippus autem amore illius mulieris ita captus erat, vt illa sibi in omnibus imperaret. Denique passus est aliquantis annis ab omnibus se digito notari, & excommunicari propter eius libidinem. *In speculo histor. libro 26. capitulis 88.90.291. Iuo Carnutensis in epist. Guliel. Malmesb. libr. 4. cap. 2. Card. Baron. tom. 11. ad annum 1095. Aimoinus de gest. Franc. libro quinto, capite 54.*

H. *al. Marcius.* Martinus qui in monte Marsico, in quodam specu multis annis fuit, inclusionis suæ tempore decreuerat, vt vltra mulierem non videret. Quod quædam mulier audiens, audacter ascendit montem, & in specum descendit. At ille eius vestigia & vestes intuens orauit, in terra depressa facie, & iacuit quousque mulier á fenestra cellulæ fatigata recederet, quo die vitam finiuit. *Et infra.* Cum prius in eodem monte se contulit, catena ferrea sibi ligauit pedē, eáque saxo ex parte altera affixit, ne ei vltra liceret progredi quam quantitas catenæ tēdebatur. Quod vir Dei Benedictus audiens, mandare curauit: Si seruus Dei es, non te teneat cathena ferrea, sed cathena Christi. Ad quam vocem protinus eandem compedem soluit, & in tanto spatio se sine catena coercuit, in quanto & ante ligatus mansit. *Gregorius in Dialogis libro tertio, capite decimo-sexto.*

I. In Nursiæ prouincia, Præsbyter quidam cum magno timore sibi cōmissam regebat Ecclesiam. Hic Præsbyteram suam quasi sororem diligens, nec quidem ab ea sibi ministrari patiebatur. Hic ergo anno quadragesimo ordinationis suæ, febre correptus ad extrema deductus est. Sed cum Præsbytera conspiceret quasi in morte distentum, solutis membris, si quod adhuc spiramen inesset naribus eius, apposita aure curauit dignoscere. Quod ille sentiens, feruenti spiritu collegit vocem, dicens: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Illa ergo recedente, cæpit cum magna lætitia clamare. Bene veniunt Domini mei, qui ad tantillum famulum vestrum dignati estis conuenire, venio, venio, gratias ago. Cumque hæc crebro repeteret, noti sui quibus hæc diceret, requirebant. Quibus respondit: Nunquid huc conuenisse Sanctos Apostolos nō videtis? Petrum & Paulum non aspicitis? Ad quos iterum conuersus dixit: Ecce venio, ecce venio. Atque animam inter hæc verba reddidit. *Gregorius in Dialogis libro quarto, capite vndecimo.*

K. Dixit Abraham discipulus Abbatis Sisoy. Pater senuisti, eamus parū iuxta mundum. Sisoy dicit ei. Vbi non est mulier illuc eamus. Dixit ei discipulus. Vbi est locus non habens mulierem, nisi fortè in solitudine? Dixit ei senex. Ergo in solitudinem me tolle. *In vitis Patrum libro secundo, parte secunda.*

L. Narrauit quidam senum de Abbate Pastore & fratribus eius, quia cum mater eorum desideraret eos videre & non posset, obseruauit vna die & euntibus illis ad Ecclesiam obtulit se illis. Illi autem conuerterunt se ad cellam & intrantes clauserunt in facie eius. Illa autem clamabat plorans. Audiens eam Abbas Anub intrauit ad Abbatem Pastorem dicens: Quid faciemus vetulæ isti? Surgens autem Abbas Pastor dixit: Quid sic clamas vetula? Illa autem multo magis clamabat dicens: Volo vos videre filij mei, quid est enim si videro vos? non ego lactaui vos? & iam sum cana. Dixit ei senex. Hic nos vis videre aut in

illo

illo seculo? Dixit ei: Etsi non video vos hic, videbo vos illic filij? Respondit senex, si potes æquo animo ferre vt hic nos non videas, videbis nos illic, & ita discessit mulier gaudens & dicens. Si omnino visura sum vos illic, nolo vos videre hic. *In vitis Patrum libro quarto, parte tertia.*

M. Frater visitauit aliquando sororem suam in monasterio ægrotantem. Quæ non acquiescens videre virum nec occasionem dare fratri vt propter illam veniret, in medio fæminarum mandauit ei. Vade frater ora pro me, quia cum gratia Christi videbo te in regno cœlorum. *Eodem libro parte quinta.*

N. Frater iter agens habebat suam matrem secum iam senem, qui cum venisset ad quendam fluuium non poterat illa transire, & tulit filius pallium suum, & inuoluit manus suas, ne omnino contingeret corpus matris, & ita transposuit eam fluuium. Dixit autem ei mater: Vt quid sic operuisti manus tuas fili? Ille dixit: Quia corpus mulieris ignis est, & ex eo ipso quod te contingebam veniebat mihi commemoratio aliarũ fœminarum. *Eodem libro, parte sexta.*

O. Dicebant de quodam sene quia descendit in Scythi & habebat filium adhuc sugentem lac, qui quia nutritus erat in monasterio nesciebat quid essent mulieres. Qui cum factus esset vir ostendebant ei noctu dæmones habitus mulierum, & nunciauit Patri & mirabatur. Aliquando ergo ascendit cum Patre in Ægyptum, & videns ibi mulieres dixit. Pater ecce istæ sunt quæ venerunt ad me noctu. Ille autem dixit ei. Isti sunt monachi de seculo; alio autem habitu vtuntur isti, & eremitæ alio. Et miratus est senex quomodo & in Scythi ostenderent ei dæmones imagines mulierum, & statim reuersi sunt in cellam suam. *In vitis Patrum libro quinto, parte quarta.*

P. Miles quidam cingulum, in Ecclesia monachum professus, abiecerat. Interea diabolus varijs cogitationibus brutum pectus agitabat, vt coniugem suam quam Martinus Turonensis Episcopus in monasterio puellarum esse præceperat, potius secum vellet habitare. Adijt ille Martinum, quid haberet, in animo, confitetur. Postremo cum instaret vt pateretur sanctos, & sexum suum fidei merito nescientes, pariter militare. Tunc Martinus: Dic mihi, inquit, nunquid in acie quæ armata in prælio parabatur, fæminam aut stare aut pugnare vidisti? Tunc ille confusus erubuit, gratias ei agens. *In Dialogo Seueri libro secundo, capite duodecimo.*

Q. Illud Sulpici meminisse te credo, quo affectu nobis, cũ & tu corã adesses, illam virginem prædicaret beatus Martinus, quæ ita se penitus ab omni virorum consortio semouisset, vt ne ipsum Martinum ad se admiserit. *Et infra.* Ergo cum haud longè à villa, in qua virgo degebat, nos manere nox imminens coegisset, xenium beata virgo beato viro transmitti fecit, & Martinus, cum tamen ab omnibus ante semper abstinuisset, nihil ab ea oblatum refutauit: dicens benedictionem illius à Sacerdote nemine respuendam, quę esset multis Sacerdotibus præferenda. *In Dialogo Seueri libro secundo, capite tertio.*

R. Cum præpositus quidam Præmõstratensis ordinis, die quodam equitaret cum quodam iuuene, obuiam habens quandam Domicellam formosam, stetit aliquantulum coram ea vt salutaret. Cum autem processisset vlterius volens tentare illum iuue-

Iuuenẽ, dixit ei: Puella illa mihi videbatur valde speciosa. Cui Iuuenis: Sic etiam & mihi visum est. Subiunxit præpositus, vnum tamen deformat eam, quod est monocula. Respondit Iuuenis: Verè Domine vtrumque oculum habet, nam eam consideraui. Tunc ait Præpositus: Et ego considerabo dorsum tuum. Tantæ enim debueras esse simplicitatis, vt si vir esset, vel mulier scire non posses: & reuersus ad monasterium dixit Fratribus: Vos arguitis me, quia non educo Iuuenes, & exposita causa Iuuenem durius castigauit. *In alphabeto narrationum.*

Item, vide Accusatio. b c. Arsenius. c. Clericus a fæmina, Ioannes Eremita. b. Maria. 1. Papa. a. Perfectio. c. Silentium. b.

MVLTITVDO.

A. Leonis Imperatoris tertij anno primo, Rabbodus Dux Frisonũ prædicatione sancti Wulframmi Episcopi ad hoc adductus, vt baptizaretur, cum vnum pedem in lauacro intinxisset, alterum pedem retrahens, quæsiuit, vbinam plures maiorum suorum essent, in inferno, an in paradiso? Audiens plures esse in inferno, pedem extrahens: Satius est, inquit, vt plures quam pauciores sequar, & delusus à dæmone, die tertia, subita & æterna morte perijt. *In aurea legenda de Sancto Pelagio, & in speculo historiar. libro trigesimo-quarto, capite quadragesimo-quinto, ex Sigebert. in Chronic. ad annum* 718.

Item, vide Adulatio. e. Longobardi. a.

MVNDVS.

A. Diogenes flebat, quando exibat in publicum, quia ei omnia videbantur miseriæ; Democritus ridebat, quia illi videbatur quod sunt ineptiæ. Ait tamen Seneca quod ille qui flebat fuit Heraclitus. *Potuit hoc verum esse de vtroque.* *Libr. 2. cap. 10. de ira.*

B. Ambo Macarij, cum fratrem quẽdam visendi gratia iter agerent, ascenderunt nauigium, quo fluuius transiri solet: in quo nauigio erant simul quidam Tribuni & diuites. Horum vnus, cum videret in vltima nauigij parte vilibus indutos iacere monachos, ait ad illos: Beati estis vos, qui huic seculo illuditis, nihil querentes nisi vestem, & victum. Tum vnus de Macarijs respondit: Et verè quidem, vt dicis, qui Deum sequuntur, illudunt mundo, sed miseremur vestri, eo quod vobis è contrario illudit mundus. Tunc ille compunctus Deum sequi cœpit, & ad monachorũ exercitia properauit. *In vitis Patrum libro vigesimo-nono, parte sexta.*

Item, vide Mirabile. a f. Roma. a l.

MVNVS.

A. Miles quidam equum, quem miraculo à sua vesania vidit mutatum per Fortunatũ Episcopum, eidem decreuit offerendum. Quem cum suscipere ille renueret, & ille perseueraret, sanctus vir mediã duarum partium viam tenẽs, & petitionem multis audiuit & munus suscipere pro exhibita virtute recusauit. Prius namque dignum pretium præbuit, & post, equum accepit. *Gregorius in Dialogis libro primo, capite decimo.*

B. Quidam morbo intercutis, aqua à San-

à Sancto Hilarione curatus, offerens ei multa munera, audiuit dictum Saluatoris ad discipulos: Gratis accepistis, gratis date. *Hieronymus in eius vita.*

C. Socrati cum pro suis quique facultatibus offerrent eius discipuli, Æschines pauper: nihil, inquit, dignū te habeo. Itaq; dono tibi meipsū. Quidni, inquit, tu magnum munus mihi dederis? nisi fortè paruo te æstimas, quasi diceret: mihi magnum munus dedisti: habebo itaque curæ vt te meliorem tibi reddam quam accepi. Vicit hoc munere cæteros, qui licet multa dedissent, tamen plura sibi retinuerunt. *Seneca libro primo de beneficijs, capite octauo.*

D. Pontij Samnitium Ducis dicitur esse illa egregia sententia, vtinam inquit, ad illa tempora fortuna me reseruasset, si tunc essem natus, quando Romani dona accipere cæperunt, non essem passus eos diutius imperare. *In speculo historiar. libro sexto, capite octauo.*

E. Carolus Magnus, fugatis paganis, & recuperata terra sancta, petiuit licentiam repatriandi ab Imperatore Constantinopolitano & Hierosolymorum Patriarcha, quem per vnum diem retinuit Imperator, & interim fecit parari ante portas ciuitatis animalia diuersi generis, & coloris, & aurum, & argentum. Carolus ne videretur inurbanus, si nihil acciperet, quæsiuit consilium á proceribus suis, quid facere deberet? qui responderunt à nullo eum debere aliquod munus accipere pro labore quem pro solius Dei amore susceperat, qui laudans consilium, iussit omnibus suis, vt omnes res appositas nec aspicere dignarentur. Tandem adiuratus & coactus petijt de reliquijs dominicæ passionis. *Helmandus in Chronicis.*

F. Edmundus Cantuariæ Episcopus ab omni munere semper manus excutiens, arreptores munerum detestabatur. Dicebat frequenter etiam, prehendere & pendere, non differunt nisi vna litera tantum. *In gestis eiusdē apud Surium 16. Nouembris cap. 18.*

G. Summus Pontifex Eugenius nullum omnino munus hominis, litigātis recipiebat aut cui litem crederet imminere, vnde cum in aduentu suo Prior quidam marcam ei auri multa deuotione offerret: necdum, inquit, domum ingressus es, & iam vis corrumpere Dominum. *In Polycratico libro quinto, capite 15. Ioannis Saresberiensis.*

H. Cum Martinus Cardinalis præsbyter legatione functus in Dacia, de legatione contra morem pauper rediens ab Episcopo Florentino equū socio necessarium accepisset, eundem restituit donatori, ex quo eum ab initio dati muneris causam in Romana curia ventilandam habuisse cognouit. *Bernardus l. 4. de consideratione. Ioannes Saresb. in Polyc. l. 5. cap. 16.*

I. Gaufridus Carnotensis Episcopus, legatus in Aquitaniæ partibus, prouincialium munera non accepit, nisi in causa esculenti & poculenti. Testatur Bernardus Clareuallensis, quod piscem sturgionem à deuoto quodam legationis suæ clerico gratis accipere noluit, sed pretium numerauit. *Bernardus & Saresberiensis ibidem.*

K. Marcus Curius exactissima norma Romanæ frugalitatis, & fortitudinis, Samnitium legatis agresti se in scamno assidentem foco, & ligneo cathino cænantem (quales epulas) apparatus indicio est) spectandum, præbuit. Ille enim

Samnitum diuitias contempsit, & illi mirati sunt. Nam cum ad eum aurum publicè missum attulissent vultum risu soluit, dicens: Narrate Samnitibus Marcum Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem: & munus refertote & mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. *Valerius libro quarto, capite tertio.*

M. Idem cum Italia Pyrrhum Regem exegisset, nihil ex præda regia, qua exercitum vrbemque ditauerat, attigit: decretis etiam à Senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit, parum idoneum Reipublicæ ciuem existimans, qui eo quod reliquis tribueretur, cōtentus non esset. *Ibidem Valer. & Plin. libr.* 16. *cap.* 78.

N. Idem sensit Fabricius Luscinus, qui à Samnitibus, decem æris, & quinque pondo argenti, totidemque seruos sibi missos in Samnium remisit continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædiues, quia locupletem illum putabat, non multa possidere, sed modica desiderare. *Ibidem; & Agellius libro primo, capite decimo-quarto, ex Hygino de viris illustribus.*

O. Quinto Tuberoni cognomine Cato Consulatum gerenti, cum Ætolorum gens misisset vasa argentea & aurea, per legatos, fictilia se in eius mensa vasa vidisse testati sunt, monitos ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent, quos cum suis sarcinis abire iussit. Nunc à seruis impetrari vix potest, ne eam supellectilem fastidiant, quam tunc Consul non erubuit. *Ibidem & Plin. lib.* 77. *cap.* 11.

P. Calpurnius Piso Consul, graui fugitiuorum bello liberata Sicilia, eos quorum præcipua opera vsus fuerat, more imperatorio donis prosequebatur, inter quos filium suum aliquot locis præliatum fortissimè titulo triū librarum aureæ coronæ decorauit, præfatus non oportere à magistratu è publica pecunia erogari, quod in ipsius domum rediturum esset, tantumque ponderis sese testamento legaturum, vt honorem publicè à Duce, pretium à Patre priuatim reciperet. *Ibidem Valer.*

Q. Pyrrhus impetus sui terrore soluto, ac iam Epiroticis armis languentibus, mercari beneuolentiam populi Romani cupiens, pęne totum regiarum opum apparatum in vrbem nostram transtulit. Cæterum cum & magni pretij & varij generis à legatis eius, tam virorum quam fæminarum apta vsui munera circa domos ferrentur, nulla cuiquam dono ianua patuit. *Valer. ibid. Plut. in Pyrrho. Zonaras. Liuius* 74.

R. Rex Alexander legatos ad Xenocratem miserat cum aliquot talentis, quos in academiam perductos, solito sibi, id est modico apparatu excepit. Postera die interrogantibus, cuinam adnumerari pecuniam vellet, quid? vos, inquit, hesterna cæna non intellexistis ea me non egere? Ita Rex amicitiā philosophi emere voluit, Philosophus suam vendere noluit. *Valerius libro* 4. *cap.* 3. *Plut. de Alex. fortuna. Cic. Tusc. Laert.*

S. Illa munera non erunt sine honore, quæ aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij. Alexandro Macedoni victori Orientis, Corinthij per legatos gratulati sunt, & ciuitate sua illum donauerunt. Cum risisset ille hoc officij genus. Vnus ex legatis: nulli, inquit, ciuitatem nostram vnquam dedimus alij quam tibi & Herculi: qui lætatus nouo officij genere, libens accepit donatum honorem. *Seneca l.* 1. *de beneficijs cap.* 13.

T. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessum sit, etsi acerbum. *Idem libro secundo de beneficijs, capite septimo.*

Item, vide Beneficium. e. Cardinalis. a. Continentia. c. Diogenes. a. Libertas. a. b. Martinus. f. Paruiscientia. a.

MVS.

A. TEmpore Henrici quarti Imperatoris, quidam potens dum in conuiuio resideret, repentè à muribus est circumuallatus, qui omnes alios relinquentes, hunc solum persequuti sunt. Tunc in naui ponitur vt mures euaderet, sed in aquam salientes nauem corrodunt. Tandem ad terram reductus horrendam murium famem expleuit. *In speculo hist. libro 26. capite tertio, & in Chronico Martini Poloni vbi dicitur idem cuidam Principi Poloniæ accidisse.*

MVSICA.

Vide Discere. n.

MVTATIO.

A. MAnlius Torquatus adeo in iuuentute hebetis cordis fuit, vt à Patre, quia domesticis & publicis vsibus ineptus videbatur, rus relegatus agresti opere fatigaretur. Postmodum patrem reum iudiciali periculo liberauit, patriam latino tumultu fessam, speciosissimo triumpho recreauit. *Valerius libro sexto, capite nono. Liuius lib. 7. & 8.*

B. Scipio Africanus superior solutioris vitæ primos adolescentiæ annos egisse fertur. *Ibidem Valerius. Agel. 6. capite octauo.*

C. Valerius Flaccus secundi Punici belli temporibus luxu perditam adolescentiam inchoauit. Cæterum à Licinio Pontifice maximo flamen factus, duce frugalitatis religione, quantum prius luxuriæ fuerat exéplum, tantum post modestiæ & sanctitatis specimen euasit. *Ibidem Val.* *Liui. l. 7.* *al. capite*

D. Nihil Quinto Fabio Maximo, qui Gallica victoria nomen Allobrogici sibimet ac posteris peperit, adolescéte magis infame, nihil eodem sene ornatius nostra ciuitas habuit. *Ibidem.* *Liui. l. 6. Velleius.*

E. Crasso pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit, sed eidem postea inopia turpem dedecoris notá inussit, nam bona eius à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, vendita sunt. *Ibidem Tullius Attic. 2. epistola 13.*

F. Cæpio Præturæ splendore, & triūphi claritate, Consulatus decore, maximi Pontificatus sacerdotio vt senatus patronus diceretur, assequutus, in publicis custodijs spiritum deposuit, corpusque eius à funesto carnifice laceratum in scalis gemonijs iacens, conspectum est. *Ibidem Valerius. Liuius. 67.*

G. Gaius Cæsar iuuenis. Asiam petés, à prædonibus captus, quinquaginta se talentis redemit. Parua igitur sūma clarissimum mundi sidus in piratico Myaporone rependi fortuna voluit, sed cæleste numen se ab iniuria vindicauit. Continuo enim captos prædones cruci affixit. *Ibidem Valer. Sueton. & Plut. in vita Cæsaris.*

H. Perditæ luxuriæ Athenis adolescés Polemo, cum è conuiuio post ortum solis surrexisset, & Xenocratis patentem ianuam vidisset, vino grauis, vnguentis delibutus, scholam eius intrauit, nec contétus consedit, adeo vt clarissimum eloquium temulentiæ lasciuijs eluderet. Orta deinde omnium indignatione, Xenocrates vultum continuit, & de modestia & tempe- *Laert. in vita Polemonis. Horat. Satyra 7. libro 2. Suidas.*

temperantia loqui cœpit: cuius grauitate sermonis Polemo resipiscens, coronam detractam capite proiecit, paulo post oris hilaritatem deposuit, & ex infami ganeone maximus philosophus euasit. *Ibidem Valer.*

I. Piget Themistoclis adolescentiam attingere cum omnium postea Graij sanguinis virorum clarissimus extiterit, mediumque Europæ, & Asiæ vel spei, vel desperationis pignus fuerit. *Valerius libro sexto, capite nono. Probus & Plutarch. in vita Elia. hist. 2.*

Item, vide Fortuna.

MVTVVM.

A. MOs erat Spiridioni Cypriorum Episcopo, ex fructibus qui nascebantur, alios pauperibus erogare, alios gratis mutuari volentibus, sed nec per se dabat, nec per se recipiebat, sed solum cubiculum demonstrabat, vt quantum opus haberent, tollerent, & denuo reuocarent, quantum se nouerant abstulisse. *In tripartit. hist. libro primo, cap. 10.*

B. Promiseram vobis librum vestrum die Sabbathi præterita remittere, credebam totum librum transcurrisse legendo, infra diem præscriptum, qui postea licentiam non habui legendi per momentum. Librum adhuc retineo de vestra dilectione cõfisus, nam ob hoc á furto & mendacio excusor. *Petrus Blesensis in quadam epistola.*

C. Dixit quidam senex. Habebam pecuniam, & venit frater mutuari, & non dedi ei: quoniam sciebam me damnum animæ eius facturum. Cogitaui ergo vnum mãdatum præterire, quam decem præuaricari, ex quibus ad tribulationem potuissem venire pro illo, si á me accepisset pecuniam. *In vitis Patrum, libro decimo, parte decima.*

Item, vide Commodatum.

NATALIS DOMINI.

CVm maiestatem vrbis Principes visibili specie censuerint honorandam, exquisito artificio muliebrem formam quæ orbem dextra contineret, in æris materia fieri censuerunt. Ea perfecta cum non tam populi examinationem, quam admirationem sui deposceret, quidam solas tibias tantæ moli perferendæ inhabiles esse causati sunt, quibus faber respondit eas vsquequaque sufficere, donec virgo pareret, & Christo nato impletum est, ea corruente & fracta. *In Polycratico libro secundo, capite sexto.* A.

Romæ fuit pax continuè duodecim annis, & ideo Romani pacis templum construxerunt, & ibi statuam Romuli posuerunt. Consulentes autem Apollinem, quantum duraret, acceperunt responsum, quousque virgo pareret. Vnde in foribus templi scripserunt. Templum pacis æternum. Sed in ipsa nocte qua virgo peperit, templum funditus corruit, & ibi est modo Ecclesia Sanctæ Mariæ nouæ. *Petrus Blesensis serm. 1. de Aduentu Domini. P. Damianus libro secundo, epist. 17.* B.

Fons aquæ in liquorem olei versus vsque ad Tiberim fluxit, & per totum diem largissimè emanauit. *Orosius de orchestra mundi, libro sexto, capite decimo-nono. Petrus Blesensis loco citato.* C.

Toto die è taberna meritoria trans Tyberim fluxisse oleum asserunt. Eus. in Chron. & Card. Baron. tomo 1. annal. At quod templum pacis ea nocte, qua Christus natus est, Romæ corruerit, ex nullo veteri probatore auctore conuinci potest, vt doctè

loco

loco indicato obseruat Baronius. Nam templum paucis longè post Christi ortum à Vespasiano Cæsare est excitatum, vt patet ex Suetonio in Vespasiano. Iosepho l. 7. de bel. Iud. c. 24. Plin. lib. 76. cap. 25. Idem refert Blesensis sermone 41. & in instructione fidei, nomine Alexandri Papæ tertij data ad Soldanum.

D. Legitur quod Hugo Abbas Cluniacensis, in vigilia Natalis Domini, vidit virginem Mariam in vlnis tenentem filium, & dicentem. Adest dies in qua Prophetarum oracula renouantur. Vbi est hostis qui ante hunc diem hominibus præualebat? Ad quā vocem diabolus de humo erupit, vt verbis dominæ insultaret, sed mentita est iniquitas sibi, quia dum officinas fratrum circuit, ipsum ab oratorio deuotio, à refectorio lectio, á dormitorio stramenta vilia, á capitulo patientia reiecit. *In aurea legenda ex Petro venerabili Abbate Cluniacensi lib. 2. mirac. c. 15. & Vincentio in specul. hist. lib. 26. cap. 7.*

E. Ipso die super quendam montem Magis orantibus stella apparuit, quæ formam pueri pulcherrimi habebat, & in capite eius crux pendebat, quæ Magos alloquens, dixit vt in Iudæam pergerent, & ibi natum puerum inuenirent. *Chrysostomus super Matthæum. Hoc est figmentum.* *Homil. 2. in cap. 2. Matth.*

NATIVITAS.

A. INfantia, quia non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum sit ingressa, prophetat. Ferunt risisse Zoroastrem, nec ei aliquid boni risus ille monstruosus portendit, nā magicarū artium fuisse perhibetur inuentor, quæ ei prodesse non potuerunt. A Nino Rege quippe, cum esset ipse Bactrianorum Rex bello superatus est. *Augustinus de ciuitate Dei libro vigesimo-primo, capite decimo-quarto, & ab eodem est interfectus, vt dicit Orosius de orchestra mundi, libro primo, capite quarto.*
Item, vide Gorgias. a.

Quotquot ab Eua nascuntur, clamant vel E, vel A, tanquā falsi propheta sua miseria imminentis.

Petrus Blesensis serm.

NERO.

A. NEro in tanta mole imperij, omnem perosus est grauitatē, philosophiam persequēs quasi maiestatis imperij inimicam, & se subdidit histrionum consilijs, quorum non erubuit turpitudinem exercere. *Ioannes Saresb. in Polyc. libro primo, cap. septimo. Orosius lib. 7. hist. cap. 7.*

B. Cum esset auarissimus, tamen histrionibus & mimis pecunias infinitas erogare non grauabatur. *Vbi supra.*

C. Romæ incendium voluptatis suæ spectaculum fecit, per sex dies septemque noctes ardens ciuitas regios pauit aspectus. *Suetonius in Nerone cap. 38. Ioannes Saresb. in Polycratico libro 8. capite 18. & Orosius de orchestra mundi, libro septimo, capite septimo præmittens, quod nunquam minus mille carrucis iter confecisse traditur.*
Item, vide Piscis. a.

S. NICOLAVS.

A. HIc prima die postquam natus est, dum balnearetur, erectus stetit in pelui, & quarta & sexta feria semel sugebat vbera. *In eius legenda, & apud Surium cap. 2. 6. Decembris.*

B. Parentibus mortuis cogitauit, qualiter diuitias sibi relictas ad Dei gloriam dispensaret. Tunc quidam conuicaneus suus tres filias suas ob inopiam prostituere cogitur, quod vt ille comperit, massam auri in domo eius per fenestram nocte clam iecit, quam manè surgens homo

repperit, & gratias Deo agens primæ nuptias celebrauit, non multo tempore post simile peregit, quod ille reperiens de cætero vigilare decreuit, vt sciret quis suæ inopiæ subuenisset. Post paucos dies, duplicati auri massam in domum proiecit, ad cuius sonitum excitatus Nicolaum fugientem insequitur, & velocius currens esse eum cognouit, quem obnixè ille rogauit, ne ipsum quamdiu viueret publicaret. *Vbi supra, & apud Surium cap. 6.*

C. Cum Dominus vellet eum assumere, rogauit Dominum vt Angelos suos sibi mitteret, quos ad se venientes vidit. Et dicto psalmo: In te Domine speraui vsque in manus tuas &c. tradidit spiritum. *In eius vita. Item, vide Iuramentum. f.*

NECROMANTIA.

A. QVidam Iudæus Necromanticus montem quendam perforatum introiens non multo post egressus inde attulit puluerem locupletissimum, quo quidquid contingeret in aurum vertebat, non quod ita pro vero esset; sed quia ita videretur quoadusque aqua dilueretur. *Vincentius in speculo historiar. libro vigesimoquinto, cap. 100.*

NOBILITAS.

A. FIlio cuiusdam diuitis Burgensis derisoriè dictum est à quodam quod esset de nobilioribus rusticis ciuitatis. *Gulielmus Lugdunensis in summa vitiorum in tractatu superbiæ rubrica 77.*

B. Quidam vituperabat alium de genere suo dicens: Tu es caput generis tui. Et ille respondit: Et tu es cauda generis tui. *Ibid.*

C. Vt liberalitas signum est nobilitatis, ita rapina est rusticitatis. Vnde qui nobiles reputantur rusticissimi sunt, quia non cessant auferre pauperibus qui non possunt se defendere, sicut ostendit magister Alanus. Cum enim regeret apud montem Pessulanum audierunt milites vicini, quod tantus clericus esset quod ad omnia interrogata responderet. Vnde communi consilio quæsierūt quæ esset maxima curialitas. Qui respondit: Quod dare curialissimum esset. Quo audito omnes consenserunt responsioni eius. Ipse vero dixit eis vt habito consilio dicerent ei quæ inter rusticitates maior esset, qui habentes consilium non poterant concordare. Quo audito ipse increpauit eos dicens: Ego posueram vos in via per quam possetis solutionem quæstionis cognoscere, si enim dare curialissimum est, auferre est rusticissimum. Vnde vos qui incessanter à pauperibus aufertis rusticissimi estis. *Gulielmus Lugdunensis in summa de vitijs in tractatu superbiæ rubrica 80.*

D. Nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus aliquid se cæteris fuisse meminerint. Exemplum ponitur de duabus monialibus fæminis genere nobilibus, quæ quendam religiosum virum eis obsequentem frequenter verbis incautis ad iracūdiam prouocabant. *Gregorius in Dialogis libro secundo, capite 23.*
Item, vide Fortitudo. a. Monachus. a. g.

NOMEN.

A. POst expulsum cum liberis suis regem Tarquinium, cuius filius Lucretiam stupro violenter oppresserat, Iunius Brutus consul, Lu- *Diuis Eutropius l. 10*

cium

ratione historia quod Romanis placuerat ne aliquis in vrbe remaneret qui Tarquinius vocaretur.

cium Tarquinium Collatinum, maritum eiusdem Lucretiæ, collegam suum, bonum ac innocentem virũ, propter nomen & propinquitatem Tarquiniorum, id est, quia communicabat in nomine cum rege expulso, & filio suo, coegit magistratu se abdicare, nec viuere in ciuitate permisit, quod scelus fauente vel patiente populo fecit, á quo populo consulatum idem Collatinus, sicut & ipse Brutus acceperat. *S. Augustinus de ciuitate Dei libro secundo, capite decimoseptimo.*

B. Ad te mihi sermo est, quę multipliciter misera cum gloria virginitatis nomen perdidisti. Nefas est enim Susannam vocari non castam, non licet nominari quod non est, tu illius fortissimæ Susannæ, de qua scilicet fit mentio Danielis 13. nomen fallaciter baiulas, loquitur cuidam nomine Susannæ, quæ post votum castitatis, stupri crimen incurrerat. *Hieronymus in epistola ad Susannam lapsam.*

Item, vide fæmina. c. Fiducia sui. b. Gloria. d. e. Habitus. a. Hyrcanus. a. Papa. c. Paulus Apostolus. c.

NVDITAS.

A. AMonio monacho fuit necesse aliquando fluuium nomine Lycum, subitis aquis inundatum transuadare, rogauitque Theodorum qui cum ipso erat, vt paululum à suo separaretur aspectu, ne nuditatem inuicem corporis vterque conspiceret: recessit Theodorus, nihilominus ille seipsum cum se nudare vellet, erubuit, cogitantem eum in alteram ripam virtus diuina transposuit. *Athanasius in vita sancti Antonij, & in tripartita historia libro primo, capite vndecimo.*

B. Aliquamdiu nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lauabatur, scilicet olim apud Romanos, quia inter ista tam sancta vincula, nõ magis quam in aliquo sacrato loco, nudare se nefas esse credebatur. *Valerius libro secundo, capite primo. Tullius offic. 2.*

C. Quod aduersus damnatam culpam inobedientiæ, voluntatem libido inobedienter mouebat, (scilicet in primis parentibus) verecundia pudenter tegebat. Ex hoc omnes gentes, quoniam ab ista stirpe procreatæ sunt, vsque adeò tenent insitum pudenda velare, vt quidam barbari illas corporis partes, nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegmentis lauent. Per opacas quoque Indiæ solitudines, cum quidam nudi philosophentur, vnde gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per cetera membra carent. *August. de ciuitate lib. 13. cap. 16.*

Item, vide Continentia. b. Patientia. b. a.

NVNTIVS.

A. MIrificè constantiæ viri, qui legati á senatu Tarentum ad res petendas missi, cum grauissimas ibi iniurias accepissent, vnus etiam vrina respersus esset, in theatrum (vt est consuetudo Greciæ) introducti, legationem quibus acceperant verbis, peregerunt: De ijs qui passi erãt, questi non sunt, ne vltra quám mandatum esset, loquerentur. *Valer. libr. secundo, capite 21. Liuius libro 12. Florus lib. 1. cap. 2.*

B. Quinctus Fabius gurges, Quinctus Ogulinus legati ad Ptolomæum Regem missi, munera quæ ab eo priuatim acceperant, in ærarium & quidẽ priusquam ad senatum legationem refer-

referrent, detulerunt, de publico ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officij accedere debere iudicantes. Iam illud humanitatis senatus, & attentæ maiorum disciplinæ iudicium est: data sunt enim legatis quæ in ærarium imposuerant, non solum patrũ conscriptorum decreto, sed etiã populi permissu. Ita in eisdem Ptolomæi liberalitas, legatorum abstinẽtia, senatus ac populi Romani æquitas, debitam probabilis facti portionẽ obtinuit. *Valerius libro 4. cap. 3.*

C. Fidem semper in nostra ciuitate viguisse omnes gentes senserunt. *Et infra.* Speciosa illa romana fides. Ingenti Pænorum classe circa Siciliam deuicta, duces eius confractis animis consilia petendæ pacis agitabant, quorum Dux Amilcar ire se ad consules negabat audere ne eodem modo catenę sibi inijcerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinæ fuerant iniectæ. Anno autem certior Romani animi æstimator nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum tetendit, apud quos cũ de fine belli ageret, & tribunus militum ei dixisset, posse illi merito euenire, quod Cornelio accidisset, vterq; Consul Tribuno tacere iusso, isto te, inquit, metu anno fides ciuitatis nostræ liberat. Claros illos fecerat, tantum hostium ducem vincere potuisse, sed multo clariores fecit, noluisse aduersus eosdem hostes fidem in iure legationis violare. *Valerius libro sexto, capite sexto.*

D. Superior Africanus, cum onustam multis, & illustrium Carthaginensium viris, nauem in suam potestatem redegisset, inuiolatam dimisit, quia se legatos ad eum missos dicebant, tam etsi manifestum erat, illos vitandi periculi præsentis gratia falsum legationis nomen amplecti, vt Romani imperij potius decepta fides, quam frustra implorata videretur. *Valerius lib. 6. cap. 6. Liuius 30. Polybius 15. sed paulo aliter.*

Item, vide. hostis. f.

NVPTIÆ.

Tertia nocte benedictionem consequeris, scil. *Dixit Angelus Tobiæ iuniori*, vt filij procreentur sani & incolumes. Hanc benedictionem præstabat sacerdos vel aliquis maior inter eos vicem sacerdotis gerens. *In historia scholastica parte tertia, in librum Tobiæ.* A.

Rhodogune filia Darij, post mortem viri, nutricem quæ ei secundas nuptias suadebat, occidit. *Hieronym. contra Iouinianum lib. 1. cap. 27.* B.

Anniã cum propinquus moneret, vt alteri viro nuberet, esse enim ei & ætatẽ integram & faciẽ bonã, nequaquam, inquit, hoc faciam, si enim virum bonum inuenero, vt ante habui, nolo timere ne perdam: si malũ quid necesse est post bonum pessimũ sustinere? *Ibidem cap. 27.* C.

Marcella maior interrogata à matre sua gauderetne se nupsisse, respondit, ita valde, vt amplius non velim. *Vbi supra cap. 27.* D.

Rem dicturus sum incredibilem, quam multorum testimonijs approbabo. Ante annos plurimos, cum in chartis ecclesiasticis iuuarem Damasum Romanæ vrbis Episcopum, vidi inter se duo paria vilissimorum è plebe hominum comparata, vnum qui viginti sepelisset vxores, alteram quæ 22. habuisset maritum, extremo sibi, vt putabant, matrimonio copulatos. Summa expectatio omnium, quis quem primum efferet: vicit maritus, & totius vrbis populo con- E.

lo confluente, coronatus & palmam tenens vxoris multinubæ feretrum præcedebat. *Hieronymus epist. 11. ad Gerontiam de Monogamia cap. 3.*
Item, vide August. l. Bigamia. a. b. Castitas. Coniugium, Matrimonium.

NVTRITIO.

A. QVidam paruulus nutritus á lupa, duabus manibus pro pedibus vtebatur reptãdo, quia à lupa aliũ modum discere non potuit. *Gulielmus Lugdunensis in summa de vitijs in tractatu auaritiæ rubrica 39.*

B. Quidam puer educatus apud Platonem, relatus ad parentes, cum vidisset patrem vociferantem, ait, nunquam hoc apud Platonem vidi. *Seneca lib. 2. de ira cap. 22.*

C. Vt recitat *Agellius lib. 12. cap. 1.* Fauorino suadente nobili mulieri, vt filium suum nutriret, cũ mater puellæ diceret sibi parcendum: sine, inquit, oro, eam totam integram esse matrẽ filij sui, contra naturam enim est imperfectum, dimidiatumque genus matris peperisse, ac à se abiecisse, aluisse, nescio quid in vtero sanguine suo quod non vidisset & lacte non alere quod viderit iam viuentem, iam hominem, iam implorantem matris officia: an putas naturam dedisse fæminis vbera ornandi eam, & non liberorum alendorum. Item prodigiosæ mulieres fontem illum arefacere cum periculo corrupti lactis laborant. Ponit exempla quod si ouium lacte hædi aut caprarũ agni alantur, constat in illis agnis lanam duriorem, & in hædis capillum gigni teneriorem. Item tales mulieres quæ dederunt filios suos alijs nutriendis, vinculum coagulumque amoris quo parentes cum filijs consociantur, intercidunt aut diluunt: ipsius quoque infantis affectio animi, in illa sola vnde alitur, occupatur. *Ioannes Galensis in compendiloquio de vita philosophorum illustriũ ex Agellio.*

D. Mater beati Bernardi diues & nobilis septem liberos habuit, sex mares futuros monachos, & vnam fæminã futuram sanctimonialem: quos committere alienis vberibus nutriendos refugiebat, quasi cum lacte materno, materni quodammodo boni eis naturam infundens. *In aurea legenda de S. Bernardo, & apud Suriũ l. 1. c. 1. 20. Aug.*
Item, vide Prouidentia d. i. c. Puer. a. b.

NVX.

Vide Fertilitas, a.

OBEDIENTIA.

A. EO tempore quo Campania alimentorũ inopia grauiter affligebatur, vir Dei Benedictus diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, vt penè nihil in cellario nisi parum olei in vase vitreo remaneret, tũc quidam subdiaconus Agapitus nomine, aduenit magnopere postulans vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autẽ Domini qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cælo omnia reseruaret, hoc ipsũ parũ quod remanserat olei, iussit dari petenti. Monachus vero qui cellariũ tenebat, audiuit quidem iubẽtis verba, sed implere distulit: cumque post paululum, si id quod dari iusserat, datũ esset, inquireret, respondit monachus se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tũc iratus, alijs præcepit, vt hoc ipsum vas vitreum in quo parum olei remãsisse videbatur, per fenestram proijcerent, ne in cellario aliquid per inobediẽtiam remaneret: quod vir Dei præcepit leuari, si postquam per fenestrã super saxa proiectum remanserat, vas infractum, & oleũ

& oleum non effusum, atque integrum petenti tribuit: tunc collectis fratribus, inobedientem monachum de infidelitate sua & superbia coram omnibus increpauit. *S. Gregor. in Dialogis lib. 2. cap. 2.*

B. Cum Sabino Placentinæ ciuitatis Episcopo quidam suus Diaconus nũtiasset, quod cursus sui Padus alueum egressus, Ecclesiæ agros occupasset, totaque illic loca nutriendis seminibus profutura, aqua eiusdem fluminis teneret, vir Domini accersito notario dictauit. Sabinus Domini nostri Iesu Christi seruus commonitorium Pado. Præcipio tibi in nomine Iesu Christi Domini, vt de alueo tuo in loca ista vlterius non exeas, nec terras Ecclesiæ lædere præsumas, atque eidem notario subiunxit. Vade hoc scribe, & in aqua fluminis projjce, quo facto sancti viri præceptum suscipiens, statim se ab Ecclesiæ terris, fluminis aqua compescuit, atque ad proprium alueum reuersa exire vlterius in loca eadem nõ præsumpsit: qua in re Petre, quid aliud quam inobediẽtium hominum duritia confunditur, quando in virtute Iesu & elementum irrationabile sancti viri præceptis obediuit. *Gregorius in Dialogis lib. 3. cap. 10.*

C. Dixit Abbas Pastor, veni aliquando in Heracleam inferiorem ad Abbatem Ioseph, & habebat in monasterio suo arborem sicomorum, pulchram nimis, & dicebat mihi à mane, vade, collige, & manduca, erat autem sexta feria. Ego autem non comedi propter ieiunium, & rogaui eum dicens: Dic mihi rationem quia dicebas mihi, vade, manduca: Ego autem propter ieiunium non abij, sed erubescebam, quia mandatum tuum non feceram, quia sine ratione mihi hoc non præceperas, ille autem respondit: Patres seniores non loquuntur ab initio fratribus recta, sed magis distorta, & si viderint, quia ea quæ torta sunt, faciunt: iam eis non loquuntur nisi quod expedit, agnoscentes quoniam in omnibus obedientes sunt. *In vitis Patrum libro decimo.*

D. Narrauit de Abbate Ioanne breuis staturæ, quia perrexit ad quendam senem, Thebeum genere commorãtem in Scithi, qui sedebat in eremo; tollens autem aliquando Abbas eius lignum siccum, plantauit, & dixit ei: Per dies singulos mitte ei ad pedem lagenam aquæ, donec fructum faciat: Erat autem longè ab eis aqua, ita vt à sero pergeret & mane veniret, post tres autem annos viruit lignum illud, & fecit fructum. Tollens autem ex fructu eius senex, attulit ad Ecclesiam, & dixit fratribus: Accipite & manducate obedientiæ fructum. *In vitis Patrum libro decimo-nono, parte prima. Idem factum scribit diffusius Seuerus in suo Dialogo libro primo, capite secundo.*

E. Dicebant de Abbate Ioanne qui fuit Abbas Pauli, quia magnæ obedientiæ vir fuit. Videns enim senex circa locum quẽdam stercora leænæ, dixit Ioanni: vade & affer stercora illa. Et ille dixit ei, & quid faciam Abba propter leænam illam? senex vero subridens, dixit ei: Si venit contra te, liga eam, & adduc huc. Perrexit ergo frater vespere, & ecce venit leæna super ipsum, ille verò secundum verbum senis, impetum fecit super eam, vt teneret illam, leæna autem fugit, & ille sequebatur eam dicens: Expecta, quia Abbas meus iussit vt ligem te, & tenens eam, alligauit. Senex vero diutius sedebat expectando eum, & tribulatione affligebatur: & ecce venit tardè, & habebat leænam liga-

ligatam, quod cum vidisset senex, admiratus est: volens autem humiliare eum, cecidit eum, & dixit: Baubose, canem fatuum adduxisti mihi? soluit autem eam statim senex, & dimisit abire. *Ibidem.*

F. Dicebant de Abbate Siluano, quia discipulum habes nomine Marcum, qui erat scriptor antiquarius, diligebat eum propter suam obedientiam, habebat etiam alios duos discipulos qui contristabantur, quod diligeret eum plus eis, quod cum audissent vicini, quia senex eum plus cæteris discipulis diligeret, molestè tulerunt. Vna autem die venerunt ad eũ quos assumens secum Abbas Siluanus, egressus est de cella sua, & cæpit cellas singulorum discipulorum suorum pulsare, dicens, frater ille, veni, quia opus te habeo, & vnus ex eis non est sequutus eum, venit autem ad cellã Marci, & pulsauit dicens, Marce: Ille autem cum audisset vocem senis, statim exiuit foras, & misit eum ad quoddam monasterium. Abbas vero Siluanus dixit senibus: Vbi sunt alij fratres? & ingressus cellam Marci, inuenit quaternionem, quem eadem hora inchoauerat, in quo litteram, o, faciebat, & audita voce senis, non fixit, nec girauit calamum vltra, vt impleret, & concluderet literam, quam in manus habebat, & dixerũt senes. Verè Abba, quem tu diligis, & nos diligimus, quoniam & Deus diligit eum. *Ibidem.*

G. Venerunt quatuor fratres de Scithi ad Abbatem Pambo, vestiti pelliceis tunicis, & indicauit vnusquisque virtutem alterius, non præsente eo, de quo loquebatur, vnus ex eis ieiunabat multum, alter nihil possidebat, tertius habebat charitatem plurimam, de quarto vero dixerunt, quia viginti duos annos in obedientia haberet permanens, senioribus obediens, respondit autem eis Abbas Pambo: dico vobis, quia istius virtus maior est, quàm cæterorum, quia vnusquisque virtutem, quam possidet, propria voluntate eam obtinuit, huc autem, propriam abscindens voluntatem, alienæ voluntatis se seruũ fecit, tales enim viri confessores sũt, si vsque ad finem vitæ ita permanserint. *Eodem libro, parte secunda.*

H. Dicebant senes quia si habet quis in aliquo fidem, & tradit se ei ad subiectionem. Non debet attendere in mandatis Dei, sed patri suo spirituali omnem voluntatem suam committere, quia illi per omnia obediẽs, non incurret peccatum apud Deum. *In vitis Patrum libro decimo-nono, parte secunda.*

I. Dicebant senes quia nihil sic quærit Deus ab ijs, qui primitias habent conuersationis, quomodo obedientiæ laborem. *In vitis Patrum libr. 19. parte tertia.*

K. Quidam sæcularis habens tres filios, renunciauit sæculo, & venit ad monasterium, & cum fecisset in monasterio tres annos, narrauit Abbati, quod haberet tres filios in ciuitate, & quia vellet eos ad monasterium eius adducere, præcepit autem Abbas, vt adduceret, qui cum perrexisset in ciuitatem, inuenit duos eorum defunctos, tertium autem assumens, venit ad monasterium. Abbas autem tenens infantem, quem adduxerat, amplexatus est eum: & dixit patri eius, amas eum? Et ille dixit: Etiam. Rursus dixit: Omnino diligis eum. Et ille dixit: Etiam; Dixit ei Abbas. Tolle ergo, si amas eum, & mitte eum in furnum ardentem, & tenens pater filium suum, iactauit in furnum ardentem, statim autem factus est furnus velut ros: ex qua re

adqui-

adquisiuit in tempore illo gloriam, quemadmodum Patriarcha Abrahã. *Eodem libro 3. parte 3.*

L. Dixit Abbas Sisois. Veni aliquando ad Abbatem Or, & ad Abbatem Atrem, & erat in infirmitate Abbas Or 18. annis: ij autem ambo non erant de vna prouincia, & fuit inter eos magna gratia, donec exirent de corpore. Abbas Atrem summæ erat obedientiæ. Abbas vero Or multæ humilitatis, & vidi mirabile quoddam, quod fecit Abbar Atrẽ: attulerat enim eis quidam vnum piscem modicum, & voluit illum facere Abbas Atrem seniori Abbati Or: posuerat ergo Abbas Atrem cultellum, & incidebat piscem illum, & vocauit eum Abbas Or, dicẽs: Atre; ille vero statim dimisit cultellũ in medio pisce preciso & non perincidit eum, & cucurrit ad illũ: & miratus sum senis obedientiam, quia non dixit, expecta donec perincidam. *In vitis Patrum libro 15. parte quinta.*

M. Dicebat quidam senex, quia si quis cum timore Dei, & humilitate iniungit fratri aliquid facere, sermo ipse, qui propter Deum egreditur, fecit illum fratrem subiectum existere, & implere quod iniunctum fuerit: si autem quis volens iubere fratri & non hoc secundum timorem Dei fecerit, sed per authoritatem, volens sibi in eo potestatem defendere, Deus qui videt occulta cordis, non permittit eum audire, vel facere, quod iubetur. Manifestum est enim opus, quod secundum Deum fit, & iterum manifestum est, quod voluntate aut potestate iniungitur, quoniam quod à Deo est, cum humilitate, & obsecratione imperatur: quod autẽ ex potestate, cum furore & perturbatione, vtpote quod á maligno est. *In vitis Patrum lib. 14. p. 8.*

N. Cũ Paulus cognomento Simplex, vxorem suam oculis suis cum adultero cubitantem vidisset, nulli quicquam dicens, egressus est domum, & semetipsum in eremum dedit: cumque adijsset Antonium, vt iter ab eo salutis inquireret, ille intuens eum simplicis naturæ, respondit ei: ita demum eum posse saluari, si ijs quæ à se dicerentur, obediret: cum ille omnia quæ sibi præciperet facturũ esse promisit, vt autem promissionem suam probaret. Antonius ante fores cellulæ stanti, hic, inquit, me expecta, orans, donec egrediar, & ingressus mãsit intrinsecus per totum diem & per totam noctem, per fenestram tamen ex occulto frequenter respiciens, videbat eum indesinenter orantem: & nusquam prorsus moueri, sed stare in æstu diei, & in rore noctis, & ita esse mandati memorem, vt ne parũ quidem loco moueretur: egressus autem die postera Antonius instituere eum & docere de singulis cæpit, quomodo opere manuum solitudinem solaretur, & digitis quidem corporis opus manuale, cogitatione vero mentis & animi exerceret quæ Dei sunt. Cibum quoque in vesperam sumere præcepit, & obseruare ne vsque ad saturitatem veniret, & precipuè in potu: confirmans non minus per aquæ abundantiam, phantasias animi fieri, quam per vinum, calorem corporis crescere. *In vitis Patrum de sancto Paulo Simplice.*

O. Quadam autem die, cum venissent ad sanctum Antonium fratres quidã, & perfecti viri: accidit & Paulum prædictum adesse cum eis, & cum de prophetis, & de Saluatore plurima tractarentur. Paulus ex simplicitate interrogauit, si Christus prior fuit an prophetæ: beatus vero Antonius cũ pro eo quod tam absurdè interroga-

uerat,

uerat, quasi erubuisset: blando motu vt erga simpliciores solebat, silere, atque eum abire iubet: at ille quia omne quod ab eo dictum, vtcumque fuisset, tanquam præceptum seruare instituerat: abscedens ad cellulam suam, silentium gerere instituit, nec omnino aliquid loqui, quod cum comperisset Antonius, mirari cæpit; Vnde illi hæc obseruantia placuisset, quam à se sciebat non esse mandatam: cumque iussisset eum loqui, & cur sileret, indicare. Tum (inquit Paulus) dixisti mihi, vt irem & silerem, & obstupefactus Antonius ita ab eo sermonem, quem ille negligenter protulerat, obseruatum: omnes nos, inquit, iste condemnat. Cum enim nos de cælo nobis non audiamus loquentem, ab isto qualiscunque sermo, qui ex ore nostro processerit, obseruatur. *Vbi supra.*

P. Multam sanctus Antonius dictum Paulum volens docere obedientiam, præcipere ei solitus erat, & quæ causa & ratio non posceret, in quibus eius animus erga obedientiam probaretur. Haurire namque eum iussit aliquando aquam ex puteo, & in terram toto die effundere, & contextas sportas resoluere, & denuo retexere, ac vestimentum diffuere, atque iterum resuere & rursus resoluere; & in plurimis huiusmodi exercitijs ab eo memoratur imbutus, vt in nullo prorsus, etiam eorum, quæ contra rationem imperare videbatur, disceret contradicere: & ita per omnia informatus, breui ad perfectionem venit, ex cuius exemplo beatus Antonius dicebat, quod si quis vellet velociter ad perfectionem venire, non sibi ipse fieret magister, nec proprijs voluntatibus obediret: & si rectum videretur esse, quod vellet, sed secundum mandatum Saluatoris, obseruandum esse, vt ante omnia vnusquisque abneget semetipsum sibi, & renuntiet proprijs voluntatibus: quia Saluator ipse dixit: Ego veni, nõ vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. *Ibidem.*

Supradictus Paulus exemplo nobis est: qui obedientiæ, & simplicitatis merito, in tantum spiritualium gratiarum culmen ascendit, vt multo plures, & potentiores virtutes per ipsum Dominus, quam per sanctum Antonium fecerit. *Et infra.* Si quos ipse Antonius curare non posset, hos ad Paulum mittebat, & ab illo curabantur, tanta autem simplicitatis eius fuisse apud Deũ ferebatur fiducia, vt quodam tempore, cum quidam rabiem patiens in modum canis lanians omnem, qui fuisset ausus accedere, morderet, cumque perductus ad eum fuisset, insistebat orationi, vt dæmonẽ, qui eum vrgebat, fugaret: & cũ mora fieret, nec celer sequeretur effectus, quasi infantium more indignatus, dixisse fertur ad dominum. Verè non manducabo hodie, si eum nõ curaueris, & statim curatus est rabidus. *Ibidem hoc: & sub alijs verbis narrat Heraclides in libro qui dicitur Paradisus.* Q.

R. Abbas Ioannes qui commoratus est iuxta Lyco, quod est oppidũ Thebaidis, propter obediẽtiæ virtutẽ, vsque ad prophetiæ gratiam sublimatus, sic vniuerso orbi claruit, vt & regibus mundi huius, merito suo redderetur illustris, nam cũ in extremis, vt diximus, Thebaidis, precibus cõmoraretur: nõ ante præsumebat Theodosius Imp. ad præpotentiũ tyrannorũ bella procedere, quam illius animaretur oraculis atque responsis, quibus confidens, velut cœlitus sibi delatis, trophæa de desperatis bellis,

atque hostibus reportauit. Hic itaque beatus Ioannes ab adolescētia sua vsque ad perfectam, ac virilem ætatem, seniori suo deseruiens, donec ille in huius vitæ conuersatione durauit, tanta humilitate inhæsit eius obsequijs, vt ipsi quoque seni stuporem summum obedientia eius incuteret. Deinde refert qualiter idem senior ad explorandum eius obedientiam sibi quædam superflua, vel impossibilia iniungebat, quæ ille, sine vlla impossibilitatis consideratione, nitebatur implere. Vnde cum semel audisset ab eo, Ioannes, saxum illud aduolue quamtocius, ipse confestim saxum immane quod turbæ multæ ferre non possent, applicita nūc ceruice, nunc toto pectore, tanto nisu prouoluere contendebat, vt sudore omnium membrorū totum infunderet vestimentum, parum metiens impossibilitatem præcepti, simplicitate sincera, qua credebat senem tota fide nihil posse incassum, ac sine ratione præcipere. *Ioannes Cassianus de institutis monachorum libro quarto, capite 23. 24. & 25.*

S. Frater quidam patre Comite, ac ditissimo oriundus, studijs quoque liberalibus nō mediocriter institutus, cum relictis parentibus ad monasterium peruolasset ad comprobandā mentis humilitatem, vel fidei ardorem, confestim ei à seniore præceptum est, vt decē sportas, quas necesse non erat vendi ceruicibus suis onerans distrahēdas per plateas circumferret, adiecta conditione, quo diutius in hoc retineretur officio, vt si fortè vnus eas pariter coemere voluisset, non cederet, sed sigillatim eas quærentibus venundaret, quod ille tota intentione & deuotione compleuit, & omni confusionis verecundia pro nomine ac desiderio Christi calcata, sportas humeris suis imponens, prætio statuto distraxit, ac pecuniam ad monasterium reportauit, nequaquam perterritus tam vilis & insueti officij nouitate, nec considerans indignitatem rei, natalium que splendorem, ac venditionis iniuriam, dum illam Christi humilitatem, quæ est vera nobilitas, per obediētiæ gratiam desiderat obtinere. *Ioannes Cassianus de institutis monachorum lib. 4. cap. 29.*

T. Cuidam volenti monasteriū quoddam magnæ dispositionis intrare, cępit Abbas proponere graues istius disciplinæ labores, sua vero imperia dura, ille verò nihil ijs terroribus permoueri cepit, sed magis ita omnem obedientiam polliceri, vt si eum Abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare: quam illius professionem, vbi magister accepit, non est cunctatus probare profitentem, casu siquidem clibanus prope ardebat, qui multo igne succensus coquendis panibus parabatur: hunc ergo aduenam, illum iubet magister intrare, nec distulit parere præcepto: medias flammas ingreditur, quę mox audaci fide victæ, velut illis quondā Hæbreis, prius cessere venienti, & qui putabatur arsurus, velut frigido rore perfusus, seipse miratus est. *Seuerus in suo Dialogo lib. 1. cap. 12.*

V. Nili fluminis ripas frequentibus monasterijs consertas vtraque parte lustraui, plerumque vidi vno in loco centenos monachos habitare, præcipua vbi virtus, & prima est, obedientia: nec alter adueniens ad monasterium abbatis suscipitur, quàm qui tentatus fuerit, & probatus, nullum vnquā recusaturus, quamtūlibet arduum, ac difficile indignumque tolleratum Abbatis imperium. *Hæc Posthumianum narraße scribit Seuerus in suo*

suo Dialogo, libro 1. cap. 11.

X. Fratri cum quo solitus erat beatus Franciscus ire, semper promittebat obedientiam, & seruabat. *In aurea legenda sub titulo de S. Francisco.*

Y. Sancta Elizabeth illustris regis Hungariæ filia, genere nobilis, sed fide ac religione nobilior, Lantgrauio Thuringiæ sociata coniugio, cuiusdã viri, scil. magistri Conrardi pauperis & mendici, sed tamen scientia & religione præcipui, saluo iure matrimonij, & consentiente marito, obedientiæ adeo se subiecit, vt quicquid ille præciperet, ipsa cum reuerentia & multo gaudio adimpleret, vt ex hoc & obedientiæ perciperet meritum, & domini Saluatoris, qui factus est obediens vsque ad mortem, imitaretur exemplum. *Et infra.* Magister autem Conrardus sæpè ipsi molesta & contraria imponebat, & quos amplius diligere videbatur, ab eius consortio separabat, ita vt duas ancillas secum à iuuentute nutritas, ab ea remoueret, hæc faciens vt eius voluntatem frangeret, & ipsa suum affectum ad Deum totaliter dirigeret, sed in ijs omnibus inueniebatur & velox ad obedientiam, & constans ad patientiam. *In aurea legenda sub titulo de sancta Elizabeth, & apud Surium 19. Nouembris cap. 6. & 21.*

Z. Abbas quidam videns quod cuidam monacho infirmo necessariæ carnes essent, præcepit ei vt carnes comederet, sed ille nimis pertinax, præcipienti non acquieuit: vt autem Deus ostenderet meliorem obedientiam quam stultorum victimas, ille inobediens mox in rabiem versus, in agrum cucurrit, vbi canẽ mortuum reperiens, carnes eius fætentes auidissimè comedere cæpit, & quia in carnibus deliquerat, in carnibus est punitus. *Cæsarius in Dialogis miraculorum lib. 10. cap. 9.*

Aa. Fausti monachi sui propositũ beatus Benedictus sæpe experiebatur iniungendo ei impossibilia & importabilia. *In spec histor lib. 22. c. 68. Tritemius lib. 3. c. 3. de viris illustr. ord. S. Benedicti.*

Ab. Quadam die, dum Lãfrancus omnium scientia seculari perfectè imbutus, monachus in loco Herliuini ad mensam legeret, quidam inter legendum dixit, sicut dicere debuit, quod præsidenti non placuit, & aliter dicere iussit, velut si dixisset docere media producta, sicut est, iuberet eã breuiare, non enim Prior ille literatus erat, sed vir sapiens Lanfrãcus, & sciens magis obedientiam Christo deberi, quam Donato, dimisit quod bene pronuntiauerat, & dixit quod se non rectè dicere sciebat. *Tritemius libro secundo de viris illustr. ord. S. Benedicti cap. 99. Simile narratur de D. Thoma Aquinate in vita ipsius. In gestis Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi apud Vincentium spec. histor. lib. 25. nu. 36.*

Vt iumẽtum factus sum apud te. Psal. 72.

Ac. Crassus á Sempronio Asello, & plerisque alijs historiæ Romanæ scriptoribus, traditur habuisse quinq; rerũ bonarum maxima, & præcipua, quod esset ditissimus, nobilissimus, & eloquentissimus, iuris consultissimus, & Pontifex maximus. Is cum in Consulatu obtineret Asiam, & oppugnare Leucas pararet, opusque esset procera trabe, qua arietem faceret, quo muri quaterentur scripsit ad magnum Gaium Maiorem Atheniensium sociorum populi Romani, vt ex malis duobus, quos apud eos viderat, vter maior esset, ei mittere procuraret. Tunc Magnus Gaius comperto quare malum desiderasset, non vti iusserat maiorem, sed quem magis esse idoneum faciendo arieti facilioremque portatu existimabat, minorem misit. Crassus cum interrogasset, cur non

quod iusserat, misisset? causis rationibusque quas dictabat, spretis, vestimenta detrahi iussit, virgisque cæcidit, corrumpi atque dissolui ratus omne officium imperantis, si quis ad id quod facere iussus est, nō obsequio debito, sed consilio non desiderato responderit. Quid quæso amplius in monachum arctioris regulæ dictasset Abbas Seuerus? In eo nãque solo deliquerat quod non paruerat mandato, & si fortè re ipsa vtilius esset quod fecit. *In Polycratico libro sexto, capite 12. Ioannis Saresberiensis.*

A d. Cum quidam ex Socratis doctrina bene meriti discipuli discederent rogantes eum vt aliquod præceptū ordinandæ vitæ perciperent, iussit eos in diuersorium secum venire, vxoremque in superioribus cōnstitutam vocauit, iussitq; vt vasa oleo & melle plena eijceret, admirantibusque discipulis ait: Si hanc in domibus vestris rerum potestatem habueritis, beatam vitam disponetis, quasi diceret: Cum in domibus vestris omnes vobis obedierint, quietè viuetis. *Ioannes Galensis, in compendiloquio de vita Philosophorum p. 7.*

A e. M. Curius Consul, cum delectum subito educere coactus esset, & Iuniorum nemo respondisset, quendam adolescētem nominatim citari iussit, quo non respondente, præfatus non esse opus Reipublicæ eo Ciue qui parere nesciret, & ipsum & bona eius vendidit. *Valerius libro sexto, capite tertio. Liuius lib. 14.*

A f. Postquam præcepti facta est transgressio à primis parentibus, senserunt motum inobedientis carnis, tanquã reciprocam pœnam inobediētiæ &c. *August. 13. de ciuit. Dei cap. 13.*

Item, vide Abstinentia. r. v. Alexander. b. Fornicatio. h. Maledictio. a. Militia. a. Monachus. be. bg. bk. Occisio. c. Præceptum. a c. d. Roma. a k. Simplicitas. a.

Oblivio.

A. Quidam Athenis vir eruditissimus, cum ictum lapidis capite excepisset, cætera tenacissima memoria retinens, literarum tantum oblitus est, cui si talibus studijs perfrui par non erat, vtilius aliquanto fuit ad illa aditum non impetrasse, quam iam percepta eorum dulcedine caruisse. *Valerius libro primo, capite octauo. Plin. libro 7. cap. 25.*

B. Clericus quidam literatus cum sanguinem in vena minueret, sic scientiam literarum perdidit, vt eam per sanguinem amisisse videretur, nec vnum quidem verbum latini sermonis poterat intelligere, nec proferre, & vt noueritis priuationem sensus non fuisse in causa omnium rerum prius habitarum, retinuit scientiam. Quod cum multis exposuisset, quidã suasit dicens: Anno reuoluto, eodem die, & hora, iterum te minuas, & forte substracta recipies. Quod cum fecisset scientiam pristinam recuperauit. *Cæsarius Miraculorum lib. 10. c. 4. Item, vide Claudius. b. Memoria. c. Moyses. a. Patientia. a e.*

Obsidio.

A. Casilinates obsidione Hannibalis clausi, penuria alimentorum, lora necessarijs vinculorum vsibus subducta, & equis scutis detractas pelles, feruenti resolutas aqua manderunt. *Valerius lib. 7. cap. 6. Liuius 27.*

B. Cretenses obsidione Metelli ad vltimam penuriam compulsi, sua vrina & iumentorum, sitim torserunt, iustius dixerim, quam sustentarunt, quia dum vinci timent, id passi sunt, quod eos ne victor quidem

pati

pati coegisset. *Valer. ibidem. Liuius 99. Florus libro tertio, capite septimo.*

C Numantini à Scipione, vallo & aggere circumdati, cũ omnia consumpsissent, humanorum corporum dapibus vsi sunt. Capta vrbe, plures inuenti sunt, artus & membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes. *Valerius libro septimo, capite sexto. Liuius 95. Florus 2. cap. 28.*

D Calaguritanorum execrabilis impietas, quia vxores suas natosque ad vsum nefariæ dapis verterunt. *Ibidem Valer. Flor. 7. c. 22. Orosius libro quinto, capite vigesimo-septimo.*

Item, vide Fidelitas. b. c. d. e. f. Hierusalem. a. Roma. a. c.

OCCISIO.

A QVidam Manichæi hoc præceptum, Non occides, etiam in bestias & pecora conantur extendere. Hunc errorẽ improbat. *August. libro primo de ciuitate Dei cap. 20.*

B Cum in media parte fori, vasto ac repentino terra subsideret hiatu, responsumque esset, re illum tantum compleri posse, qua Romanus populus plurimum valeret, Curtius nobilissimus interpretatus vrbẽ nostrã virtute & armis præcipuè excellere, militaribus insignibus ornatus equũ ascendit. Et eum vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit, super quem vniuersi Ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt, & statim terra pristinum habitum recuperauit. *Valer. lib. 5. capite sexto. Liuius l. 7. Orosius libro tertio, capite quinto.*

C In confinio Antiochiæ & Damasci in castris munitissimis habitant Assasini, quorum Dominus est vetulus, de Montanis multum reueritus à Christianis & Sarracenis propinquis ac remotis, quorum Principes indifferenter per nuntios interficere solet, horum nulla est lex, nisi quam timor fecit. Matres & filias indifferenter cognoscunt. Quisquis in Domini sui obedientia moritur, pro Angelo colitur. *In spec. histor. libro 32. cap. 66. Gulielmus Neubrig. libro quarto, capite vigesimo-secundo. Iacobus à Vitriaco libro primo, capite 14. historiar. Orientalis.*

D Si magno animo fieri putandum est, cum sibi homo ingerit mortẽ, ille potius Cleombrotus in hac animi magnitudine reperitur, quã Cato: quem ferunt lecto Platonis libro, vbi de immortalitate animę disputauit, se præcipitem dedisse de muro, atque ita ex hac vita migrasse ad eã, quam credidit esse meliorem. Nihil enim vrgebat aut calamitatis, aut criminis, seu verum seu falsum, quod non valendo ferre, se auferret. Sed ad capessendam mortem, atque ad huius vitæ suauia vincula rumpenda, sola affuit animi magnitudo. Quod tamen magnè potius factum esse, quam bene testis ei esse potuit Plato ipse, quem legerat. Qui profecto id præcipuè potissimumque fecisset, vel etiam præcepisset, nisi eã mente quam immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum esse iudicasset. *Augustinus de ciuitate Dei libro primo, capite vigesimo-secundo. Tullius 1. Tusc. 4. Callimachus in epigramma.*

E De Catonis facto, qui se Vticæ occidit, quid potissimum dicam, nisi quod amici eius & docti quidam viri, imbecillioris quam fortioris animi facinus esse censuerunt, quo demonstretur non honestas turpia precauens, sed infirmitas aduersa nõ sustinẽs. Hoc & ipse Cato in filio suo indicauit, nã si turpe erat sub victoria

Cæsarius viuere, cur author huius turpitudinis filio fuit quam de Cæsaris benignitate omnia sperare præcepit? Cur non & illum secum coegit ad mortem? *August. de ciuitate Dei libro primo, capite vigesimo-tertio. Plutarch. in vita Catonis. Appia. Ciuil. 2.*

F. Nolunt isti contra quos agimus, vt sanctum virum Iob Catoni præferamus. Sed ex literis eorum, eidem illi Catoni Marcum Regulum preferam. Cato enim nunquam Cæsarem vicerat, victus dedignatus est subijci, & se occidit: Regulus autem Pœnos iam vicerat, ab eis tamen postea victus, maluit eos ferre seruiendo, quam eis se auferre moriendo. *Eodem libro capite vigesimo-quarto.*

G. Sed quidam inquiunt, propter adulterium vitandum licere se occidere. Sanctæ fœminæ tempore persecutionis in fluuium se merserunt, eoque modo defunctæ sunt, eorumque martyria celebrantur. De his nil audeo iudicare. Quod si hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, sed diuinitus iussæ, nec errantes, sed obedientes, sicut Sanson: aliud nobis fas non est credere. *Eodem libro primo, capite vigesimo-sexto.*

Pelagia & Sophronia. Ambr. l. 3. de virg. Euseb. hist. Eccles. l. 8. cap. 17.

Item, vide Cato. a. b. Crudelitas. f. Diogenes. f. Iacobus Zebedæi. b.

OTIVM.

A. PVblium Scipionem dicit Cato dicere solitum, nunquam se minus otiosum esse, quã cum ociosus esset, nec minus solum, quam cũ solus esset. Vox magnifica, quæ declarat illum etiam in otio de negotijs cogitare, & in solitudine secum loqui solitum. *Tullius 2. de Officijs.*

B. Ægyptiorum monasteria hunc modum tenent, vt nullum absque opere & labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus. *Hieron. in epist. ad Rusticum.*

C. Dixit Valerianus Almachio Præfecto. Vidi glaciali tempore otiosos iocantes & operarios Agricolas deridentes, sed æstiuo tempore dum aduenissent gloriosi fructus laborum gaudentibus illis qui putabantur vani, cæperunt flere qui videbantur Vrbani. Hic & nos sustinemus nunc ignominiam & laborem, in futuro recipiemus gloriam. *In aurea legenda de sancta Cecilia.*

D. Primi Pœni dicuntur vias lapidibus strauisse. Postea Romani eas pæne per omnem orbem disposuerunt propter rectitudinem itinerum, & ne plebs esset otiosa. *Isidorus Etymolog. libro 15. cap. vltimo.*

Item, vide Comestio. c. Malitia. n. Monachus. b m. b n. b o. Papa. b. Vita. e.

OCVLVS.

A. LEguntur quidam Philosophorum sibi oculos effodisse, ne exteriorum caperetur illecebris. *In Polycratico libro octauo, capite quarto. Ioãnis Saresberiensis.*

B. Cum S. Petrus Clareuallensis Abbas, in valle Regis ex morbi violentia oculum amisisset, postea dicere iocãdo solebat, vnum se de inimicis suis euasisse, & plus se à residuo, quam à perdito formidare. *In gestis S. Petri Clareuallensis. Et ponitur in spec. histor. libro tertio, cap. 32.*

Item, vide Cæcitas. b. Fascinatio. a. Visus.

ODIVM.

A. ALexander filius Ioannis Hircani, adeo nequam fuit, quod in sex annis circiter 50. milia seniorum

niorum interfecit, quia eius facinora detestabantur, cumque offensus esset populo, muniuit palatium in turri quæ Baris dicebatur, super qua postea miratus est Titus quod eam Iudæi deseruerant, cum defendi posset à duobus. In plateis suspendit octoginta viros vxoratos, vxoresque eorum & liberos necauit. *Parte 2. cap. 6. historiæ scholasticæ.*

Item, vide Correctio. b. Hannibal. f. g. Herodes. b. Hieronymus. a. d.

ODOR.

Vide Auaritia. b.

OFFICIALIS.

A. CReditur Vespasianus procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quibus vulgo pro spongijs dicebatur vti. *Suetonius de 12. Cæsaribus, libro decimo.*

Item, Domitianus. a. Rex. c. Tiberius. b.

OMEN.

A. CVm nuper egredienti de hospitio suo, Magistro G. Pulchro, Magister Wuillelmus Blesensis monachus occurrisset, egredientem monuit regredi, magnum eadem die sibi denuntians imminere periculũ, si præsumeret proficisci. Magister G. vir in Christo perfectus, vanum id reputans, securus iter aggressus est. Profectus (*al. Prouectus.*) paululum in fossam aquis exuberantem, cum equo minus cautè incidit. Cumque equus & ascensor in profundo submersi palpitarent, tandem Magister G. multis subuenientibus vix euasit. Opinio mea est magistrum G. submersionis illius incurrisse periculum, etiã si ei nullus monachus occurrisset. *Petrus Blesensis in quadam epistola.*

Item, vide Præsagium. a. Superstitio. a.

OPINIO.

DIxit Abbas Ioseph: Memini, cum me adhuc adhærere consortio fratrum ætas minor hortaretur, huiusmodi nobis intelligentiam, vel in moralibus disciplinis, vel in scripturis sacris frequenter insertam, vt nihil ea verius crederemus, sed cum in vnum conuenientes sententias nostras promere cæpissemus, quædã communiter discussa primum ab altero falsa, ac noxia notabantur, mox vt perniciosa communi pronunciata iudicio damnabantur: quo à Senioribus legali sanctione præscriptum est, vt neuter nostrum plus in iudicio suo, quam fratris crederet, si nunquam vellet diaboli calliditate deludi. *Cassianus collat. 6. capite 10.* A.

OPPRESSIO.

Vide Castitas. a. Lucretia. a. b.

OPVS.

MOdernus Poëta in Alexandri persona dixisse legitur. Quando dixero fortem, I prior, i, sed in arma veni, præcedere nisus tum demum socios sum dignus habere sequaces. Legimus in libro primo cõtra Academicos, S. Augustinum manibus proprijs laborando quandoque discipulos ad opera prouocasse. *Cantipratanus de Apibus libro primo, capite decimo-quinto.* A.

Item, vide Labor. Monachus.

ORATIO.

SOcrates nil vltra petendum à dijs putabat, quam vt bona tribuerẽt, quia scirent quid cuique vtile, nos autem petimus, quod non impetrasse melius foret. Desine stulta futuris A.

turis

turis malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam cælestium arbitrio committe. *Valerius libro septimo, capite secundo. Cato in Alcibiade.*

B. Retulit Humbertus Archiepiscopus quod in monasterio S. Siluestri monachus quidam obijt, & ab incipiente galli cantu vsque ad horam diei secundam, cadauer exanime iacuit, circumquaque fratribus psallentibus. Cumque ad missam, Agnus Dei pro eo diceretur, surrexit, & maledicta in Deum & blasphemias cæpit euomere, crucem respuere, Dei genitricem opprobrijs lacerare. Et dicebat: Quare pro me psallitis? Ego in flamma Tartari fui, ibique Lucifer coronam suam æream candentem mihi imposuit. Cumque fratres eum ad pœnitentiam monerent, ille omnia reijciebat. Tunc monachi toto corde pro illo orantes, & exutis vestibus se verberantes, insudabant precibus. Et ecce desperatus ad se redit. Deum laudat, Satanæ renunciat, crucem adorat. Confessus est autē, quia post abrenunciationem seculi, inciderat in fornicationem, quam eotenus cælauerat, & benedicens Deū, vsque in diem alterum vixit & sanctè migrauit. *Petrus Damiani lib. primo, epistola nona.*

C. Cum Galli Imperatoris regnum floreret in initio, sanctos viros persequutus est, cum quibus & prosperitatem suam pariter fugauit & pacem. *In Eccles. hist. lib. 7. cap. 1.*

D. Cuidam Eremitæ qui seminauerat olera, visum est pluuiam necessariam esse, petiuit à Deo & obtinuit. Demū visum est serenitatem esse necessariam, & obtinuit, & tamen nec vnum olus de terra exijt, qui credens vniuersalem defectum esse olerum in anno illo, patienter tulit, sed cum declinasset ad domum cuiusdam Eremitæ, & pulcherrima ibi olera vidisset, admiratus narrauit quæ sibi acciderant. Qui dixit: Merito hoc accidit, putabasne te sapiētiorem Deo, qui ei indicabas quid facere deberet? E contra refertur de quodam Agricola, quod semper habebat in agris & vineis vberiores fructus, quam alij, qui respondit non esse mirum, cum semper haberet tempus quale ipse vellet, dicens: Ego nunquam volo aliud tempus habere, quam Deus velit, semper habeo tale quale volo. *Guilielmus Lugdunensis in summa vitiorum in tractatu linguæ, rubrica octaua.*

Legitur de S. Bartholomæo quod centies flexis genibus orabat Deum per diem, & centies per noctem. *Idem.* E.

Dicebat quidam quia latrones & Trutanni docuerant ipsum orare. Latro attendens quid fecerit, & tormentum sibi præparatum, inter hæc duo cum lachrymis misericordiam petit, Trutanni vero ea quæ sunt miserabiliora in eis, improbissime ostēdunt, & quæ sana sunt abscondunt, vt magnitudo miseriæ ad misericordiam excitet. *Eodem libro parte tertia, rubrica 45.* F.

In hospitij sui vestibulo mater S. Bonifacij gallinas nutrire consueuerat, sed eas vulpes veniens auferebat. Quadam die quum ibidem S. Bonifacius staret, vulpes ex more venit, & gallinam abstulit. Ipse autem concitus Ecclesiam intrauit, & orans dixit: Placet tibi Domine, vt de nutrimento matris meæ manducare non possum? Qui ab oratione surgens Ecclesiam est egressus, vulpes mox rediens gallinam dimisit, & ipsa moriēs ante eius oculos cecidit. *Et infra.* Exauditus est in rebus vilibus, vt in G.

paruis

parvis disceret, quantum de Deo præsumere in magnis petitionibus deberet.

Greg. in Dialog. lib. 1. cap. 9.

H. In vno ex monasterijs, quod ipse construxerat B. Bernardus, quidam monachus erat, qui ad orationem stare non poterat: sed mox vt se Fratres ad studium orationis inclinassent, ipse egrediebatur foras, & mente vaga terrena aliqua & transitoria agebat. *Et infra.* Cumque vir Dei venisset in idem monasterium, & expleta psalmodia sese fratres in orationes dedissent, aspexit quod eundem monachum, qui manere in oratione non poterat, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras trahebat. *Et infra.* Die igitur alia, postquam beatus Maurus hoc idem vidit, expleta oratione vir Dei oratorium egressus, stantem monachum reperit, quem pro cecitate cordis sui virgo percussit sicque ad orationis studium permansit immobilis.

Gregorius in Dialogis libro secundo, capite quarto.

I. Frater dixit Anthonio. Ora pro me. Et respondit ei: Nec ego tui miscreor, nec Deus, nisi pro te ipso sollicitus fueris, & poposceris à Deo.

In vitis Patrum libro decimo, parte prima.

K. Dicebat de Abbate Arsenio, quia vesperi sabbathi illucescente Dominica, relinquebat post se solem, & extendebat manus suas ad cælum orans, donec mane Dominica die ascendens sol illustraret faciem eius, & sic residebat.

In vitis Patrum libro duodecimo, parte prima.

L. Interrogarunt fratres Abbatem Agathonem dicentes: quia virtus in conuersatione plus habet laboris. Et dixit eis: Ignoscite mihi: quia puto non esse alium laborem talem, qualem orare Deum, semper inimici dæmones festinant irrumpere orationem eius, scientes quia ex nulla re impediuntur, nisi per orationem. Siquidem omnem alium laborem, quem homo assumpserit, quamuis instanter, & toleranter agat, tamen etiam possidet aliquam requiem, oratio autem, vsque ad vltimam exhalationem, opus est vt habeat laborẽ magnum certaminis.

In vitis Patrum libro duodecimo, parte prima.

M. Orabat semel Hilarion, & vt natura fert hominum, abstracta ab oratione mens, nescio quid aliud cogitabat: Statim insilijt diabolus dorso eius, & latera calcibus, ceruicem vero flagellis verberans: Eya, inquit, cur dormitas? cachinnansque desuper, si defecisset, an ordeum vellet, sciscitabatur.

Hieronymus in vita eius.

N. Si quando orans Pachomius petitionis suæ non consequeretur effectum, non contristabatur omnino, sciens expedire sibi, vel omnibus, quidquid diuina misericordia censuisset.

In vita eiusdem.

O. S. Antonium ita nonnunquam nouimus in oratione perstitisse, vt eodem in excessu mentis frequenter orãte, cum solis ortus cæpisset, infundi audierimus eum in feruore spiritus proclamantem. Quid me impedis, Sol, quia ad hoc oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate?

Verba sunt Abbatis Isaac in Collat. Patrum collat. 9. cap. 32.

P. Dixit Abbas Isaac. Hic versiculus, Deus in adiutorium &c. recipit omnes affectus, quicunque inferri possunt humanæ naturæ, & ad omnem statum, atque vniuersos incursus competenter aptatur. Habet inuocationem contra pericula, humilitatem piæ confessionis, timoris perpetui vigilantiam, considerationem fragilitatis suæ contra impugnationes hostium valet, vnicuique in qualibet qualitate degenti necessarius inuenitur. Huius versiculi meditatio in tuo pectore semper voluatur, hunc in opere quolibet, seu ministerio, vel itinere constitutus decantare nõ desinas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, ille deinceps ad omne opus actusque deducat: hũc scribes in limine, & ianuis pectoris tui collocabis. *Cassianus collatione decima, capite 10.*

Q. Vtilius censent sancti Patres in Ægypto constituti, breues quidem orationes, sed creberrimas fieri, illud quidem vt iugiter Deo cohærere possumus, hoc vt dęmonis iacula succincta breuitate vitemus. *Cassianus de institutis monachorum libro secundo, capite vigesimo.*

R. Refert Calixtus Papa, quod quidam Ciuis Barcinonæ ad S. Iacobum veniẽs, hoc solum postulasse dicitur, ne deinceps ab aliquibus hostibus caperetur. Rediẽs ergo à Saracenis capitur, & pluries ab eis per nundinas vẽditur, sed tamẽ semper catenę quibus ligabatur, soluebãtur. Cum autem iã tredecim vicibus venditus & duplicibus catenis ligatus fuisset, & ipse S. Iacobum inuocaret, Sanctus apparuit ei dicens: Quoniam in Ecclesia mea postposita salute animæ liberationem tantum corporis postulasti, ideo in hæc pericula incidisti: sed quia Deus misericors ęst, misit me vt te redimam, statimque ruptis catenis per terras Sarracenorum, partem catenæ in testimonium huius miraculi ferens, in terram suam cunctis stupentibus rediit. Cum enim quis eum capere vellet, visa catena territus fugiebat. *In aurea legenda de Sancto Iacobo.*

S. Monialis quædam grauiter laborans, ac in tibia grauiter percussa, sic orauit: Mi Domine non sum ego digna orare te, sed rogo dominum meum S. Dominicum vt sit mediator inter me & te. Cum ergo diu cum lachrymis orasset, in extasi facta vidit S. Dominicum ante lectum eius stantem, sibique dicentem. Quare tantum sanari desideras. Et illa: Vt possim Deo seruire deuotius. Tunc ille vnguento quodam tibiam eius inunxit, & sanata est. *In aurea legenda de sancto Dominico.*

T. Quadam vice dum S. Bernardus iumento insidens aliquo pergeret, cuidam rustico sic se offerente multum de cordis instabilitate in oratione conquestus est. Quod ille audiens mox eum despexit, & in omnibus cor firmum, & stabile se habere dixit. Volens autem Bernardus eum vincere dixit: Sequestra te paulisper à nobis, & tota qua poteris intentione orationem dominicam inchoa, quam si fine cordis aliqua euagatione finire poteris, iumentum meum procul dubio habebis. Tu autem fide tua mihi spondeas quod si aliqua ibidem cogitaueris, non mihi cælabis. Lætatur ille, & quasi iumentum iam lucratum se putans, audacter secessit, & seipsum recolligens dicere incæpit. Vix orationis impleuit dimidiũ. Et ecce importuna cogitatio cordi se ingerit, vtrum sellam debeat habere cum iumento. Quod ille audiens contritus ad Bernardum rediit, & ei

indicauit, & de se temere vt prius non præsumpsit. *In aurea legenda de sancto Bernardo.*

V. Miles quidam defunctus alteri militi viuo apparuit, à quo interrogatus de statu suo dixit. Varijs pœnis affligor, sed orationes facias fieri pro me. Quærenti autem illi an à tali Sacerdote, vellet illas orationes fieri, ille nihil respondens more renuentis caput excussit. Deinde quærens an ab illo Eremita vellet eas fieri, respondit. Vtinam ille pro me oraret. Quod cum facturum se promitteret ille subiunxit: Et ego dico tibi quod ab isto die vsque ad duos annos tu etiam morieris, sicque disparuit, & miles in melius vita mutata in Domino obdormiuit. *In aurea legenda de commemoratione fidelium.*

X. Quidam, quem S. Thomas martyr multum dilexerat, cum grauiter infirmaretur, iuit ad eius tumulum, & pro sanitate rogauit, & impetrauit. Sed dum sanatus rediret, cæpit cogitare quod illa salus animæ suæ forsan non expediret, vnde rediens iterum orauit, vt si non esset vtile animæ suæ, continuo infirmitas rediret, & statim illa redijt. *In legenda sancti Thomæ.*

ORDO.

A. ANtiquum hostem de Clerico quodam Aquinẽsis Ecclesiæ obsesso expulit S. Benedictus, cui sanato præcepit, dicens: Vade, & posthac carnem non comedas. Ad sacrum vero ordinem nunquam accedere præsumas. Quacunque die sacrum ordinem temerare præsumpseris, statim iuri diaboli mancipaberis. Discessit ille sanus, & sicut terrere solet animum pœna recens, ea quæ ille præceperat, interim custodiuit. Cum vero post multos annos, omnes priores illius de hac luce migrassent, & Iuniores sibi superponi in sacris ordinibus cerneret, verba Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit, & ad sacrum ordinem accessit, quem mox, is qui reliquerat diabolus, tenuit, eumque vexare non cessauit, donec animam excuteret. *Gregorius in Dialogis libro secundo, capite decimo-sexto.*

Dicebat de Abbate Theodoro, quia cum factus esset Diaconus in Scythi, non acquiescebat ministrare, sed huc & illuc fugiebat, & iterum senes adducebant eum dicentes. Ne derelinquas ministerium tuum. Dixit autem eis: Dimittite me, & precor Deum, & si ostenderit mihi quia debeo stare in huius ministerij loco, faciam, & dum deprecaretur Deum dicebat. Si voluntas tua est Domine vt stem in ministerio tuo demonstra mihi. Et ostensa est ei columna ignis de terra vsque ad cælum, & vox sonuit dicẽs: Si potes fieri sicut columna hæc, ministra. Ille audiens statuit apud se non acquiescere ministrare. Qui cum venisset ad Ecclesiam pænitentiam egerunt apud eum fratres dicentes: Si non vis ministrare, vel calicem tene, & non acquieuit dicẽs: Si non dimittitis me, discedam de loco isto. Et ita dimiserunt eum. *In vitis Patrum libro decimo-quinto, capite tertio.* B.

Item, vide Sacerdotium.

ORIGENES.

A. AThanasius defensor Nicæni concilij, libris proprijs contra Arianos voce clara testem suæ fidei Origenem vocat, illius libros cõiungens suis, & dicens: Mirabilis & laboriosissimus Origenes hoc de filio Dei

testimonium nobis perhibens ait, coæternum eum asseuerans patri. Ignorant ergo semetipsos derogatores Origenis, & laudatori eius Athanasio blasphemantes.

In historia tripartita libro 10. cap. 11.

B. In tãtum ardorem subeundi martyrij puerulus exarserat, vt sponte se periculis ingereret, quod adipisci omnino potuisset, nisi quod dispensatione Dei ad vtilitatem Ecclesię fuerit seruatus per sollicitudinem matris quæ gloriosę mortis eius desideria impediuit. Etenim cum prorumpere eum ad agonum certamina præsensisset, nocte dormientis cubiculum ingressa, omnia eius indumenta quibus in publicum procedi poterat, subtraxit, vt per hoc domi residere cogeretur. Illę ob hoc epistolam scribit ad Patrem, qui pro fide tenebatur in vinculis, se quidem maternis artibus retineri, sed illum debere tenere quod cępit, & addidit. Vide Pater, ne propter nos aliud velis. Vt vero pater martyr factus est, ipse cum matre & sex puerulis fratribus decimum septimum agens annum, in summa facultatum penuria est derelictus, quoniam census paternus fisco sociatus est.

In historia tripartita libro sexto, capite secundo.

C. Dum verbum Dei docet palam, tam viros quam fæminas instituens, omnemque occasionem turpis maledicti gratia vult infidelibus tollere, quoddam minus perfecti sensus exercet in suo corpore, sed feruentis fidei & nimię castitatis indicium. Nam illud Euangelicum attendens, sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnũ Dei, mox in se adimpleuit.

In Ecclesiastica historia libro sexto, capite sexto.

Matt. 19.

D. Illud pręclarum fertur de eo, quod nunquam permisit ea quæ in ecclesijs differebat, à notarijs excipi, nisi quando iam sexagesimum ætatis agens annum, vsu & labore multum fiduciæ in verbo Dei acceperat.

Ibidem libro sexto, capite vigesimo-sexto.

E. Plurimum admirari non sufficio, quod vir tam illustris deuolutus sit in nominatissimam hæresim, quod Seraphim in Isaia Spiritum sanctum esse exposuit, & in alio loco de penitẽtia diaboli, & de absolutione reproborum post mille annos &c. cum abstinentissimæ & castissimę vitę fuisse referatur, & tam purę doctrinę. Ego sanè de eo salua patrum fide dixerim quod vel hęc omnia non scripserit, sed ab hęreticis ob præclarum nomen eius obfuscandum sunt conficta & nomine suo prętitulata, vel si scripserit non statuit ex sententia, sed disseruit ex opinione. Compatiendum est tanto eruditionis viro, cuius vitia si qua sunt in scripturis potest eorum quę fideliter scripsit splendor exuperare, de quo à patribus dictum est, quia vbi bene scripsit nemo melius. Quod autem erratum est ab Origene opinor ex hoc ei accidisse, quod nimio lectionis studio Philosophos est amplexus, & quia de calice Babylonis bibit inaurato, coactus est de eius fęce in sacram scripturam transfundere. Ex quo valdę cauendum est Ecclesiasticis viris ne philosophicis institutis nimis dent operam. Non hoc dicendo lectores artium damnamus & artes, nam & ipsę non inutiliter ad profundas quęstiones Theologię enodandas leguntur, verum quosdam reprehendimus qui libris gentilium tam familiariter adhęrent, & totos se immergunt, vt totum pęne vitę suę cursum consumant.

Lib. de principijs Hier. to. 2. ad Auitum epist. 59. August. lib. 21. de ciu. c. 17.

In speculo historiali libro duodecimo, capite

capite decimo.

F. Origenes melior in omnibus bonis, peior in malis.

Hieronymus in epistola ad Desiderium.

G. Non solum in verbo erat Origeni perfecta doctrina, sed & in opere cõsummatę disciplinę prębebat exẽpla: de quo ferebatur: Hic est qui quale habet verbum, talem habet vitam, quia quę docet agit, & quę agit, hęc docet.

In Ecclesiastica histor. libro sexto, capite tertio.

H. *Alexandrino.* Iniuncto sibi à Demetrio Episcopo, magisterij officio, scholam grammaticam negligere cępit, magis se verbo Dei conferens. Vtitur sanè consilio virili, bibliothecam gentilium librorum tradit cuidam fideli Amico, pactus cum eo quatuor sibi obolos ex eius pretio per singulos dies inferri, quo, scilicet nec grauis esset cuiquã, nec cõgregatam pecuniam domi seruare videretur.

Ibid. cap. 4.

I. Erat ei mos iste, vt si quis nostrorum Adolescentum ingeniosos videret, traderet eis ea quibus philosophi velut primis elementis discentes imbuere solent. Multos etiam Idiotas ad discendum cohortabatur, dicens: Non parum ad intelligentiam scripturarum emolumenti eis conferri, si aut in liberalibus literis, aut philosophis exercerentur.

Ibidem capite 15.

K. Heresim Elcesaitarum statim restinxit. Asserunt isti quod in persecutionibus, si quis negauerit, nil criminis habeat, pro eo quod is qui fixus est in corde suo, etiam si ore negauerit pro necessitate, corde tamen in fide permaneat.

Eodem libro capite 28.

Ornatus.

A. In Ecclesiá quadam Moguntię sacerdos Curatus mulierem quandam ornatam variè ante ostium Ecclesię videns, in cuius vestium cauda multitudinem dęmonum qui erant nigri vt Aethiopes, parui vt glires, ore cachinnãtes, & saltantes conspexit, eamque ibi manere iussit, populum aduocauit, dęmones ne fugerent, adiurauit, & vt populus hęc videret, precibus impetrauit. Videns ergo hęc mulier vestem mutauit, & tam ipsi quam alijs, visio hęc facta est occasio humilitatis.

Cęsarius miraculorum lib. 5. cap. 7.

B. Audiui virginem innocentem quam remordebat conscientia quod habebat vestem alterius coloris quam naturalis allegantem contra se quod ouis quę nunquam peccauerat contenta fuerit naturali colore, ipsa vero quę peccauerat pretiosiore colore vteretur.

Gulielmus Lugdun.

C. Narrat Guilielmus Parisiẽsis quod quędã mulier quę tingendis & ornãdis crinibus dum viueret intenta erat, apparuit post mortem cuidam pectinans crines & ornans. Cui dixit quod illa pectinatio fuit intolerabilis cruciatus & quod pecten immensitate põderis eam grauabat & deprimebat, qua apparitione placuit Deo insinuare quam periculosa sit curiosa studiositas in vestibus.

Ioannes Galensis.

D. Maxima ornamenta esse matronis liberos, apud Põponiũ Rufum collectorẽ librorũ sic inuenimus. Cornelia Gracchorum mater, cum Cãpana matrona apud eam hospitata, ornamenta ei pulcherrima illius sęculi ostenderet, traxit eam sermone quousque è schola redirent liberi, & hęc, inquit, ornamenta sunt mea.

Valerius Max. libro 4. cap. 4.

E. Legitur de quodam sancto quod vidit dæmonem ridentem. & quæsiuit ab eo quare rideret? qui dixit. Vidi socium meum æquitantem super caudam cuiusdam mulieris quæ dum traheret caudam cecidit socius meus in lutum & inde risi.

Guilielmus Lugdunensis in summa vitiorum in tractatu superbiæ rubrica 43.
Item, vide Bernardus. i. Brachmanni. a.

OSTENTATIO.

A. CVlpabat S. Apollonius eos qui comam capitis nutriunt, vel ferrum in collo circumferunt. Certum est enim, inquit, quod ostentationis causa hæc faciant, cum mandatum sit etiam ieiunia ipsa in occulto celebranda.

In vitis Patrum, in vita S. Apollonij.
Item, vide Bernardus. f. Didymus. b.

PALMA.

A. REm mirandam Aristoteles & Plutarchus dicunt, si super palmæ lignum magna pondera imponas, non deorsum redit, sed aduersus pondus resurgit: Propterea placuit eam signum esse victoriæ.

Ioannes Saresb. in Polycratico libro quinto, capite sexto. Aristot. 7. Problem. Plut. 7. Sympos. Agellius noct. Attic. libro 3. capite sexto.

PAPA.

A. GOthorum tempore, dum S. Ioannes Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ad Iustinianum Iuniorem Principem pergeret in Corynthi partibus aduenit: cui necesse fuit vt in itinere ad sedendum equus requiri debuisset, quod illic quidam nobilis audiens, equum quem pro mansuetudine eius coniunx sedere consueuerat, ita ei obtulit; vt eo ad loca alia perueniente, cum aptus equus potuisset inueniri, deberet ille quem dederat, remitti. Cumque remissum illa ex more sedere vellet, non valuit, quia post sessionem tanti Pontificis, mulierem ferre recusauit. Quod vir prudenter intuitus, hunc remisit, petens vt equum ipse possideret, quem iuri suo sedendo dedicasset.

Gregorius in Dialogis libro tertio, capite secundo.

B. Marcellinus Papa, cum iussu Diocletiani, & Maximiani ad sacrificantum cogeretur, duo grana incensi posuit. Tunc fideles eum redarguunt. Quod ille cernens, in concilio Episcoporum se supposuit iudicandum. Ad quem illi, absit vt summus Pontifex ab aliquo iudicetur; tu te proprio ore iudica. Ipse autem pænitens seipsum deposuit, sed tamen omnis turba eum iterum reelegit. Quod audientes Cæsares iterum eum capi faciunt. Cum autē decapitari deberet, se Christiana sepultura indignū esse asseruit, & qui se sepelire auderent, excommunicauit. Quare corpus eius triginta quinque diebus insepultum remansit. Post hæc S. Petrus Marcello successori apparuit dicens: Marcelle quare non sepelis me? Me insepultum reputo quamdiu Marcellinum insepultum video. Vade & ipsum ad pedes meos sepelias, qui statim iussa compleuit.

In aurea legenda de eodem. Pontificale Damasi. Concilium Sinuessanum. Nicolaus 1. epistola ad Michaelem, Marcellini sacrificantis meminere. Vide censuram Card. Baronij ad annum 702. vbi Marcellinum ab hoc crimine purgat.

C. Papa Sergius primo os porci dictus est. Ab illo tempore ordinatum est vt omnes Papæ nomina mutent, tum quia Dominus his quos elegit Apostolos, nomē mutauit, tum quia sicut mutan-

mutantur in nomine, mutentur in vitæ perfectione, tum ne ille qui ad tam decorum officium eligitur, indecoro nomine turpetur.

In aurea legenda ex Platina in Sergio secundo. Ea quæ Platina ex Martino tradit, nempe Sergium secundum primum fuisse qui nomen mutauerit, apud neminem veterum auctorum inuenisse se fatetur Onuphrius: imo ex Anastasio bibliothecario qui tum floruit, contrarium magis elicitur, eum scilicet etiam ante Pontificatum Sergium esse vocatum. Fortè Sergij prænomen semper habuit, os porci verò cognomen: & Pontifex creatus cognomen, prænomine tantum retento omisit. Sed ista nec sic concinnata quadrant. Ioannem duodecimum ego, ait Onuphrius, primum inuenio, qui priscum nomen, Papa creatus mutarit, cum ante Pontificatum Octauianus appellaretur.

D. Anno imperij sui nono, Leo tertius cæpit sanctas imagines deponere, & incendere, quare Gregorius secundus eum redarguens, & incorrigibilem videns, tributa Romæ prohibuit & Italiæ, remouens ab obedientia illius.

Paulus Diaconus libro vigesimo-primo Romanæ historiæ. Sigebertus in Chronicis. Cedrenus Zonaras in vita Leonis Isaurici.

E. Innocentius Ottonem filium Ducis Saxoniæ Imperatorem coronauit, & vt iura Ecclesiæ seruaret, ab eo exegit iuramentum, qui contra iuramentum ipso die venit, & Romipetas expoliari fecit. Vnde Papa eum excommunicauit, & ab imperio deposuit.

Vincentius in specul. histor.

F. Vt pontificalis apex non vilescat, Constantinus tam palatium Lateranense, quam vrbis & Italiæ, seu Occidentalium regionum prouincias, loca & ciuitates Papæ Siluestro, eiusque successoribus decreuimus disponendum ac iure Romanæ Ecclesiæ permanendum.

In epistola Constantini. Card. Baron. asserit egregiè Donationem Constantini ad annum 724. & Card. Bellarminus tomo 1. lib 5. cap. 9. de Rom. Pont.

G. Damasus Papa accusatus adulterij, facta synodo, purgatus est à quadraginta quatuor Episcopis, qui damnauerunt Concordium & Calixtum diacones accusatores.

In libro Pont. & apud Sigebertum ad annum 787.

H. S. Antidius Besontinus Episcopus, aliquando feria tertia post palmas, vidit agmen dæmonum, gesta suo Principi referentium, & inter eos Aethiopem in manu sandalium præferentem, ad signum quod Romanum Præsulem, cuius hoc erat, per septem annos impugnatum, tandem ad lapsum traxerit. Qui vocans ad se Aethiopem, & in virtute Dei, & sanctæ Crucis super eum ascendens, eo vectante præcepit, vt eum Romam, sub manu Domini, velociter incolumem perferret, eo vectante, Romam venit feria quinta, hora celebrandi officij, & dæmone pre foribus expectante, Pape rem retulit, negantem per sandalium ad peniten- tiam mouit, & missa vice eius celebrata, & parte chrismatis à se consecrati assumpta, demone reuectante, ad Ecclesiam suam redijt sabbatho sancto.

Iuxta priscos scriptores legendum Vesontiensis.

Sigebertus in Chronicis ad annum 411.

In gestis sancti Antidij. Ioannes Paulin. cœnobita Cluniacensis ser. feriæ quintæ post Dominicam tertiam quadragesimæ, dicit, omnem abesse magicæ artis suspicionem ab hoc S. Antidij facto, quia sancti vti possunt aliquando dæmonis opera, illi imperando, iuxta potestatem sibi traditam à Christo dicente. Lucæ 10. Ecce dedi vobis potestatem super omnem virtutem inimici. Sic D. Dominicus coegit dæmonem candelam tenere, donec horarium pensum persoluisset. Malefici porro dia-

diaboli famulitio abutuntur, eum inuocando eique sese subijciēdo. Itaque aliud longè est vti opera dæmonis more sanctorum, & aliud abuti more Magorum.

I. Stephanus secundus ad expetendum Pipini Regis auxilium contra Longobardos in Frāciam venit. Porro ille vt eum venientem audiuit, per tria miliaria de equo suo descendens humiliter vice stratoris terræ prostratus cum coniuge & filijs eum vsque ad palatium deduxit.

In speculo historiali Vincentij & Sigebert. ad annum 752. Anastasius bibliothecarius & Platina in Stephano secundo.

K. Gregorius sextus apostolatus Romani statum per incuriam Antecessorum ita diminutum inuenit, vt præter pauca oppida & vrbi vicina & oblationes fideliū, nihil haberet quo se sustentaret. In ipsa vrbe in medio foro vagabantur sicarij. Super Apostolorum & martyrum corpora & altaria gladij nudabantur &c. Tantis malis ille primo leuiter, vt Pōtificem decet, cępit occurrere. Mandat vrbanus vt à peregrinorum infestatione cessarent, & à rapina sacrorum inuasorum ecclesiastici patrimonij mandatis & epistolis inuitauit. Talia & multa alia concionatus nihil aut parum profecit. Tunc excommunicauit omnes illos qui aut talia agerent aut agentibus participarent. Illi furere nimis, muros vrbis armis circumsonare cęperunt, adeo vt pęne Papam occiderent. Tunc arma & equos vndequaque cōquisiuit, milites & equites armauit ac Ecclesiam S. Petri. Occisis itaque sibi resistentibus prędia multo tempore amissa in antiquum ius restituit.

In Chronico Martini Poloni.

L. In partibus Babyloniæ habebat possessionem sedes Apostolica, vnde tantum balsami redditum annuatim capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi ante altare S. Petri. Hanc possessionem accepta pecunia distraxit Papa, & canonem aromatis, quem accipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem Papa ante altare astaret, ecce terribilis senex colaphum vehementer illi incussit, & ait: Tu extinxisti lucernam meam ante me, & ego extinguo lucernam tuam ante Deum. Protinus ille corruit, & paulo post obijt.

Petrus Damiani libro primo epist. 20. ad Cadoloum Antipapam.

Dominum Adrianum Papam, certum est tantas in ea sede miserias inuenisse, vt facta collatione præcedentium, tota præcedens amaritudo vita feliciſſima fuerit. Spinosam dico cathedram Romanam, mantellum acutis consertum aculeis, coronam & phrygium, clara meritò videri, quia ignea sunt: dicebat se nunquam à natali solo Angliæ malle exisse, aut in claustro S. Rufi perpetuo latuisse, quā tantas intrasse angustias. In incude & malleo, inquit, semper dilatauit me Dominus. Nonne ergo miser est, qui pro tanta pugnat miseria? M.

Ioannes Salesberiensis in Polycratico libro octauo, capite 23.

Item, vide Cubicularius. a. Damnatus. c. Detractio k. Ecclesia. b. Episcopus. a. Humilitas. a. Linus. a. Mulier. g. Simonia. a.

PARENTES.

QVidam beato Andreę dixit. Secretius mater mea pulchrum me videns de opere illicito me tentauit. Cui cum non cōsentire vellem, Iudicem adijt volens in me crimen tantę nequitię retorquere, sed ora pro me ne moriar tam iniustè. Nā accusatus penitus tacebo malens vitam perdere quam meam taliter infamare. Deinde narratur qualiter per eum fuerit liberatus à morte. A.

In aurea legenda.

Teutho-

B. Teuthonicis quibusdam, patre & filio, vt ait Calixtus Papa, ad S. Iacobum pergentibus, in vrbe Tolosa, ab hospite suo falsè super furto scyphi accusatis, data est à Iudice sententia, vt vnus eorum suspendi deberet. Sed cum pater pro filio, & filius pro patre mori vellet, filius tandem suspenditur, & pater ad Sanctum mærens progreditur. Deinde narratur, qualiter filius fuerit per S. Iacobum cælesti dulcedine sustentatus, & liberatus à morte.

De sancto Iacobo Zebedæi.

C. Cum quendam scholarem Parisijs vestibus pretiosis indutum, & multū à socijs honoratum visitasset pater suus in vili habitu, timens scholaris ne socij ideo eum contemnerent, rogauit patrem vt nullo modo indicaret eis, & simulans eum esse de seruientibus patris, fecit eum comedere cum garcionibus. Finito prandio scholaris duxit eum in cameram secreto quærens ab eo si aliquam pecuniam attulisset. Cum autem denarios pater quos attulerat ostendisset, asseruit quod nec vnum de illis haberet, & ait: Tu negasti me fili, & ego nego te sic quod nunquam comedes vel bibes de aliquo quod de cætero tibi mittam.

Gulielmus Lugdunensis.

D. Dicitur de grue quod quando parentes eius depilati sunt, filij quærūt eis necessaria donec habeant pilos vel moriantur, sicut & de ciconijs refert *Solinus.*

E. Refertur quod quidam senex totam hæreditatem suam diuisit filio suo. Ille vero primo benignè se habuit erga patrem, post expulit eum à thalamo suo, & locum sibi fecit fieri post ostium, & cum hiems esset quia filius sibi abstulisset bona coopertoria, rogauit filium filij vt patrem rogaret vt daret ei aliquid ad tegendum se, puer autem vix potuit obtinere duas vlnas burelli ad opus aui sui, & cum duæ aliæ remanerent patri pueri, puer flendo rogauit eum vt sibi eas daret, qui fletibus victus dedit quærens quid inde faceret, dixit: Seruabo eas quousque sis talis qualis est pater tuus, nec dabo tibi amplius sicut nec tu vis modo dare patri tuo.

Vbi supra. Gulielmus Lugd.

F. Fuit quidam vxoratus & ex vxore habens filios iuxta suam opinionem. Cui vxor eius cum quadam die litigaret, obiecit quod ipse credebat habere tres filios, sed vnus tantum erat suus, quis tamen illorum esset noluit ei dicere. Cum autem infirmaretur ad mortem, vxore mortua ipse condens testamentum dimisit omnia illi qui filius eius erat. Quo defuncto illi tres contendebant cuius esset hæreditas, qua contentione delata ad Iudicem, Iudex præcepit vt pater mortuus alligaretur ad arborem & qui directius sagittam in eum mitteret, hæreditatem haberet. Duo autem ex illis sagittauerunt Patrem. Tertius offensus est contra alios dicens quod nullo modo patrem sagittaret, ex quo cognitum est quod erat filius eius, & data est ei hæreditas.

Vbi supra. Diodorus Siculus lib. 20. Simile refert de filijs Ariopharnis Thracum regis de paterno regno contendentibus.

G. Mithridates non cum fratre de paterno regno, sed cum ipso patre bellum de dominatione gessit. In quo quis aut homines vllos adiutores inuenit, aut deos inuocare ausus sit, præ admiratione hæreo.

Valerius libro nono capite 11. Dionys. libro septuagesimo-septimo. Orosius Eutropius de Pharnace filio Mithridatis.

H. Decem fratres quorum septem sunt mares & tres fœminæ de Cæsarea Cappadociæ maledicto matris

recenti patris eorum obitu destitutæ tali sunt; pæna diuinitus coerciti ob iniuriam sibi ab eis factã, vt horribili quaterentur tremore membrorum, in qua fædissima specie, oculos suorum Ciuium non ferentes, toto pæne vagabantur orbe.

Augustinus de ciuitate Dei libro vigesimo-secundo, capite octauo.

I. Tarquinius Rex M. Duumvirum, quod librum secreta ciuilium sacrorum continentem sibi commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abijci fecit, idque supplicij genus multo post Parricidis lege irrogatum est.

Valerius libro primo capite primo. Dionys. libr. 4. M. Attilium vocat. Sed Patricius esse debet, eodem teste.

K. Coriolanus optimè de Republica meritus, iniquè damnatus, ad Wolscos tunc infestos Romanis confugit. Et euenit vt quem Ciues salutarem Imperatorem habere noluerant, pestiferum contra se ducem experirentur. Fusis exercitibus nostris Wolsco militi iuxta mænia vrbis, aditum struxit. Missi ad eum deprecandum Legati, nihil profecerunt. Missi sacerdotes cum infulis: Stupebat senatus, trepidabat populus. Tunc Vecturia Coriolani mater, Volumniam vxorem eius, & liberos secum trahens castra petijt, quam vbi Coriolanus aspexit. Expugnasti, inquit, & vicisti iram meam patria, admotis huius precibus, cuius vtero te, quamuis merito mihi inuisam, dono. Continuoque agrum Romanum hostibus liberauit.

Idem libro quinto capite quarto. Liuius 2. Plutarch. Dionys. 8.

L. Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud tribunal suum, capitali crimine damnatam, Triumviro in carcere necandam tradidit. Quam receptam, custos carceris misericordia motus, non protinus strangulauit, aditumque ad eam filiæ sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit, futurum putans vt fame consumeretur. Cum autem plures dies interciderent, secum ipse mirans, quidnam esset, quo tam diu sustentaretur, curiosius obseruata filia, animaduertit illam exerto vbere famem matris, lactis sui subsidio lenientem. Quæ tam admirabilis spectaculi nouitas, ab ipso ad Triumvirum, à Triumviro ad Prætorem, à Prætore ad consilium Iudicum perlata, remissionem pænæ mulieri impetrauit.

Ibidem Valer. Plin. lib. 7. cap. 76.

Dario regni sui viribus in Scytharum regiones impetum facienti, paulatim cedentes ad vltimas iam solitudines peruenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem finem fugiendi, quodue initium pugnandi facturi essent, responderunt, se nec vrbes vllas, nec agros cultos habere: Cæterum cum ad parentum suorum monumenta venissent, sciturũ quomodo Scythæ præliari solẽt, quo quidem vno tam pio dicto, immanis gens ab omni se feritatis discrimine redemit. Quis plaustris vagos, & corpora latebris tegentes, in modumque ferarum laniatu pecudum viuentes, sic Dario respondere docuit? Illa, scil. rerum natura, quæ & Cræsi filium, loquendi vsu defectum, ad protegẽdum patris incolumitatem ministerio vocis instruxit. Captis enim à Cyro Sardibus, cum vnus ex numero Persarũ, ignarus viri, in cædem eius impetu ferretur, oblitus quid sibi fortuna nascenti denegasset, ne Cræsum occideret, proclamando, pænè impressum iugulo mucronem reuocauit. M. Hero. l. 4. Hero. l. 1.

Ibidem Valer. Agel. 5. cap. 9.

Seleuci filius Antiochus nouercæ amore correptus, pectoris vulnus N.

pia

pia dissimulatione contegebat. Itaque diuersi affectus iisdem visceribus inclusi, cupiditas & pudor, ad vltimam tabem corpus eius redegerant. Iacebat in lecto moribundo similis. Sed hanc tristitiæ nubem. Leptinis Mathematici, vel (vt quidam aiunt) Erasistrati medici prouidentia discussit. Iuxta enim Antiochum sedens, vt eum ad introitū Stratonices rubore suffundi, eaque egrediente pallere, ad ipsam veritatem penetrauit. Intrante enim Stratonice & rursus abeunte, brachiū adolescentis dissimulanter apprehendendo, modo languidiore, modo vegetiore venarum pulsu cōperit cuius morbi æger esset, protinusq; id Seleuco exposuit, qui carissimam sibi côiugem filio cedere non dubitauit.

Valerius libro quinto, cap. 5. Appia. Syriaca. Plut in Demetrio.

O. Quidam cum à filio insidias necti sibi comperisset, nec inducere in animum posset, vt verum sanguinem ad hoc scelus progressum crederet, seductam vxorem suspicans, rogauit ne se vlterius cælaret, sed diceret siue illum Adolescentem subiecisset, siue ex alio concepisset. Asseueratione deinde eius & iureiurando, se nil tale debere suspicari persuasus, in locum desertum filio perducto, gladium quē secum occultum tulerat, tradidit ac iugulum feriendum obtulit. Quo facto, magno impetu recta cogitatio pectus Iuuenis occupauit, abiectoque gladio. Tu vero viue, inquit, Pater: Tantum quæso ne meus erga te amor eo sit tibi vilior, quod à pœnitentia oritur.

Idem Valerius lib. 5. cap. 7.

P. Quidam interrogatus cur Patrem percusserat, respondit quod ille percussit patrem suum, & ille percussit superiorem patrem suum, & puerum suum ostendens ait, & iste me percutiet.

Aristot. 7. Ethicorum 8.

Item, vide Abstinentia. a. d. Filius. i. Ingratitudo. g. Mater. Pater. Puer. a.

PARISIVS.

A. ALcuinus Magister Caroli Magni, multa scripsit, inter quæ eminēt libri de Trinitate, Sapientiæ studium de Roma Parisios transtulit, quod illuc de Græcia translatum fuerat. Fuerunt Parisius fundatores huius studij, quatuor monachi Bedæ discipuli, Rabanus, Alcuinus, Claudius, & Ioannes Scotus. *Et infra.* Legitur quod Alcuinus de natione Anglorum, audito quod Carolus gratāter studiosos susciperet, venit ad eum cum socijs, quem Rex vsque ad finem vitæ secum retinuit, nisi cum ad bella processit, deditque ei Abbatiam S. Martini, vt quando esset absens, ibi requiesceret, & ad se confluentes doceret.

Vincentius in speculo hist. libro vigesimoquarto, cap. 103. Sigeb. ad annum 790. Vide Arnoldum Vuion ligni vitæ libro quinto, capite 92.

B. Circa annum Domini 1209. florebat studium literarum Parisius, illuc de toto orbe vndique scholaribus confluentibus.

Ibidem libro 30. cap. 107.

PARCIMONIA.

Vide Abstinentia. Brachmani. a.

PARTVS.

A. EThelcleda filia Ethelredi Regis Angliæ, experta primi partus difficultatem, perpetuo à viro abstinuit, protestans non conuenire Regis filiæ, vt tanto periculo se committeret.

Vincentius in specul. histor. libro vigesimoquinto, capite 52. Gulielmus Malmesb. de gestis Anglorum, Regum Anglorum,

libro secundo, capite quinto.
Item, vide Coniugium. c. Margareta. a. Maria. m.

PARVIFICENTIA.

A. Dicebat quidam senum, quia est quidam faciens multa bona, & diabolus immittit ei scrupulositatem pro paruis rebus. Veniente enim me aliquando in Oxirintho ad quendam senem, qui multas faciebat eleemosynas, venit vidua postulans ab eo modicum tritici, & dixit: Vade & affer modium, & mensuro tibi. Ille mensurans modium, dixit ei: Maior est. Et facta est viduæ verecundia. Cum vero discessisset, dixi: Abba mutuasti viduæ hoc triticum, aut quid? At ille dixit: Non, sed donaui. Ego vero dixi: Ergo si totũ gratis dedisti, quomodo in modico sic voluisti scrupulosus esse & fecisti verecundiam viduæ?
In vitis Patrum lib. 13. parte 2.

PASSIO.

A. Videtur mihi in hoc, vbi quæritur, vtrum accidant sapienti passiones animi, an ab eis sit prorsus alienus, de verbis Stoicos potius, quam de rebus facere controuersiam, nam & ipsos, nihil hinc aliud quam Platonicos & Peripateticos sentire existimo, quantum ad vim rerum attinet, non ad sonum vocabulorum. In libris noctium Atticarũ, scribit Agellius se nauigasse aliquando cum quodam Stoico. Is cum illud nauigium horribiliter iactaretur, vi timoris expalluit. Id animaduersum est ab eis qui aderant, quamuis in mortis vicinia curiosissime intentis, verum nec-ne Philosophus animo turbaretur. Deinde tempestate transacta, quidam ex socijs diues Asiaticus, philosophum illudens cõpellat, quod extimuisset, cum ipse mansisset intrepidus. At ille Aristippi Socratici responsum retulit, qui cum in re simili eadem verba ab homine simili audisset, respondit illum pro anima nequissimi nebulonis merito non fuisse sollicitum, se autem pro Aristippi anima timere debuisse. Postea quæsiuit Agellius, quænam illa esset ratio pauoris, ille statim protulit Stoici Epicteti librum, in quo ea scripta essent quæ congruerent decretis Zenonis & Chrysippi. Agellius in eo libro se legisse dicit, hoc Stoicis placuisse, quod animi visa, quas vocant phantasias, nec in potestate sunt, vtrum & quando incidant, cum veniãt ex formidabilibus rebus &c. *Hoc Aristippus dixit, cũ nauigaret Corinthum. Laertius in vita.*
Augustinum consule de ciuitate Dei libro nono, capite quarto. Tullius libro tertio de finibus & q. Tuscula.

PASTOR.

A. Vidimus anno Domini 1251. inaudita rabie, pastorum multitudinem, de diuersis regionibus congregatam, qui sub crucis titulo, per quosdam flagitiosos ad tantam perniciem sunt inducti, vt in multis partibus Galliæ villas & populos destruere conarentur, in tantum vt hoc Parisius & Aurelianus, occisis plurimis Clericis attentarent, & hi authore Deo diuersis locis & pœnis perierunt.
Cantipratanus libro secundo de apibus, capite septimo. Mezerus in Flandriæ annalibus ad hunc annum 506. Pastorellos appellat. Antoninus parte tertia, Chronic. titul. decimo-nono, capite nono. Nauclerus generat. 12. Robertus Gaguinus libro 7. de gestis Francorum.

PATER.

A. CVm Taurus Stoicus floreret Athenis, Princeps Cretę, assumpto patre suo, priuato venit ad eum. Taurus autem inuitauit primo patrem vt sederet. At ille ait de filio, sedeat. Hic primo, qui Romani populi magistratus est absque preiudicio, inquit Taurus: Tunc interim sede, donec quęramus quid conueniat, te sedere qui pater es, an filium tuum qui Cretę obtinet magistratum. Cumque ille sedisset est apposita altera sella filio. Tunc Taurus astantibus fecit verbum de hac re, dicens: In publicis rebus, patrum iura causa filiorum qui sunt in magistratu potestate collata, paululum quiescere debent, sed cum extra Rempublicam in domestica vita sedetur, aut in conuiuio, tunc inter patrem priuatum & filium honores publicos cessare, naturales vero obseruari æquum est.

Helinandus in Chronicis. Vide Valer. Max. libro secundo, capite secundo.

B. Multa legimus quę ad paternæ reuerentiæ obseruantiam exhortantur. Philippus primus inter Imperatores fidelis, Philippum filium habuit, qui in apicem sublimem euectus sibi gloriæ ascribebat, quod patrem haberet superstitem, cuius imperijs obediebat. Hermes Anathoclei Regis filius, cum pater eius ageret in extremis, & à populo postularetur in Regem, respondit, se regni officium non debere pręsumere, quamdiu pater viuere speraretur. Decius Imperator, cum filium diademate proponeret insignire, renuit filius dicens: vereor, ne si fiam Imperator, dediscam esse filius. Valerianus Imperator, quia Patrem suum quadam die atrociter verberauit, à Sapore Rege captus apud eum ignominiose consenuit.

Aurel. Victor in Valeriano.

De quibus & multis alijs. Vide Petrum Blesensem in quadam epistola.

Hunc Philippum vna cum filio verè Christianum fuisse testantur Euseb. libro sexto histor. Ecclesiast. cap. 27. Vincent. Lerin. cap. 27. Orosius libro septimo histo. Cassiodorus in Chronic. Zonaras, Cedrenus, Nicephorus & recentiores omnes. Elogia filiorum Philippi, Deciani, hic à Blesensi producta in nullo auctore probato extare, obseruat P. Baseus annotationib. in epist. 47. Blesensis.

C. Antigonus cum superasset hostem, præmium belli transtulit ad patrem, & imperium illi Cypri tradidit.

Seneca libro tertio de beneficijs capite trigesimo-septimo, vbi multa huic affinia producit.

Item, vide Abb. u. a. Correctio. c. Filius. b. Iuuentus. c. Monachus h. Parentes.

PATIENTIA.

A. IN prouincia Sannij, Libertinus Fundensis præpositus, pro vtilitate monasterij carpebat iter: Cumque Darida Gothorum Rex, cũ exercitu in eodem loco venisset, Dei seruus ex caballo in quo sedebat, ab hominibus eius proiectus est, qui id ferens libenter, flagellum etiam diripientibus obtulit. Quibus dictis protinus orauit. Cursu autem rapido exercitus peruenit ad fluuium nomine Vulturnum, ibique equos suos cęperunt singuli hastis tundere, calcaribus cruentare, sed tamen moueri non poterant. Tunc vnus eorum dixit; quia ex culpa quam seruo Dei in via fecerant, illa sui itineris dispendia tolerabant: qui statim reuersi eum reperiunt orantem. Cui

Cui cum dicerent, surge, tolle caballum tuum. Ite, ego caballo opus non habeo, descendentes inuitum eum in caballum leuauerunt, & protinus abscesserunt, quorum equi tanto cursu quem prius transire non poterant, fluuium transiuerunt, ac si ille fluuij alueus aquam non haberet.

Gregorius in Dialogis libro primo, capite secundo.

B. Fuit vir Stephanus nomine, nihil in hoc mundo possidens, conuentus secularium fugiens, vacare orationi cupiens. Is cum quodam die messem quam sua manu seuerat, decisam ad aream deduxisset, quidam peruersus eandem messem incendit. Quod factum dum alter aspiceret, Dei famulo dixit, væ væ pater Stephane, quid tibi contigit? Cui ille placide respondit: Væ quid illi contigit, qui hoc fecit, nam mihi quid contigit? In quibus verbis ostenditur, in quo virtutis culmine sedebat, qui vnū quod habebat, tam secura mente perdebat.

Gregorius in Dialogis libro quarto, capite decimo-nono.

C. Quidam frater infirmus ex nimia abstinentia tussiens excreabat flegma, quod eo nolente venit super alium, qui cum à cogitatione sua compelleretur ei dicere quiesce iam, & non exscrees super me, vt superaret cogitationes suas, tulit quæ excreauerat, & comedit, & tunc cæpit ad seipsum dicere, aut non dicas fratri quod ipsum contristet, aut manduca quod horres.

In vitis Patrum libro quarto, parte vltima.

D. Narrauit quidam Patrum dicens, quia cum essem in Oxirintho, venerunt ibi pauperes in vespere Sabbathi, vt acciperent agapen, & dormiētibus eis, erat ibi quidam habens tantum mattam cuius medietatem sibi submittebat, & medietate cooperiebatur. Erat enim ibi frigus validum, & cum exisset ad vrinam audiui eum murmurantem & gementem de frigore & consolabatur seipsum dicens: Gratias tibi ago Domine, quanti sunt modo diuites in custodia qui nec vrinam suam liberè faciant, ego autem velut Imperator vbi volo ambulo. Hæc illo dicente ego stabam audiens. Ingrediens autem narraui Fratribus, & audientes valde ædificati sunt.

In vitis Patrum libro septimo, parte sexta.

Laudatus est quidam frater apud S. Anthonium, qui cum venisset ad eum, tentauit si portaret iniuriam, & cum cognouisset, quia non posset ferre, dixit ei: Similis es domui quæ in facie quidem est ornata, & de retro à latronibus spoliata. E.

In vitis Patrum libro octauo.

Venit quidam frater ad Abbatem Serapionem, & hortabatur eū senex, vt secundum morem oraret. Ille autem dixit se esse peccatorem, & monachi habitu indignum. Voluit & pedes eius lauare, & renuit. Fecit autem illum gustare, & cæpit eum in charitate monere dicens: Fili si vis proficere, permane in cella tua, & attēde tibi ipsi, & operi manuum tuarum, non enim tibi procedere expedit, quantū sedere. Ille hæc audiens ita exacerbatus est, vt nec senem latere posset. Dixit ergo ei. Vsque modo dicebas, peccator sum: & accusasti teipsum, tanquam indignum viuere; & quia te cū charitate monui, ita exarcerbari debuisti? quasi diceret, non si enim vis re vera humilis esse, quæ ab alio imponuntur disce portare, & non odiosa verba effundere tibi ipsi. Audiens hæc frater profecit pænitentiā agens. F.

Eodem libro parte secunda.

Dixit Abbas Daniel, quia erat in Babylonia filia cuiusdā primarij, dæmoniū habens. Pater vero eius amabat G.

bat quendam monachum, dixitque ei monachus: Nemo poteſt curare eam niſi quos ſcio ſolitarios, & ſi perrexeris ad eos non acquieſcent hoc facere ob humilitatem, ſed hoc faciamus, vt quando veniunt afferentes venalia, quæ operantur, dicite vos emere velle, & dicemus eis, vt faciant orationẽ & credo quod filia ſaluabitur. Exeuntes inuenerunt vnum diſcipulum ſenum ſedentem, vt venderet ſportellas ſuas, & tulerũt eum ſecum in domum, & cum intraſſet, venit puella & dedit alapam monacho illi. Ille autem conuertit ei & aliam maxillam, dæmon autem coactus clamauit. O violentia mãdatorum Chriſti, expellit me hinc, & ſtatim mundata eſt puella.

In vitis Patrum libro decimo-quinto, parte ſecunda.

H. Narrauit de ſeipſo Abbas Macarius dicens: Quando iuuenis ſedebam in cella in Aegypto, fecerunt me clericum, & cum acquieſcere nollem, fugi, & venit quidam ad me ſecularis, ſed vita religioſus, & tollebat à me opus quod faciebam & miniſtrabat neceſſaria. Contigit autem, vt tentante diabolo, virgo quædã in vico illo vitiata, cum in vtero habere cæpiſſet, interrogatur quis eſſet de quo in vtero haberet. Illa dixit: Quia hic ſolitarius is eſt qui mecũ dormiuit. Tunc illi comprehenderunt me, & appenderunt in collo cacabãtes, ollas, & anſas vaſorum, & miſerunt me circuiturũ in vico illo, per viam cædentes, atque dicentes. Hic monachus corrupit filiam noſtram, tollite eum, & cæciderunt me pæne vſque ad mortem. Superueniens autem quidam ſenum dixit: Quamdiu cæditis monachum illum? Ille autem, qui miniſtrare ſolebat, ſequebatur retrò cum pudore, & ipſum contumelijs multis affecerunt dicentes: Ecce cui teſtificabaris quid fecit. Et dixerunt parentes puellæ illius: Non dimittimus eum, donec fideiuſſorem præbeat quia paſcat eã. Et dixi illi qui miniſtrare mihi ſolebat, vt fideiuſſor fieret, & in fide ſuſcepit me, & reuerſus ſum ad cellam, & dedi ei quantas habui ſportellas dicens: Vende eas & da mulieri meæ manducare. Cum autem veniſſet tẽpus infælici illi vt pareret, traxit multos dies in dolore & non pariebat. Dicunt ergo ei: Quid eſt hoc? Et illa dixit: Ego ſcio quare diu torqueor, quia crimen illi monacho impoſui, ſed iuuenis talis hoc fecit. Audiens hæc miniſter ille gaudens venit ad me & mihi narrauit geſta. Ecce omnes vici venturi ſunt ad cellam tuã glorificaturi Deum. Ego audiens iſta ſurrexi, & fugi in Scythi, & hoc eſt principium cauſæ propter quam hic habitare cæpi.

Eodem libro parte tertia.

Paphnutius effoſſis pro Chriſto oculis ſub Maximiano plurimum gloriabatur. I.

Athanaſius in vita S. Anthonij.

Dixit ſenex. In omni tentatione non culpes hominem, ſed ad teipſum dicẽs, quia pro peccatis meis hæc mihi euenerunt. K.

In vitis Patrum.

Dicebant fratres de Abbate Gelaſio, quia habuit codicem valentem ſolidos decem & octo. Superueniens vero peregrinus quidam furatus eſt eum, & diſceſſit, vt venderet. Et cum inueniſſet emptorem cæpit is ſolidi, pretium ipſius expoſtulare. Ille volẽs comparare eum dixit: Da mihi primum vt oſtendam eum. Quem attulit ad Abbatem Gelaſium, vt probaret ſi bonus eſſet. Et dixit: Eme, bonus eſt, & valet pretium quod dixit. Ille veniens dixit vẽditori: Ecce oſtẽdi illum Abbati Gelaſio, quia non tantum valeret, quantum dixiſti. Ille L.

hoc

hoc audiens dixit: Nunquid aliud etiam dixit? Ille respondit. Nihil. Tũc dixit ei: Iam nolo vendere, & coram sene pęnitentiam agens, rogat vt recipere dignetur codicem.. Ille autem nolebat. Tunc dixit frater, si non recipis non possum esse securus. Tunc dixit: Ecce ego recipio. Et mansit apud eum, vsque ad exitum suum.

In vitis Patrum, libro decimo-sexto, parte prima.

M. Dicebant de Abbate Isidoro, quia si quis habuisset infirmum fratrem, aut pusillanimem, aut iniuriosum & volebat eũ expellere foras, dicebat: Adducite eum ad me. Et apprehendens eum patientia sua curabat animã fratris illius. *Ibidem.*

N. Abbas Macarius in Aegipto inuenit hominem, qui adduxerat animal, & rapiebat quę habebat. Ipse vero vt peregrinus astitit furi, & adiuuabat ad animal caricandum, & cũ omni quiete deduxit eum dicens in semetipso. Nihil intulimus in hunc mundum, sicut Deus voluit ita factum est.

Ibidem.

O. Dicebant de quodã monacho, quia quando aliquis eum iniurijs affecisset, tanto magis concurrebat ad eum dicens: Quia homines tales causa corrigendi fiunt, qui in conuersatione studiosi sunt, nam qui eos beatificant magis confundunt animas eorum.

Eodem libro parte secunda.

P. Venerunt aliquando latrones in monasterio cuiusdã senis, & dixerũt ei: Omnia quę in cella tua sunt, venimus tollere. At ille: Quod vobis videtur filij, tollite. Obliti sunt ibi saccellum quod erat absconditum. Senex sequutus eos est clamans. Filij tollite quod obliti estis. Illi mirantes patientiam senis, reuocarunt quę abstulerant, pænitentes & dicentes: Hic verè Dei homo est.

Ibidem.

Dicebant de quodam fratre cuidam seni, vicino, quia intraret vt raperet quidquid haberet senex. Videbat senex & non obiurgabat, sed dicebat: Credo opus habet frater iste, & exigebat à se maiorem solito laborẽ. Cum autem mori cępisset senex, circumsteterunt eum fratres, & respiciẽs in eum qui furabatur, dixit? Iunge te huc ad me, & osculatus est manus eius dicens: Gratias ago manibus istis fratres quia propter ipsas vado in regnum cęlorum. Ille autem pænitẽs factus est probatus monachus.

Eodem libro parte secunda.

Ascendente aliquando de Scythi Abbate Ioanne cum fratribus, errauit qui eis ducatum prębebat in via, erat enim nox. Et dixerunt fratres Abbati: Quid facimus Abba? Et dixit. Si dixerimus ei aliquid contristabitur, sed ecce faciam me quasi defunctum, & dicam me non posse ambulare, sed iacebo hic vsque mane. Et fecerũt sic. Sed & residui dixerunt: Nec nos ibimus sed sedebimus tecum, & sederũt vsque mane, ne obiurgarent fratrem illum. R.

In vitis Patrum libro decimo-septimo, parte prima.

Dicebant fratres Abbati Antonio. Volumus à te audire verbũ quo saluari possimus. Respondit: Audistis Dominum dicentem, si quis te percussit in vnam maxillam, præbe ei & aliam. Dicũt: Hoc non possumus implere, dicit eis: De vna saltem patiẽter ferte. Dixerunt: Nec hoc possumus. Dixit: Si neque hoc potestis, ne velitis percutere magis quam percuti. Dicũt ei: Nec hoc possumus. Tunc senior ait discipulo suo. Succos præpara istis fratribus, quia nimis infirmati sunt. Deinde dicit eis: Si nec hoc nec illud potestis, quid faciam vobis? Sola oratio est vobis necessaria. S.

In vitis Patrum, lib. 27. parte 2.

Dice-

T. Dicebat Abbas Ioannes quibusdam fratribus, quia fuerunt tres Philosophi amici, quorum vnus moriens alteri reliquit filium suum commendatum, qui in ætate iuuenili prouectus nutritoris sui adulterauit vxorem, quo scelere cognito missus est foras. Deinde cum plurimum pæniteret, non ei concessit regressum, sed ait illi: Vade & esto tribus annis inter damnatos, qui metalla in flumine deponunt. Quo post triennium redeunte ait ei: Vade alios tres annos, da mercedes vt iniurias patiaris, quod & fecit, & tunc dixit ei: Veni ergo nunc Athenas vt philosophiam discas. Erat autem ad portam vrbis senex quidam philosophus, qui intrantes contumelijs afficiebat. Iniuriauit ergo & iuuenem. Ille autem risit. Cui senex ait: Quid est quod iniuriatus rides? Dicit ille: Non vis rideam qui tribus annis vt iniurias paterer dedi mercedes. Et hodie eas gratis patior. Dixitque ei senex: Ascende & ingredere ciuitatem. *Ibid.*

V. Cum quidam Apollonius nomine vitam magnificam egisset, & diaconus factus est. Tempore ergo persecutionis erat ei studium singulos circuire, & cohortari ad martyriũ. Sed & ipse in carcerem missus, & quidam nomine Philemon Coraula multis cum fatigaret iniurijs, respondit ei Apollonius dicens: Misereatur tibi Dominus fili. Hoc cum audisset ille compunctus est in tantum vt Christianum se repentè fateretur. Deinde narratur, qualiter ambo subiere martyrium cum pluribus alijs. *In vitis Patrum.*

X. Narrauit Abbas Pyamon, quod religiosa quædam fæmina, quæ patientiam ita sectata est, vt non solum tentationum non vitaret incursus, sed & occasiones molestiarum sibi procuraret. Hæc cum Alexandriæ moraretur non obscuris orta maioribus, beatæ memoriæ Athanasium rogauit, vt aliquando sibi alendam viduam daret, quæ ex ecclesiasticis sumptibus pascebatur. Postea narratur qualiter data sibi quadam modesta & benigna vidua, aliam sibi dari quæsiuit, quæ litigiosa & verbosa & tædiosa esset. Tandem venit ad Episcopum gratias agens quod iuxta desiderium magistram ei patientiæ prouidisset. *Cassianus Collat.* 8. *cap.* 9.

Y. Abbas Paphnutius cum tantæ virtutis, & gratiæ esset in sua prouincia, vt etiam summi viri grauitatem eius, & constantiam mirarentur: quendam fratrum liuor zeli igne succendit, qui næuo quodam cupiens eius pulchritudinem deformare, hoc mali excogitat genus, vt pro opportunitate temporis caperet, quod Paphnutius ad ecclesiam die dominica processurus abesset ab cella, in quam irruens furtiuũ codicem suum inter eius plectas latenter abscondit. Quo facto ad Ecclesiam venit, & post celebrationem querelam S. Isidoro corã fratribus detulit. Et cunctis stupentibus vrgebat accusator vt retentis in Ecclesia omnibus, electi quique singulorũ cellas scrutarentur, quod cũ fuisset iniunctum, ad extremum in Paphnutij cella absconditũ repererũt. Quem cum ad ecclesiã detulissent, licet de conscientia esset securus, tamen qui veluti culpam cognosceret, satisfactioni se totum tradidit, locumque pænitentiæ suppliciter postulauit, in hoc verecundię modestiæque prospiciens, ne si maculam verbis niteretur abluere, insuper & mendacij notaretur. Profusis ergo in oratione iugiter lachry-

lachrymis triplicatisque ieiunijs summa se etiam in conspectu hominum mentis humiliatione prostrauit. Sed cum duabus ferme hebdomadis ita se deieciſſet, in die Sabbathi vel Dominico, non ad percipiendam scil. communionem, sed ad prosternendum se in faciem Ecclesiæ atque ad veniam suppliciter postulandum matutinus accurreret, non est passus eum Dominus vel à se amplius conteri, vel ab alijs infamari. Nam inuentor ille sceleris arreptus à dæmone cunctas factionis suæ patefecit insidias, & ab illo spiritu immundo ita diu vexatus est, donec illius precibus fuisset purgatus. *Ibid. cap.* 15.

Z. In Abbatis Pauli cænobio, vbi licet plusquam 200. fratrum numerus moraretur, in honorem tantæ solemnitatis quæ id temporis agebatur, infinita de alijs quoque cœnobijs monachorum turba cōfluxerat, nam prioris Abbatis anniuersaria depositio celebrabatur. In ingenti itaque atrio subdiuali, illa multitudine monachorum per duodenarium numerum distinctis ordinibus considente, cum quidam susceptum ferculum paulo tardius intuliſſet, sub occasione istius tarditatis prædictus Abbas exerta manu palma percuſſit ita vt omnibus sonitus audiretur. Hoc autem ab eo factum est, vt cunctis qui aderant Iuuenis patientiam patefaceret, & omnes qui interfuiſſent tali spectaculo modestiæ erudirentur. Nam ille tanta id animi lenitate suscepit, vt non modo nullius ex ore eius prolapsus est sermo vel tenuiſſimū murmur, sed ne ipsa quidem oris modestia aut color mutatus sit. *Cassianus collat.* 19. *cap. primo.*

Aa. Cum quidam nepos S. Ioānis Eleemosynarij, à quodam Tabernario grauem iniuriam audiuiſſet, & ex hoc Patriarchæ conquereretur, Patriarcha respondit: Et quomodo ausus est aliquis tibi contradicere? Crede mihi fili, quoniam hodie faciam in eo talem rem, vt tota Alexandria miretur. Quod ille audiens, consolationem recepit, putans quod eum faceret vehementer verberari. Vides Ioannes quod consolationem recepiſſet, pectus eius osculatus est, dicens: Fili, si verè nepos meus existis, præpara te & flagellari, & conuitia pati ab omnibus. Confestim igitur pro illo homine misit, & ab omni pensione & tributo liberauit, & omnes audientes mirati sunt. *In eius vita apud Surium* 27. *Ianuar.*

Ab. Cum idem cuidam pauperi petenti stipem, dari præcepiſſet quinque nummos, ille indignatus quod plus ei non dediſſet, continuo ad contumelias prorupit. Quod eius famuli audientes voluerunt eum grauiter cædere, quod ille prohibuit dicens: Sinite fratres, sinite vt mihi maledicat. Ecce ego habeo sexaginta annos blasphemans per opera mea Christum, & vnum conuitium non portabo ab isto? Iuſſitque sacculum adferri, & coram ipso apponi, vt inde tolleret quantum vellet. *In eius legēda.*

Ac. Cyprianus cum à fide Christi mutari non poſſet, à Galerio capitis sententiam accepit, qua lata dixit: Deo gratias. Cum autem ad locum veniſſet, præcepit suis vt spiculatori pro mercede vigintiquinque aureos darent, accipiensque linteum manu sua oculos texit, & sic obijt. *In aurea legenda.*

Ad. Præuidens S. Remigius famem futuram, cum in villa quadam quosdā bladi cumulos congregaſſet, inebriati rustici eius prudentiam deridentes, ignem supposuerunt, quod ille audiens illuc venit, & præ frigore

ætatis

-ætatis, & vespertini temporis se calefacere cæpit, & tranquillè dixit: Semper focus bonus est. Verum qui hoc fecerunt, & posteri eorum viri in genitalibus rupti, fæminæ gutturosæ erunt, quod & sic accidit. *In aurea legenda de eodem. Hincmarus in vita S. Remigij apud Surium 13. Ianuar. ita habet: Viri ponderosi fiant, & feminæ sint gutturosæ.*

A e. Quidam fur veniens nocte ad lectum cuiusdam philosophi, suauiter trahebat coopertorium eius vt furaretur. Quod ille sentiens retraxit: post modicum iterum latro traxit, & ille iterum retraxit, & cum sic diu fecissent, dixit philosophus: Tolle infælix, & me quiescere finas. *Humbertus in libro de dono timoris.*

A f. Socrates duas vxores habuit, quæ cum crebro iurgarentur, & ille eas soleret irridere, quod propter se fædissimum hominem, simis naribus, recalua fronte, pilosis humeris, repādisque cruribus, disceptarent, verterunt in eum impetum, & male mulctatum fugientemque diu persecutæ sunt. *Hieronymus libr. 1. contra Iouinianum cap. 29.*

A g. Interrogatus cur Xantippem vxorem iniuriosam domo non abigeret, quoniam, inquit, cum talem domi perpetior, insuesco & exerceor foris petulātiam & iniuriam facilius ferre. *Agellius libr. 1. cap. 17.*

A h. Cum S. Polycarpus comprehensores suos adesse comperisset, obuians eis, eos lætanter suscepit ita vt mirarentur quod vir tantæ honestatis cōprehendi iuberetur. Post epulas, vnius horæ spatio ab eis impetrato orationis gratia, ad Tyrannum ductus est. *Euseb. hist. Ecclesi. lib. 4. cap. 15.*

A i. Eusebius Samosatenus gerulum præceptionis Valentis Imperatoris Arriani qua præcipiebat eum in exilium ire, aduentum sui cælare iussit, dicens: Si cognouerit, hæc turba sacri zeli amore inflammata, te quidē interimet, ego autem pro tua morte apud Deum pænas cogar exoluere. *In tripartit. hist. lib. 7. cap. 16.*

Cum S. Marianus de territorio Bituricensi venisset ad monasterium S. Germani, & ibi receptus in breui veteranis monachis sanctitate imitabilem se præberet, S. Mamertinus tunc Abbas volens probare obedientiam eius vilius ei monasterij commisit officium, pastorem constituens bucularum. Cum ergo boues & vaccas in silua libenter custodiret, ibi & in cella quadam pernoctans sanctitate tanta pollebat, quod & aues ad se venientes manu propria nutriebat. Die vero quadam cum in campo eum latrones expoliassēt, vestem eius secum ferentes abierunt & solum ei palliolum dimiserunt, qui statim post eos clamauit dicens: Reuertimini ecce denarius in meo pallio colligatus qui vobis erit necessarius. Qui cum pallium cum denario rapuissent, eum nudum penitus dimiserunt, sed cum ad latebras properarent, in ipso crepusculo ad ostium cellæ eius inuenti sunt, quos ille benignè excepit. Vnde cunctis facti sui pænitentibus vnus eorum ad fidem conuersus est. *In gestis S. Mariani.* A k.

Iulius Cæsar cum iniquè ferret caluitium, ac deficientem capillum à ceruice reuocaret ad frōtem, ab irato milite dictum est ei. Facilius est, Cæsar, te caluum non esse, quam me in exercitu Romano quidquam egisse, vel acturum esse timidius. Quod & ille patienter tulit. Cum Augusto Cæsari obiectum fuisset quod adoptionem Auunculi sui Iulij Cæsaris ignominiosa sui corporis prostitutione promeruerat, motum animi A l. *Cicero ep. ad Octauium. Sueton. in Aug.*

sui cõuertit in risum. *Pet. Bles. in ep. 59.*

A m. Antistenes cuiusdam impropria vilipendens. Auditus, inquit, debet esse lingua robustior, cum singulis hominibus vna sit lingua, aures duæ. *Ibidem.*

A n. Alexandro Macedoni Antigonus pædagogus fregit citharam, abiecit'q; dicens: Ætati tuæ iam regnare conuenit, pudeatque in regio corpore voluptatem luxuriç dominari, quod & patienter tulit. *Ibid.*

A o. Intrauerat vrbem Adolescens simillimus Cæsari, perductumque ad Cæsarẽ, interrogauit Augustus: Fuitne vnquam mater tua Romæ? Negauit ille. Non contentus adiecit, sed pater meus sępe. Ioci itaque asperitate vrbana notitiam & familiaritatem Imperatoris sibi conciliauit. *Vbi supra.*

A p. Vespasianus etiam infirmorum conuitia patienter tulit adeo vt seneunculo proclamante, vulpem posse mutare pellem non animum, respondisse feratur. Huiusmodi hominibus debemus risum, nobis correctionem, sed pœnam criminosis. *Ibidem.*

A q. Narrat Seneca *lib. 3. de Ira*, quod cum Antigonus Rex, quadam nocte audisset quosdam milites omnia mala imprecantes Regi qui duxerat illos in illum locum, accessit ad eos qui maximè laborabant, & cum eos adiuuisset, & ignorarent à quo adiuuarentur admonuit eos dicens: Nunc maledixistis Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis, nunc bene optate ei, qui vos ex hac voragine duxit. *Ioannes Galensis.*

A r. Cum audisset idem aliquos male de se existimare, dicebat, discedite hinc, ne Rex vos audiat, in persona quasi alterius. *Seneca lib. 3. de ira.*

A s. Cicero de laude Cæsaris ait: Nil solebat obliuisci nisi iniurias, sicut recitat *Aug. epistola quinta.*

A t. De patientia Philippi Regis, narrat Seneca *libro tertio, capite 27. de ira*, quod cum venissent ad eum Legati Atheniensium, eorum audita legatione benignè, ait: Dicite quid possum facere, quod sit gratum Atheniensibus. Cui respondit Demochrates vnus de Legatis. Te, inquit, suspende. Et cum astantes indignati vellent in illum irruere, iussit Rex illum incolumem dimitti dicens: At vos cæteri legati nunciate Atheniensibus, multo superbiores esse, qui ista dicunt, quam qui impunè dicta audiunt. *Ioannes Galensis vbi supra.*

A v. Cum Socrates iret per ciuitatem, & esset colapho percussus, nihil amplius dixisse fertur, quam quod molestum esset, quod nescirent homines, quando cum galea, vel sine galea prodire deberent. *Idem vbi supra.*

A x. Ad portam ciuitatis Atheniensis, sedebat senex ad obiurgandum eos qui volebant intrare, vt si in eis videret signum impatientiæ, eos repelleret. *Idem de vitis philosophorum.*

A y. Vos relicta conscientiæ virtutisque præstantia de alijs præmia sermunculis postulatis, accipe in huiusmodi arrogantiæ leuitate, quam festiue aliquis illuserit. Nam cum quidam adortus esset hominem contumelijs, qui non ad virtutis vsum, sed ad fastum philosophi nomen induerat, adiecissetque iam se sciturum, an ille philosophus esset, si quidem illatas iniurias leniter tolerasset, ille patientiam paulisper assumpsit, acceptaque iniuria velut insultans. Iam tandem, inquit, intelligis me esse philosophum. Tum ille nimium mordaciter. Intelle-

tellexeram, inquit, si tacuisses. *Boetius de consol. philosophiæ libro septimo, 7. prosa.*

A 2. Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti, è quibus vnus thuribulo arrepto ante ipsum astitit, in cuius brachio carbo ardens delapsus est, quo etsi ita vrebatur, vt adusti corporis eius odor ad circunstantium nares perueniret, tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit. *Valerius libro tertio, capite tertio.*

B a. Zenon Philosophus, cum esset in excitandis ad vigorem iuuenum animis promptissimus, præceptorum fidem exemplo virtutis suæ publicauit. Patriam enim egressus, Agrigentum miserabili seruitute obrutum petit, tanta fiducia ingenij ac morum fretus, vt sperauerit & à Tyranno, & á Phalari vesanæ mētis feritatem per se decipi posse. Postquam inde nil aut parum profecit, nobiles vrbis adolescentes cupiditate liberandæ patriæ inflammauit: Cui rei cum indicium ad Tyrannum manasset, vocato in forum populo torquere cum vario cruciatu cæpit, subinde quærens quotnam consilij participes haberet. At ille neque eorum quempiam nominauit, & fidissimum quemque Tyranno suspectum reddidit, effecitque vt subito mentis impulsu Ciues concitati Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo vnius eculeo impositi, non supplex vox, nec miserabilis eiulatus, sed fortis cohortatio totius vrbis animum fortunamque mutauit. *Vbi supra. De eius morte dissident auctores, vt Cicero offic. 2. Ouidius in Ibim. Suidas. Laertius in Zenone. Tullius Tusculan. 2.*

B b. Eiusdem nominis philosophus, cum à Clearco Tyranno Cypriorum, de cuius nece consilium inierat, torqueretur, supplicij pariter atque iudicandorum gratia consciorū doloris victor, sed vltionis cupidus, esse dixit, quod secreto audire eum valde expediret, laxatoque eculeo postquam insidijs oportunum tempus animaduertit, aurē eius morsu corripuit, nec ante dimisit quam & ipse vita, & ille corporis parte priuaretur. *Ibidem Valer. Idem cum superiore, vt alij auctores supra expressi tradunt.*

B c. Talis patientiæ æmulus Anaxarchus, cum á Tyranno Cypriorū torqueretur, nec vlla vi inhiberi posset, quo minus maledicta iaceret, ad vltimum amputationem linguæ minitanti: Non erit, inquit, effæminate, pars hæc corporis mei tuæ ditionis. Protinusque dentibus abscisam linguam in os eius ira patens expuit. Occidit gloriosius quam vixit, quia tam forti fine illustrem professionis actum cōprobauit. *Ibidē. Tullius Tusculan. 2. Ouidius in Ibim. Laertius.*

B d. Apud Indos, patientiæ meditatio tam obstinate vsurpari creditur, vt sint qui omne vitæ tempus nudi exigant, modo Caucasi montis gelido rigore corpora durantes, modo flammis sine vllo gemitu obijciētes. *Ibid. Plin. 7. cap. 2. Cicero Tusc. 5.*

Syracusanus Dion patria pulsus à Dionysio Tyranno, Megaram petierat, vbi cum Theodorum Principem vrbis domi conuenire vellet, nec admitteretur, patienter ferendum est, ait: Forsitan enim & nos cum in gradu dignitatis essemus, aliquid tale fecimus. *Idem Valer. libro quarto, capite primo.*

B e. Pisistratus Atheniensium Tyrannus, cum adolescens quidam amore

filię eius accensus, in publico obuiam sibi factam osculatus esset, hortante vxore vt ab eo capitale supplicium sumeret respondit: Si eos qui nos amant, interficimus, quid his faciemus, quibus odio sumus? *Idem libro quinto, capite primo. Plut. Apophteg.*

B f. *Seneca de ira 7. cap. 11.* A Thrasippo amico idem inter cœnam sine fine conuitio laceratus, ita & animum & vocem ab ira cohibuit, vt putares Satellitem à Tyranno male audire: abeuntemque veritus ne propter metum maturius se conuiuio subtraheret, familiariter cæpit retinere Thrasippus concitatæ temulentiæ impetu eiectus sputo os eius resperfit, nec tamen punitus est. Postero die Thrasippo supplicium à se volũtariè exigere volente, venit ad eum, dataque fide in eodem amicitię gradu se mansurum ab incæpto reuocauit, si nihil aliud dignum honore memoriæ gessisset, his tamen abundè se posteritati commendasset. *Ibidem Valerius.*

B g. *Plut. in Pyrrho.* Pyrrhus Rex audierat quondam in conuiuio Tarentinorum, parum honoratum de se sermonem habitũ. Accersitos percontabatur, an ea dixissent, quæ audierat. Cumque ex his vnus, nisi, inquit, nobis vinum defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ his quæ de te locuturi eramus, ludus ac iocus fuissent. Tam vrbana crapulæ excusatio, tamque simplex veritatis confessio iram Regis conuertit in risum, qua quidem clementia & moderatione assecutus est, vt & sobrij sibi Tarentini gratias agerent, & ebrij precarentur. *Ibidem.*

Item, vide Castitas. k. Crudelitas. e. Furtum. b. Humilitas. h. o. x. a a. a b. Hiero. d. Ira. g. Iudex. x Latro. a. Mirabile. b z. Monachus. g. a f. Paupertas. a. Silentiũ. a.

Patria.

Patria est, vbicunque est bene. Socrates cum quereretur cuiatem se esse diceret, mũdanum inquit. Totius enim mundi se incolam & ciuem arbitrabatur. *Tullius libro quinto, quæstionum Tusculanarum.* A.

Vt ait, *Egesippus lib. 6. Iosephus* videns patriæ ruinam in destructione Ierusalem Tito obsidente, cæpit deflere quod euaserit cum cecidisset percussus super caput saxo quod ei dulce esset mori ante patriam. *Ioannes Galensis.* B.

Iunius Brutus in bello cecidit mutuis cum hoste vulneribus, occisis à seipso primitus filijs suis, & vxoris suæ fratribus quos coniurasse contra se cognouerat. *Augustinus de ciuit. Dei lib. 3. cap. 16.* C.

Cum Camillus esset precatus vt si cui deorum nimia fælicitas populi Romani videretur, eius inuidia suo aliquo damno satiaretur, subito lapsu decidit, quod omen ad damnationem qua postea oppressus est, pertinuisse visum est. *Valerius libro primo, cap. quinto. Liuius. 5. Plut. in Camillo.* D.

Stasippus Tegeates hortantibus amicis vt grauem in administratione populi Romani æmulum, sed alioquin probum tolleret, negauit se facturum, ne quem locum in tutelam patriæ bonus ciuis obtineret, malus & improbus occuparet. *Idem lib. quarto, capite primo.* E.

Scipio Æmilianus post duos Consulatus totidemque triumphos, septem seruis sequentibus officio legationis functus est. Et puto Carthaginis & Numantiæ spolijs comparare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias, id est spolia, ad patriam redundare voluisset. Itaq; F.

cum

eum per socios, & per exteras gentes iter faceret, non mancipia eius, sed victoriæ numerabantur, nec quantum auri & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur. *Idem libro quarto, capite tertio. Iustinus 78. Plutarch. in Scipione. Athen. lib. sexto.*

G. Patriæ rem non suam vnusquisque augere properabat olim apud Romanos, pauper quam in diuite, quam diues in paupere imperio versari malebat, atque huc tam pręclaro proposito illa merces reddebatur quod nihil eorum quæ virtuti debētur emere pecunia licebat, inopiæque illustrium virorum publicè succurrebatur. *Valerius libro quarto cap. 4.*

H. *Plin. 11. cap. 77.* Genutio Cipo Prætori portam egredienti, noui & inauditi generis prodigium incidit. Nam in capite eius subito cornua eruperunt, respōsumque est eum fore Regem, si in vrbem reuertisset, quod ne accideret, exilium elegit perpetuum.

I. Elio Prætori ius dicenti, cum in capite picus consedisset, aruspicesque affirmassent, occiso eo fore Reipublicæ statum fælicem, suæ domus miserum, è vestigio picum in conspectu Senatus morsu suo necauit. Is decem & septem viros fortes cum familia Cannensi prælio amisit, Respublica tempore procedente ad summum imperij fastigium peruenit. *Valerius libro quinto, capite sexto. Front. q. cap. 5. Plin. 10. cap. 18.*

K. Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu Attica debilitata, ferro & igni vastaretur, ad Apollinis Delphici oraculum confugit, & sciscitatus est quonam modo tam graue bellum discuti posset. Respondit: Ita finem illi bello fore, si ipse hostili manu occidisset. Tunc depositis insignibus Imperij, familiarē cultum induit, & hostium globo se obiecit, & vnum ex ijs falce percussum in cædem suam compulit, cuius interitu ne Athenæ conciderent, effectum est. *Valerius libro quinto, capite sexto. Iusti. 2.*

L. Cum inter Carthaginem & Cyrenas de Margine agri contentio esset, placuit vtrimque, eodemque tempore, iuuenes mitti, & locum in quē hi conuenissent, finem ambobus haberi populis. Verum hoc pactum Carthaginensium duo fratres nomine Philæni perfidia præcurrerunt, citra constitutam horam maturato gressu in promotis longius terminis: Quod cum intellexissent Cyrenensium iuuenes, diu de fallacia eorum quæsti, postea dixerunt sic eum finem ratum fore, si Philæni viuos ibi se obrui passi essent. Ibi sine mora corpora terra operienda tradiderunt. *Ibidem Valer. Salust. Iugurt. Pompo. Mela. 1. cap. 7.*

M. Aristoteles supremæ vitę reliquias senilibus membris in summo literarum otio vix custodiens, adeo pro salute patriæ incubuit, vt eam ab hostilibus armis solo æquatam, in lectulo Atheniensi iacens, equidem Macedonum manibus eriperet. *Ibidem Valer. Plut. in Alex. Laert. in vita Aristot. Aelianus Var. hist. 7.*

N. Æmilius Paulus ex quatuor filijs formæ insignis, egregiæ indolis duos iure adoptionis in Corneliam Fabiāque gentem translatos, sibi ipse denegauit: duos ei fortuna abstulit, quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem præcessit, alter in triumphali curru conspectus, post diem tertium expirauit. Quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione quam habuit, nulli dubium reliquit. Cum in maximo prouectu fælicitatis nostræ, Quirites,

time-

timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Iouem Opt. Max. Iunonemque Reginam & Mineruam precatus sum, vt si quid aduersi populo immineret, totum in meam domum conuerteretur. *Valerius libro quinto, capite decimo. Liuius 45. Plut. in vita Pauli*

O. Callistratum aiunt, cum in exilium iret, & quidam illi diceret, instare arma ciuilia, breui futurum vt omnes exules reuerterentur, respondisse: Quid tibi mali feci, vt mihi peiorem reditum quam exitum optares? Malo vt patria exilio meo erubescat, quam reditu mæreat. *Seneca libro sexto de beneficijs, cap. 37.*

Item, vide Cedrus. a. Filius. c. d. Iuramentum. i. Occisio. b. Roma. a. k.

PATRONVS.

A. IN monasterio S. Andreæ, tanta cura monachorum eiusdem Apostoli, ac si specialiter Abbas monasterij ipse sit. Hoc probat per quædam facta quæ ibi contigerunt. *Gregorius in registro libro octauo.*

S. PAVLVS APOSTOLVS.

A. PAulus Apostolus apud Mitilenam insulam hospitatus, viperam in ignem illæsus excussit. Omnes autem qui de progenie hospitis eius nascuntur, à venenosis nullatenus læduntur. Vnde cum nati sunt, in cunis eorum patres serpentes ponunt, vt probent si verè filij eorum sint. *In aurea legenda de Sancto Paulo. De gentilibus sancti Pauli, vt nuncupant in Italiam, Vide P. Delrium libr. 1. disq. magic. cap. 3. q. 4.*

B. Refert Haymo, quod Paulus à pullorum cantu vsque ad quintam horam labori insistebat, deinde prædicationi. *Vbi supra.*

C. Tradunt Sancti quod à Sergio Paulo ad fidem conuerso, dictus est Paulus. Solus Origenes dicit quod semper fuit binomius, vel in acceptatione Apostolatus, vel primo sortitus hoc nomen. *In historia scholast. parte octaua, capite 69.*

Hier. in epist. ad Philemonem & de viris illustribus in Paulo. August. 8. confess. cap. sexto. Beda in cap. 13. Actorum & in Martyrol. 11. Calen. Aprilis. Ado in Martyro. 11. Cal. Februarij. glossa ordinaria in c. 17. actorum. Lyranus ibidem docent à Sergio Proconsule Paulo ad fidem conuerso, Apostolum Paulum nomẽ mutuatum esse. Origenes præfatione in epist. ad Romanos Anselmus in cap. 1. eiusdem epist. binominem fuisse hunc Apostolum arbitrantur, & Anselmus quidem superiorum sententiam eo vel maximè argumento refellit, quod nulla consuetudo talis extet in scripturis, nomen assumendi ab alijs conuersis, & quodammodo debellatis, vt quidam apud Romanos à subiugatis externis regionibus, Africani, Asiatici &c. fuere cognominati. Idem sentit Sedulius eadem ratione innixus. Displicet quoque Baronio tom. 1. Annalium & Toleto in cap. 1. epist. ad Rom. eadem ratio nominis cum ab eximia Pauli humilitate abhorreat. Existimat porro Baronius, si à Sergij conuersione petenda sit nominis mutatio, ipsummet Proconsulem grati animi causa, suum cognomen communicasse, vt solebant Romani libertis de se optimè meritis, vel clientibus, vel hospitibus. Consule Lorinum in c. 9. act. Apost.

Item, vide Mirabile. b. r. Reliquiæ. c.

S. PAVLVS EREMITA.

A. CVm Leones recessissent, qui suis vnguibus ad sepeliendum corpus Pauli, terram effoderãt, Antonius corpore deposito desuper humum congerens, ex more composuit. Mane rediens tunicam eius sibi vendi-

vendicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs sibi ipse texuerat, ac sic reuersus diebus Paschæ & Pentecostes, semper Pauli tunica vestitus est. *Hieronymus in vita eius.* *Item, vide Honor. d.*

PAVPERTAS.

A. FVit vir vitæ venerabilis Bonifacius, qui in ciuitate Ferêtis, Episcopus fuit. Huius Eccclesiæ grauis valde paupertas inerat, quæ bonis mentibus esse solet custos humilitatis, nihilque aliud ad omne stipendium nisi vnam tantum vineam habebat, quæ quodam die ita grandine vastata est, vt in ea in paucis vitibus, vix parui rarique racemi remanerent. Quam cum fuisset ingressus, Deo gratias egit, quia in sua adhuc inopia angustiari se agnouit. Deinde narratur, qualiter liquor modicus vini, illius precibus seu meritis abundanter excreuit. *Gregor. in Dial. libro primo, cap. nono.*

B. Abbas Theodorus cognomento Fine habebat tres codices, & cum venisset ad Abbatem Macarium dixit ei: Habeo tres codices, & proficio ex lectione eorum, sed & fratres petunt eos ad legendum, & proficiunt. Dic ergo quid debeo facere? Dixit senex: Boni sunt quidem actus, sed maius omnibus est nil possidere. Quod cum audisset, vendidit eos, dans indigentibus pecuniam. *In vitis Patrum libro sexto, parte prima.*

C. Ioannes Eleemosynarius sic factus est misericors, vt Eleemon vocaretur: Pauperes semper suos dominos appellabat. Omnes igitur suos famulos conuocauit, eisque dixit: Euntes per totam ciuitatem, conscribite omnes dominos meos. Non intelligentibus vero dixit: Quos vos mendicos vocatis, ego dominos & auxiliatores prædico. Isti enim nobis verè auxiliari poterunt. *In aurea legenda de eodem, & apud Surium 27. Ianuarij.*

D. Cum idem se morti appropinquare cerneret. Dixit: Tibi gratias ago Deus quia exaudisti miseriam meam rogantem bonitaté tuam ne remaneret mihi morienti nisi vnum tremisse. Hoc ergo pauperibus dari iubet. *In aurea legenda de eodem, & apud Surium loco ante citato.* *Tertia pars nummi.*

E. Testem inuocabat Deum S. Paula pauperibus sua distribuens, se pro illius nomine hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur, vt in funere suo aliena inuolueretur sindone. *Hieronym. in eius vita.*

F. Duo fuerunt pauperes, vnus humilis, alter superbus, sed humilis vbicumque segetes triturabantur cum chirotheca petebat triticum, & nemo illi negabat, sed singuli chirothecam implebant, & sic in breui factus est diues. Superbus autem cum magno sacco petens, præ sacci magnitudine nil recipiebat, & sic magis pauper fiebat. *Iacobus de Vitriaco.*

G. Antistenes Socraticus omnibus distractis, solum pallium reseruauit, cuius discipulus Diogenes fuit, de quo refert Satyrus, quod duplici pallio vsus sit propter frigus, peram pro cellario habuerit, clauam pro sustentatione membrorum. Habitauit autem in portarũ vestibulis, notans vitia quæ homines fædabant. Cumque se contorqueret in dolio, iocabatur se domũ habere volubilé, & secum temporibus cõmutantem. Frigore enim os dolij vertebat ad meridiem, æstate ad septentrionem, & vbicumque sol se verteret,

Diogenis prætorium simul vertebatur &c. *Hieronym. contra Iouinianum libro secundo, capite nono.*

H. Interrogatus Secundus Philosophus ab Adriano Imperatore, quid est paupertas? respondens, scripsit: Odibile bonum, suauitatis mater, causarum remotio, sapientiæ repertrix, negotium sine damno, possessio absque calumnia, sine sollicitudine fælicitas. *In gestis Secundi Philosophi.*

I. Expedit facultates ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni. Nam & S. Paulinus ingentia prædia sua vendita pauperibus erogauit. Sed cum postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensauit. *Prosper de vita contempl. lib. 2.*

K. Cum Argolandus militibus suis Sarracenis per Christianos deuictis, data treuga eundi & redeundi, ad Carolum venisset, vt baptizaretur, vidit Carolum ad mensam sedentem, inter quos erant quidam in militari habitu, quidã in monachali, & canonicali, & interrogauit de vnoquoque ordine. Videns autem in quadam parte tredecim pauperes ad terram sedentes sine mensa, quæsiuit qui essent? Cui Carolus: hæc est gens Dei nuntij Domini nostri Iesu Christi, quos sub numero tredecim Apostolorum quotidie pascimus. Ad hæc ille: Malè Domino suo seruit, qui sic nuncios eius recipit. Legem tuam quam dicebas esse bonam, nunc ostendisti esse falsam. Et accepta licentia scandalizatus rediit, baptizari renuens. *Turpinus in historia Caroli.*

L. In tractatu de dictis philosophorum, dicitur Aristotelẽ dixisse, quod hoc habet paupertas incommodi, quod non potest iuuare alios. *Ioannes Galensis.*

M. Nunciato naufragio Zenon cum audisset omnia sua esse submersa. Iubet me, inquit, fortuna expeditius philosophari. *Seneca de tranquillitate animi cap. 14.*

N. Augustinus 6. *confessionum cap. 6.* recitat quod transiens per vicum, vidit pauperem iocantem, & ingemuit loquens ad socios. Omnibus conatibus quibus laboramus, nil vellemus nisi ad securam lætitiam peruenire, quò nos iste præcessit.

O. Quomodo se audebit extollere de voluntaria paupertate Christianus, vt in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet? cum audiat vel legat Lucium Valerium, qui in suo defunctus est consulatu, vsque adeo fuisse pauperem, vt nummis à populo collatis eius sepultura curaretur. *Et infra.* Nonne omnes Christiani qui excellentiore proposito diuitias suas communes faciunt, iuxta quod est scriptum in actibus Apostolorum, (*actuum 4.*) intelligũt se nulla ventilari oportere iactantia, id faciendo pro obtinenda societate Angelorum, cum tale aliquid illi fecerint pro conseruanda gloria Romanorum? *Augustinus de ciuitate Dei libro quinto, capite decimo-octauo.*

P. Regio Imperio propter nimiam Tarquinij superbiam finito, consulatus initium Valerius Poplicola cũ Iunio Bruto auspicatus est, idemque postea tres Consulatus gessit, cum interim fastorum illud columen, ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente patrimonio decessit, ideoque publica pecunia ductæ sunt. *Valerius libro quarto, cap. 4. Liuius 2. Dion. 5. Plut. in vita.*

Q. Meneuius Agrippa quem senatus & plebs, pacis inter se faciendæ authorem elegit, nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, honore sepulturæ caruisset. *Ibidem*

Valer.

Valer. Liuius. 2. Dion. 3.

R. Illi prædiuites, qui ab aratro accersebantur, vt Consules fierent, voluptatis causa sterile solum versabāt, & deliciarum ignari, vastissimas glebas plurimo cum labore dissipabant. Atilium, qui ad eum accersiendum missi à Senatu fuerant, viderunt semen spargentem: quæque manus arantium boum iugum rexerant, triūphalis currus habenas retinuerunt. *Valerius libro quarto, cap. 4. Cicero pro Roscio. Plin. lib. 1. cap. 3.*

S. Eiusdem nominis & sanguinis Atilius Regulus primi Punici belli gloria, cladesque maxima, cum Carthaginis opes crebris victorijs contunderet, & sibi ob hoc prorogatum in proximum annum imperium cognouisset, Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem iugerū in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenariū, amoto inde rustico instrumento discessisse, ideoque petere vt sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset vnde vxor & liberi alerentur. Quæ postquam Senatus à Cōsulibus accepit, & agrum Atilij illico colendum locari, & alimenta coniugi eius, & liberis præberi, resque quas amiserat, redemi publicè iussit. *Valer. ibidē. Liuius 18. Seneca cap. 12. ad Albin.*

T. Quintius Cincinnatus septem iugera agri possedit, & ex his tria, quæ pro amico ad ærarium obsignauerat, mulctæ nomine amisit. Pœnam quoque pro filio Cæsone, quod ad causam dicendam non occurrisset, huius agri reditu soluit, & tamen ei quatuor iugera aranti non solum dignitas patrisfamiliæ constitit, sed etiam dictatura delata est. *Ibidem Valer. Liuius lib. 7. Dion. 10.*

V. Illustris virgo Mathildis, filia Regis Scotiæ, quatuor fratres habuisse narratur, quorum tres seniores terrena spreuerunt, quartum vero Iuniorem Alexandrum, cum pater regnare cogeret, Mathildis soror eius sic eum alloquitur: Frater carissime, fratres tui deseruerunt terram, vt cælum acquirerent, tibi ergo soli regnum relictum est, pro quo es cælestem gloriam perditurus. Quo audito frater lachrymans dixit: Heu soror quid consulis? paratus sum quidquid iusseris, adimplere. Mox gauisa fratrem accepit, & mutato habitu ad remotiora traduxit, vbi eum mulgere vaccas, & caseos optimos facere docuit. Inde venerunt in Gallias ad Fonij claustrum ordinis Cisterciensis, Laudunensis diœcesis, & probatus est inuentus in caseis faciendis: Hinc monasterij fratrem conuersum factū sic alloquitur soror. Multum meriti apud Deum acquiremus, quod terram & parentes dimisimus, sed in hoc magis remunerabimur, si vsque ad tempus futurum, quo nos inuicē in cælo videamus, ad præsens nos ab inuicem separemus, vt nullus nostrum amplius alium videat. Cui consentiente fratre, illa ad nouem milliaria in villa quę dicitur Alapiō, secessit, & domunculam paruam habens solo manuum labore viuebat. Deinde scribitur vtrumque claruisse miraculis. *Cantipratanus libro secundo de apibus, capite decimo.* *Latine Fusniacum. Gal. Foissy.*

Item, vide Arsenius. e. g. Discretio. a. Diuitiæ. e. Dominicus. c. Eleemosyna. b. Felicitas. a. c. Gratiarum actio. a. Iudex. p. q. Iudicium Dei. a. b. c. Martinus. f. Pœnitentia. a. Religio. g. Roma. c. Rusticitas. a.

PAX.

A. Hospitem meum Placentinum, virum sanguine generosum, in timore Domini dixisse recolo:

Hoc in ciuitatibus Italiæ frequentissimum est, quod dum pacem diligūt, & Iustitiam colunt, & periurijs abstinent, tantæ libertatis & pacis gaudio perfruuntur, quod nihil est omnino, quod vel in minimo quietem eorum concutiat. Quo solo remedio apud illos cessat omnis tempestas. Cum è contrario propter peccata populi, permittit Deus regnare hypocritam, & impossibile est, vt diu regno gaudeat, qui in populi humiliatione, & proprio fastigio superbè nimis exultat. *In Polycratico Ioannis Saresb. libro 4. cap. 11.*

B. Longæua securitas homines partim ad dilectionem otij, partim ad ciuilia traduxit officia. Ita cura exercitij militaris primo negligentius agi, postea dissimulari, postremo in obliuione perducta cognoscitur. *Vegetius de re militari, libro primo, capite vltimo.*

Item, vide Maria. a. Obedientia. a. c. Oratio. c. Persecutio. a. Reconciliatio. a. Voluptas. d.

PECCATVM.

A. FActa est vox Arsenio Abbati dicens: Veni ostendam tibi opera hominum. Et duxit eum in quēdam locum, & ostendit ei Æthiopem incidentem ligna, & facientem sarcinam, & tentabat portare eā, & non poterat, & pro eo vt auferret de sarcina illa, ibat itē, & incidebat ligna, & addebat ad sarcinā illam. Hoc autem faciebat diutius. Et post ostendit ei hominem stantem super lacum, & implentem aquam ex eo, & effundētem in cisternam pertusam, quæ cisterna iterum aquam infundebat in lacum. Et cum interrogasset quid hoc esset, respondit ille: qui ligna incidit, homo est in peccatis multis, & pro eo vt agat pœnitentiam, & substrahat de peccatis suis, alias iniquitates adhibet, qui autem aquam implet homo est qui opera quidem facit bona, sed quia habet cum eis permixta mala, perdit etiam bona. *In vitis Patrum libro decimo-octauo, parte prima.*

B. Dicebant senes de quodam sene, quia cum ambularet in eremo, vidit duos Angelos secum. Et inuenerunt in via cadauer, & cooperuit senex nares suas propter fætorem. Fecerunt autem & Angeli similiter. Et dixit eis senex: Et vos odoramini? Qui dixerunt, Non, sed propter te cooperimus & nos, nam immunditiam mundi huius non odoramur, sed animarum, quæ peccatorum fætorem habent. *In vitis Patrum libro 2.*

C. Tempore Valentiniani fuit puella nomine Thais pulchra nimis, quam mater eius à pueritia statuit in prostibulo. Factaque est famosissima meretrix. Abbas ergo Paphnutius sumpto habitu seculari, & vno solido, profectus est ad eam, quæ accepto solido dixit: Ingrediamur. Cumque rogaret vt lectum ascenderet, dixit ad eam. Hic est alius locus secretior? Et illa ait. Est. Et ille ad eam. Ingrediamur. At illa: Si hominem metuis, nullus te in hoc loco conspicit, si vero Deum times vbicumque fuerimus Deus nos videt. Cui senex: Scis esse Deum? Illa dicente se scire Deum, & regnum eius futurum, & tormenta peccatorum. Senex ait: Si igitur nosti, cur tot animas perdidisti? Et nunc non solum pro tua anima, sed pro aliorum reddituram rationem damnaberis. Illa hæc audiens omnia quæ ex peccato lucrata fuerat spectante omni populo combussit, & tribus

tribus

tribus annis in quadam cella senis annulo signata, dicente sene quod non erat digna Deum nominare, hoc solum orabat. Qui plasmasti me miserere mei. Elapsis vero tribus annis reuelatione ei de remissione peccatorum facta, educta de cella dixit, quod de peccatis suis quasi sarcinam fecerat, quam quotidie ante oculos suos statuerat, & sicut non discesserat anhelitus de naribus suis, sic nec vno quidem momento per tres annos peccata sua ab ea recesserant. *In vita eius.*

D. Bene victurum semper operari præcipiebat S. Antonius ac seipsum discutere, & secum ponere rationem eorum quæ gessit die noctuque. *In tripartita historia libro primo, capite vndecimo.*

E. Si scirem Deos ignoscituros, & homines ignoraturos, peccare dedignarer. *Seneca.*

F. Theodora nobilis mulier & speciosa apud Alexandriam virum habebat diuitem, & timentem Deum, quam diues quidam in eius concupiscentiam incitatus, crebris nuncijs, & muneribus molestabat. Sed ipsa omnia contemnebat. Tandem quādam magam ad eam misit, quæ eam vt viri illius misereretur plurimum hortabatur, quæ cum diceret se nunquam coram oculis Dei hoc commissuram, dixit malefica. Quidquid autem nocte committitur Deus non intuetur. Decepta illa dixit ei vt vesperi virum ad se venire faceret, & voluptatem impleret. Quo facto opere perpetrato, Theodora ad se rediens & flens, intelligens quod Deus scit, & vidit, comam præcidit, & viri habitum sumens in monasterio monachorum ad pænitentiam agendam monachalem habitum assumpsit. Deinde narratur, qualiter eam quædam puella quæ de alio conceperat, eam accusauit falsò, & qualiter falsitas hęc post obitum eius ostensa est. *In aurea legenda de eadem.*

Quidam bonus homo cecidit in peccatum, quod cum audisset alius, condolendo sibi & illi dixit. Ille heri, & ego hodie. *Humbertus in libro de dono timoris.* G.

Miratus est Iosephus *libr. 12. antiquitatum.* Polybium virum bonum dixisse, ideo perijsse Antiochum, quia voluit templum Dianæ in perfide vastare. Nam qui nullatenus egit peccatum, sed tantum cogitauit, nullo reatu tenetur. Hinc patet iuxta eius opinionem, quia lex cohibebat manum, & non animum. *In historia scholastica, parte quinta, cap. de morte Antiochi.* H.

Item, vide Confessio. f. Deus. c. Fuga. a. Infirmus. a. Iudicium Dei. d. Iuramentum. h. Meditatio. a. Patientia. b. Pænitentia. c. Sacrificium. c. Tentatio. b. d. h. Verecundia. a. Voluptas. e. f.

PÆNITENTIA.

DVo fratres impugnati á fornicatione abierunt, & acceperunt vxores. Postea dixerunt ad inuicem: Quid lucrati sumus, quia deseruimus Angelicum ordinem & in mundo viuimus? Redeamus ad eremum, & agamus pænitentiam. Et venientes rogabant fratres, vt reciperent eos pænitentes. Et clauserunt eos per annum integrum, & ijs æqualiter dabatur panis, & aqua ad mensuram. Et completo tempore pænitentiæ, viderunt patres vnum pallidum, & tristem, alium robustum, & clarum; & mirati sunt. Et interrogauerunt eum, qui tristis A.

tristis erat, dicentes: Quid excitabaris, cum cogitationibus tuis in cella tua? Et dixit: Pro malis quæ feci. Nam pœnas, quibus subdendus eram reuoluebam, & á timore adhæserunt ossa mea carni meæ. Interrogarunt autem & alium dicentes idem. Ille respondit: Deo gratias referebã, quia eruit me de inquinamento mundi huius, & de futuris pœnis, & reminiscens Dei mei lætabar assiduè. Et dixerunt: Æqualis est amborum pœnitentia apud Deum. *In vitis Patrum libro quinto, parte sexta.*

B. Frater interrogauit Abbatem Pastorem dicens: Feci grande peccatũ, & volo triennio pœnitere. Dixit Pastor multum est. Et dixit ei: Iubes vnum annum? Dixit multum est. Qui autem præsentes erant, dicebant, vsque ad dies quadraginta: Senex iterum dixit: Multum est, & adiecit. Ego puto quia si ex toto corde homo pœnituerit & non apposuerit facere iterum, triduanam Deus suscipiet pœnitentiam. *Ibidem libro quinto, parte quinta.*

C. Paulus discipulus S. Antonij habebat hanc gratiam á Deo, vt si videret vnumquemque, cuius esset animi, videret. Deinde narrantur multa de eodem, vt: Ego peccator sum & multo in tempore in fornicatione vixi, ingrediens autem Ecclesiam audiui codicem Isaiæ dicentis; Lauamini, mundi estote &c. Ego autem sermone compunctus sum, & ingemiscens in conscientia dixi ad Deũ. Tu Deus qui venisti in mundum peccatores saluos facere, & quę hic quæ modo lecta sunt, promisisti, comple effectu & opere in me peccatore. Ecce enim amodo promitto tibi quia iam non agam vltra illud malum, sed abrenuncio omni iniquitati & seruio tibi amodo conscientia munda. In his ergo promissionibus egressus sum de Ecclesia statuens nil vltra mali agere, quod cum audissent omnes, clamauerunt. Quam magnificata sunt opera tua Domine. *In vitis Patrum libro 18. parte vltima.*

D. Interrogatus senior á quodam milite si Deus recipit pœnitentem? Dic mihi dulcissime si chlamis tua fuerit concisa, projcis eam? Qui ait: Non sed resarcio eam. Dicit senior: Si ergo parcis vesti tuæ, Deus suæ imagini non indulget? *In vitis Patrum libro duodecimo, parte tertia.*

E. Latro quidam persequentes fugiens, monasterium ingressus est, & amplexus est columnam S. Simeonis, fleuitque. At ille dixit ei: Quis tu? Ille autem. Ego sum Ionathas latro qui multa feci mala & huc veni pœnitere. Ait Sanctus: Talium est regnum cælorum. *In vita S. Simeonis.*

F. In interioris Franciæ partibus olim mos fuit vt si quis propinquiorem sibi parentem iugulasset, decernente pontifice, ex ipso gladio ferrei nexus fierent, qui collum peccatoris, ventrem, & brachia strictè innecterent, sicque de patria pulsus, donec eadem vincula solui præciperet, primum Romæ, deinde per diuersa loca Sanctorum, veniam postulando peregre pergeret. *In gestis S. Florentij.*

G. Quidam Comes duxerat cognatã suam, correptus á Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo parere noluit vt eam relinqueret. Excommunicatur ille, Regem adit conquerens de Dũstano, Rex mandauit Archiepiscopo vt eum absolueret, qui noluit. Ille Romam cum muneribus misit, Apostolicus mandauit Dunstano vt eum absolueret. Absit hoc, inquit Dunstanus, vt causa mortalis hominis contemnam legem Dei. Quod videns Comes pœnituit, & vxorem repu-

repudiauit, laneis indutus, nudis pedibus virgasque in manu gerens cecidit ad pedes Dunstani generale cōcilium celebrantis, & tunc absolutus est. *In vita eius ab Osberto Monacho Cātuariensi edita.*

H. In cænobio quod dicitur ad Pinū, cum cuidā monacho peccatori magna & longa pęnitentia fuisset iniuncta, ille à quodam familiari auxilium petijt ad portandum pondus pænitentiæ, quod onus ille suscipiens, præcepit eum securum manere de tanta parte persoluenda, qui sic ligatus non multo post est mortuus. Erat autem inter fratres vitæ irreprehensibilis. Non multis post diebus pænitenti monacho apparuit, qui inquisitus quomodo haberet, male inquit, & durè propter te. Nam liber à proprijs, quia tuis me vinculis innodaui, & alienam cautionem non persolui, flagellis duris atteror. Quæso, vt vigiles pro te, & liberes me. Vade ergo & deprecare conuentum vt quod spopondi, persoluant. Quo facto, rursus ei apparuit, dicens, se per orationem à pænis erutum. *Petrus Damiani epist. libr. 6. epist. 20.*

I. Retulit quidam Doctor, quod cum quædam mulier depauperata desperaret, apparuit ei diabolus dicens quod eam ditaret, si suam faceret voluntatem. Cui promittenti primo iniunxit, quod viros ecclesiasticos suo hospitio receptos faceret fornicari; secundo quod pauperes in die reciperet, & nocte expelleret, tertio quod orationes in ecclesia garriendo impediret, quarto quod nulli de hoc confiteretur. Tandem cum morti propinquaret, & à filio ad confessionem admoneretur, ipsa ei factum aperiens dixit se confiteri non posse, nec confessionem sibi valere. Sed cū ille instaret, & pænitentiam se pro illa facturum sponderet, illa compuncta pro Sacerdote filium destinauit. Sed antequam ille veniret, dæmones irruerunt, quorum horrore mortua est. Filius autem pro ea peccatum confitens & pęnitentiam septennem faciens, ipsa completa vidit matrem ei de sua liberatione gratias referentem. *In aurea legenda de commemoratione fidelium.*

K. Cum diabolus S. Martinum reprehenderet cur semel lapsos ad pænitentiam reciperet? fertur dixisse. Si tu ipse ab hominum infestatione desisteres, & te factorum pæniteret, ego tibi, confisus in Domino, misericordiam pollicerer. *Seuerus in vita sancti Martini.*

L. In fonte lachrymarum ita leuia plangebat peccata S. Paula, vt eam crederes magnorum criminum reā. Cumque crebro moneretur vt parceret oculis, aiebat. Turpanda est facies, quam contra Dei præcepta, stibio depinxi. Corpus affligendum, quod multis vacauit delicijs, mollia & serica linteamina asperitate cilicij commutanda: quæ viro & seculo placui, nunc Christo placere desidero. *Hieronymus in Epitaphio Paulæ.*

M. Quidam defunctus vitæ redditus, circa annos Domini octingentos sex, territus pænis quas viderat, fugit ad eremum: vestitus se sæpe balneabat in gelido flumine, suaque vestimenta humida & algida nunquam deponebat, donec de suo corpore calefierent, & siccarentur. Et cum à videntibus de his argueretur, dicebat: Frigidiora ego vidi. *Beda in gestis Anglorum.*

Item, vide Arsenius. e. Charitas. e. f. Confessio. a k. Dæmon. n. Dominicus. b. Infernus c. Ioannes Euangelista. d. Mors. k. Scādalum. q. Silentium. b. c.

PERE-

Peregrinatio.

A. Sanctimonialis in claustro quodã Alemaniæ Constantiensis diœcesis per annum, & amplius, ita grauem guttã in genu perpessa est, quod nullo poterat liberari remedio. Hæc quia per se, sepulchrum S. Petri martyris ordinis Prædicatorum visitare non poterat, cogitauit idem sepulchrum mentali gressu adire, ac deuote visitare. Discens vero quod in quatuordecim dietis de illo loco Mediolanum posset adiri, quotidie pro qualibet dieta centum pater noster ad eius honorem dicere cæpit. Tunc paulatim cæpit melius se habere, & cum eo gressu mentali peruenit, maxima deuotione psalterium integrũ ibi legit, quo perlecto ita se ab infirmitate liberatam sensit, vt iam modicum quid sentiret. Rediẽs vero eodem modo quo iuerat, antequã omnes dietas expleuisset, perfecte sanata est. *In aurea legenda de S. Petro.*

B. Dixit quidam Senex, quia duo fratres erant ei vicini, vnus peregrinus & alius incolis. Erat peregrinus parum negligentior, incolis vero studiosus valde. Contigit ergo vt dormiret peregrinus ille in pace. At ille senex vicinus eorum, cum esset præuidus vidit multitudinem Angelorum deducentium animam eius, & cum veniret ad cælum vt intraret facta est quæstio de illo. Et venit vox desuper dicens: Manifestum est quia modicũ negligens fuit, sed propter peregrinationẽ eius aperite ei, & post hæc dormiuit ille incolis, & venit omnis cognatio eius ad eum. Cernens vero senex non venire Angelos ad deducendam animam illius, miratus est dicẽs: Quomodo ille peregrinus cum negligentior fuerit talem gloriam habuit, & hic nihil huiusmodi meruit! Et venit ei vox dicens: Hic studiosus cũ venit vt dormiret aperuit oculos suos, & vidit parentes suos flentes, & cõsolata est anima eius. Alter etsi negligentior fuerit, sed nullum suorum vidit, & ingemiscens fleuit, & Deus consolatus est eum. *In vitis Patrum, libro decimo-octauo, parte quinta.*

Item, vide Iacobus Zebedei, a. Oratio, s, t.

Perfectio.

Isaac seruus Dei, cum virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione esset præditus, vnũ erat quod in eo reprehensibile esse videbatur, quia nonnunquam tanta ei lætitia inerat, vt illis tot virtutibus esse plenus nullo modo crederetur. *Gregorius in Dial. libro tertio, capite decimo-quarto.* A.

Duo patrum rogarunt Deum vt ostenderet eis in quantam peruenirent mensuram. Et venit vox diẽs: Quia in illa villa est secularis quidã Eucharisticus nomine & vxor eius Maria vocatur, nondum adhuc peruenistis ad ipsorum mensurã. Tunc venerunt in vicum illum, & inuenerunt eorum cellã. Et dicunt ad vxorem. Vbi est vir tuus? Quæ dixit: Pastor ouium est. Et introduxit eos in domum. Cum autem sero esset venit Eucharisticus cum ouibus, vidẽsque eos, parauit illis mensam misitque aquam in peluim. Qui dixerunt ei: Non gustabimus, nisi indicaueris nobis operationem tuam. Eucharisticus dixit: Ego sum pastor ouium. Cũ autem illi instarent & ille nollet dicere, dixerunt ei. Deus nos misit ad te. Audiens hoc timuit & dixit eis: Ecce istas oues habemus à parentibus nostris, & ex ijs facimus hoc modo. B.

Vnam

Vnam pauperibus, & vnam in ſuſceptione peregrinorum, & tertiam partem in vſum noſtrum conuertimus. Ex quo autem accepi vxorem meam, neque ego pollutus ſum nec ipſa, ſed virgo eſt. Singuli ſemoti dormimus, & nocte quidē induimus ſaccos, in die vero veſtes noſtras, & vſque nūc nemo hominum hoc nouit. Hoc illi audientes glorificauerunt Deum & receſſerunt. *In vitis Patrum libro vigeſimo, parte prima.*

C. Abbati Macario venit vox dicens: Macari nondum perueniſti ad menſuram duarum illarum mulierum illius ciuitatis. Surgens ille venit ad illas & dixit eis: Propter vos tantum laborem aſſumpſi, dicite nunc mihi operationem veſtram. At illæ dixerunt: Crede nobis quia hac nocte non fuimus ſine viris noſtris. Quam ergo operationem poſſumus habere? At ille inſtabat. Tunc dixerunt ei: Nos quidem ſecundum ſeculum extraneæ nobis ſumus, placuit autem nubere duobus fratribus quindecim annis, nos duæ habitamus in hac domo, & neſcimus ſi aliquando litigauerimus, vel ſermonem turpem dixerimus. Subintrauit autem nobis in animum intrare in monaſterium virginum, & rogati viri noſtri non nobis conſenſerunt. Hoc tunc diſpoſuimus vtræque teſtamentum inter nos & Deum, vt vſque ad mortem non egrederetur de ore noſtro ſermo ſecularis. Audiens hæc Macarius dixit: In veritate quia non eſt virgo neque nupta, nec monachus, nec ſecularis, ſed Deus iuxta vniuſcuiuſq; propoſitum præſtat ſpiritum ſanctum omnibus. *In vitis Patrum libro vigeſimo, circa finem.*

D. De S. Paphnutio comperimus relatione patrum, quod cum fuiſſet vitæ Angelicæ quodam tempore orauit Deum, vt ſibi oſtenderet cui Sanctorum ſimilis haberetur. Angelus vero reſpondit, quod ſimilis eſſet ſecundum Dei prædeſtinationem ſymphoniaco cuidam qui in illo vico cantandi arte victum quærebat. Qui de eo inquirens audiuit quod eſſet vitæ indigniſſimæ nullius boni ſibi conſcius ex latrone in fœdum exercitiū deuolutus, niſi quod cum eſſet inter latrones quandam virginem Deo ſacratam, cuius pudorem ſocij præripere volebant, liberauit, nec non alteri mulieri, ac etiam marito, ac duobus filijs ære alieno oppreſſis ad eorum liberationem 300. ſolidos dedit, Paphnutio vero reuelationem ei narrante, homo vitam mutauit, & in magna perfectione finiuit. *In vitis Patrum de Sancto Paphnutio.*

Item, vide Exemplum. e.

PERSEQVVTIO.

A. ANte Imperium Maximi Conſtantini, quicūque fuerunt Imperatores cōtra Chriſtianos inſanierunt. Diocletianus namque paſſionis ſalutaris die, in omni imperio deſtruxit Eccleſias, ſed nouem annis tranſactis iſtæ quidem floruerunt, ille poſt rabiem ſuam extinctus eſt. *Theodoretus in trip. hiſt. lib. 10. cap. 33.*

Item, vide Attilia. a. Blaſius. a l. Hier. d.

PESTILENTIA.

A. PErſecutiones Chriſtianorum, quarta iam poſt Neronem vice in Aſia, & Gallia, graues, præcepto Marci Antonij extiterunt, ſequutaque eſt lues pluribus infuſa prouinciis, vt paſſim villæ, agri, atque oppida ſine habitatore, in ſpinas ſiluaſque conceſſerint. *Oroſius de orcheſtra mundi, libro ſeptimo.*

B. Constantini Iunioris temporibus, adeo pestis Titium depopulata est vt Ciuibus per iuga montiū fugientibus intra vrbem herbæ nascerentur. Tūc etiam visibiliter multis apparuerunt Angeli bonus & malus pergentes per ciuitatem, quorum malus venabulum manu ferebat, qui quoties de venabulo ostium cuiusque domus iussu boni Angeli percussisset, tot de eadem domo sequenti die hominū cadauera trahebantur. Sed quibusdam probis viris reuelatio facta quod non prius quiesceret lues, quam in basilica S. Petri Apostoli Sebastiani martyris altare conderetur. Factumque est ita. Nam delatis ab vrbe Roma S. Sebastiani reliquijs, mox vt in dicta basilica statutum est altare, pestis illa quieuit. *Hugo Floriac. in chron. lib. 6. Paulus Diac. l. 6. c. 3. de gestis Langob.*

C. Cum Romani in quadragesima continenter vixissent, & in Pascha corpus Christi suscepissent, postmodum omnibus vitijs fræna laxabant. Ideo Dominus pestem quam inguinariam vocant, misit in eos. Tam sæua autem fuit vt homines in via, in mensa, in colloquijs, subito morerentur. Sæpe cum ipsa sternutatione quidam spiritum exhalabant. Vnde cum aliquis aliquem sternutantem audiebat, statim occurrens, Deus te adiuuet, inclamabat. Rursus cum aliquis oscitabat frequenter subito spiritum emittebat, vnde cum aliquis se vel oscitare sentiebat, continuo signū Crucis sibi imprimebat. *In aurea legēda sub titulo de Litania Maiori. Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij lib. 1. cap. 37.*

D. Sulpicio G. Boetio, Licinio, Stolone Consulibus, intoleranda vis ortæ pestis vrbem nostram á bellicosis operibus reuocatam, domestici & intestini mali cura afflixerat. Iamque plus in exquisito & nouo cultu religionis, quam in vllo humano consilio positum opis videbatur. Itaque placandi Dei gratia compositis carminibus vacuas aures præbuit. *Valer. lib. 2. cap. primo.*

Item, vide Alexander a Brachmani. a. Maria. d. Mirabile. m. Prodigium. c. d. Roma. b. a p.

S. Petrus Apostolus.

Qualis cibus Petri Apostoli fuerit, vel indumentum ipse hoc in libro Clementis testatur. Panis inquit, solus mihi cum oliuis, & raro cum oleribus in vsu est. Indumentū hoc est mihi quod tu vides, tunica cum pallio, & hæc habens nihil aliud requiro. *In aurea legenda sub titulo de S. Petro Apostolo.* A.

B. Fertur quod in sinu sudarium portabat, quo lachrimas crebro fluentes tergebat: quia quando dulcis allocutionis Domini, atque præsentiæ memor erat, præ nimia amoris dulcedine lachrimas continere non poterat. *Ibidem & in itinerario Clementis.*

C. Petrus crucifixus est deiecto capite deorsum, quos ipsum ita fieri deprecatus est, ne exæquari Domino videretur. *Eusebius in Eccles. histor. libro tertio, capite primo.*

D. Cum dubitarent quæ essent ossa Petri, & quæ Pauli, orantibus fidelibus & ieiunantibus, de cælo eis est responsum: Maiora ossa sunt prædicatoris. Minora vero piscatoris. *In aurea legenda de SS. Petro & Paulo.*

E. Priuilegiatus erat Petrus in miraculis, & maiora legitur fecisse quam Christus. *In historia scholast. parte octaua, capite 24.*

F. Altera. Dixit Angelus ad Petrum, præcingere & calcea te: Deposuerant enim cingulum per molestiam carceris, vt tunica circa pedes demissa temperaret fri-

ret frigus noctis. In quo datum est exemplum viris sanctis, quod in angustijs liceat relaxare de rigore ordinum. Legimus enim Apostolos & prophetas duris cingulis vsos propter afflictionem carnis, & Petrum ad tēpus deposuisse cingulum propter molestiam carceris. *In historia scholastica, parte 8. cap. 6.*

Item, vide Papa. a.

PHARISÆI.

A. PHarisæi cultu austero, & victu perpauco vtebantur: traditiones suas statuētes, quibus traditiones Moysi determinabant. Pictatia chartarum in fronte gerunt, & sinistro brachio circumligata, quibus decalogus inscriptus erat, & hæc dicebantur phylacteria. Isti etiam maiores fimbrias alijs ferentes, spinas eis alligabant, quibus puniti in deambulādo, memores mandatorum Dei fierent. Hi omnia fato deputabant. Præpositis suis, & natu maioribus nunquam contrarium respondebant, iudicium Dei futurum dicebant, animam omnem incorruptam esse, solas bonorum animas in alia transire corpora vsque ad resurrectionem & iudicium, malorum autem retrudi æternis carceribus. *In historia scholastica parte septima, capite 33. Epipha. hæresi 16. Ioseph. lib. 2. de bel. Iud. cap. 7.*

PHILOSOPHIA.

A. IVlianus Apostata interdixit Galilæorum filijs (sic enim Christianos appellabat) Poetarum, Rhetorum, & Philosophorum legere disciplinas. *Ecclesiast. histor. lib. decimo, capite 32. Sozomenus lib. 5. cap. 18.*

B. Quid, inquit, Philosophiæ perscrutator, tibi philosophia contulit? Ab Aristippus, vt cum omnibus, ait, hominibus intrepidè fabularer. *In Polycratico libro quinto, capite vltimo. Ioannis Saresb.*

Eubulus philosophus interrogauit Basilium, quæ esset definitio philosophiæ, qui respondit: Meditatio mortis. *In vita S. Basilij apud Surium 1. Ianuarij.* C.

Nunc primum censes apud improbos mores lacessitam esse periculis sapientiam, quasi dicat, non debes. Alloquitur philosophia Boetium. Et subdit: Nonne apud veteres ante nostri Platonis ætatem, magnum sæpe certamen cum stultitiæ temeritate, id est, cum temerarijs stultis certauimus? eodemque superstite præceptor eius Socrates iniustæ victoriam mortis me astante promeruit? *Boetius de consol. philosophiæ, libro primo, prosa tertia.* D.

Italicum genus philosophorū, authorem habuit Pythagoram Samiū á quo ferūt philosophiæ nomē exortum. Nam cum antea sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ alijs præstare videbantur. Iste interrogatus, quid profiteretur, philosophum se esse respondit, id est studiosum vel amatorem sapientiæ. *Augustinus de ciuitate Dei lib. 8. cap. 2. Tullius 5. Tusc.* E.

Sicut de Socrate quidam suspicantur, ideo purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, vt deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna se attolleret. *Augustinus de ciuitate Dei, libro octauo, capite tertio.* F.

Item, vide Astrologia. e. Cœlus. c. Continentia. b. Habitus. a. Nero. a. Origenes. f. k. Patientia. t. a z. ar. Quæstio. b. Vxoris.

PILATVS.

A. EVsebius dicit quod Pilatus in multas calamitates incidens manu propria se peremit. *In aurea legenda de passione Christi. Paulus Diaconus libro septimo Miscella.*

Hist. Eccles. lib. 2 cap. 7.

Pilatus aut Viennam in Gallia, vt scribunt Cassiodorus & Ado in Chronico, relegatus est, aut Lugdunum, vt Hieronym. Math. 2. & D. Antoninus hist. 1. p. tit. 6. cap. 20. nō fuit gallus, neque enim in propria patria exulare, etsi inde diu absuerit, vllus iubetur.

B. Pilatus accusatus est in multis apud Tiberium. Accusatus est enim à Iudæis de violenta interfectione innocentum, accusatus est etiam quia Iudæis reclamantibus ponebat imagines gentilium in templo, etiam quia pecuniam repositam in corbonam redegerat in vsus suos, faciens inde aquæ ductum in domum suam, & pro omnibus deportatus est in exilium Lugduni vnde oriūdus erat, vt ibi in opprobriū generis sui moreretur. *In hist. schol. parte 8. cap. 56.*

Euseb. l. 2. hist. ca. 6.

Item, vide Exemplum. f.

PINGVEDO.

Vide Corpus. a.

PISCIS.

A. PIsces in gurgitibus ad speciem auri conueniunt, vnde Nero aureis (vt aiunt) retibus piscabatur. *In Polycratico. Ioannis Saresb. libro octauo, capite decimo-octauo. Orosius libro septimo de Orchestra mundi cap. 7.*

PYTHAGORAS.

A. DE honestate vitæ Pythagoræ, qualiter cum discipulis habuit omnia communia, dicit *Agellius libro octauo, capite 8.* nec transeundum, inquit, quod omnes qui à Pythagora in cohortem illam recepti erant, quod quisque pecuniæ habebat, in medium diuulgabatur. *Ioannes Galensis.*

B. Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est, vt quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas existimarent. *Valerius libro octauo, capite decimo-octauo.*

Vide Philosophia. e.

PLATO.

A. SPeusippus sororis Platonis filius, & Clearchus in laude Platonis, & Anaxilides in secundo libro philosophiæ. Perictionem matrem Platonis phantasmate Apollinis oppressam ferunt, & sapientiæ Principem non aliter, nisi de partu virginis editum, arbitrantur. *Hieronym. libro primo contra Iouinianum capite 26. Laertius in Platone.*

B. Platonici & Stoici in templorum lucis & porticibus versabantur, vt admoniti augustioris domus, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent. Sed & Plato cum esset diues, elegit academiam ab vrbe procul non solū desertam, sed & pestilentam, vt assiduitate morborum, libidinis impetus frangerentur, discipulique nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent. *Idem contra eundem lib. 2. cap. 7.*

C. Academici dicti sunt ab academia, vnde Plato fuit oriundus, qui eundem suæ natiuitatis locum & studendi vsu & discipulorum frequentia fecit insignem, illumque cæteris prætulit. *In Polycratico libro quarto, capite tertio. Ioannis Saresberiensis.*

D. Inter discipulos Socratis, non immerito excellentissima gloria claruit

Plato,

Plato, qui cum esset Atheniensis, honesto loco natus, & ingenio mirabili longè suos condiscipulos anteiuit, parum tamen putans perficiendæ philosophiæ sufficere seipsum, ac Socraticam disciplinam, quam longè lateque potuit, peregrinatus est, quaquauersum eum alicuius nobilitatæ scientię percipiendæ fama rapiebat. Itaque in Ægypto didicit, quæcunque illic magna habebantur, & inde in eas partes Italiæ veniens, vbi Pythogoricorum fama est, quidquid Italicæ philosophiæ florebat, comprehendit. *Augustinus de ciuitate Dei libro octauo, capite quarto.*

B. Quia Socratem singulariter amabat, eum loquentem faciens ferè in omnibus sermonibus, etiam illa quæ ab alijs didicit, cum illius lepore, & moralibus disputationibus temperauit. *Ibidem.*

F. Initium Euangelij secundum Ioannem quidam Platonicus, sicut à S. sene Simpliciano solebamus audire, aureis literis conscribendum, & per omnes ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. *Augustinus de ciuitate Dei libro decimo, capite vigesimo-nono.*
Item, vide Discere.

Plinius Secundus.

A. EQuestribus militijs industriè functus, procurationes quam splendidissimas, & continuas integrè administrauit, & tamen liberalibus studijs tantam operam dedit, vt non temerè quis in otio plura scripserit. *In speculo histor. libro vndecimo, capite sexagesimo-sexto.*

Pluuia.

ANno ab vrbe condita 480. plurimis locis scaturiens è fontibus cruor fluxit, & de nubibus guttatim in speciem pluuiæ lacte demisso, diri, vt ipsis Romanis visum est, terras imbres irrigarunt. *Orosius libro quarto de Orchestra mundi, capite quinto.* A.

Anno 21. Ludouici Imperatoris, filij Lotharij, cometes solito rutilantior apparuit, subita & nimia aquarum inundatio facta est in Iunio, ita vt in Saxonia, villa quædam longè & à torrentibus, & fluminibus remota, in momento cum hominibus & bestijs, arboribus & ædificijs cum Ecclesia & altari penitus fit absorpta. *In speculo histor. libr. 25. cap. 41. Dicit Martinus Polonus quod eiusdem tempore 3. diebus & 3. noctibus sanguis de cælo pluisse fertur, quæ autem pluuia rubea possit naturaliter generari, tradit Barthola. Anglicus de proprietatibus rerum libro vigesimo-primo, capite septimo.* B. *Sigeb. ad annum 874.*

Pollutio.

CVm S. Malachias Archiepiscopus sacramenta offerret, & appropinquaret ei Diaconus, intuitus eum ingemuit, quod sensisset penes illum latere, quod non conueniret. Peracto sacrificio secretò percontatus de conscientia sua, confessus est illusum se per somnium nocte. Cui iniungens pænitentiam, non debueras, inquit, hodie ministrasse, sed verecundè te subtrahere, vt hac humilitate purgatus, dignius exinde ministrares. *Bernardus in vita sancti Malachiæ, capite quadragesimo-septimo.* A.

B. Cum quidam monachus ad obsessum energumenum accessisset, multo astante populo eum cum irrisione mordaci dæmonium inclamauit, dicens: Eya frater, eya, nunquid pulchram tibi in hac nocte mulierem in somnis adduxi? Ipse enim in somnis pollutus fuerat illa nocte, & non cõfessus fuit. *Cantipratanus libro secundo de apibus, cap. 57.*

Item, vide Eucharistia. d.

PODAGRA.

Vide Abstinentia. g.

POETA.

A. POetæ talium fabularum compositores, in quibus scilicet hominum vitia vera vel ficta carpebant, duodecim tabularum lege prohibentur famam lædere Ciuium. *Et infra.* Plato cum ratione formaret, qualis esse ciuitas debeat, vt aduersarios ciuitatis Poetas censuit vrbe pellendos. *Augustinus de ciuitate Dei libro secundo, cap. 14.*

POMPA.

Vide Cato. c. Honor. a g.

POPVLVS.

Vide Ingratitudo. i.

PORTENTVM.

Vide Mirabile. b. p.

POTENTIA.

A. AGnus & lupus sitientes, ad riuulum conuenerunt, sursum bibebat lupus, inferius agnus. Dixit lupus agno: Tu mihi turbasti aquam. Agnus ait: Quomodo tibi turbaui aquam, cum à te ad me decurrat? Cui lupus: Et maledicis mihi? Et ille: Non maledixi. Ad hæc lupus. Pater tuus multa mala intulit mihi, & me modo vindicabo, & insiliẽs in eum, strangulauit eum. *Aesopus in fab.*

B. Dixit S. Cæcilia Almachio præfecto, potestas vestra est quasi vter plenus vento, quem si acus pupugerit, protinus incuruatur quidquid rigidum in se habere cernitur. *In aurea legenda de S. Cecilia.*

C. Regum familiares, regia potestas sæpe incolumis, sæpe autem elapsa prosternit. Nero Senecam suum præceptorem, ad eligendæ mortis coegit arbitrium: Papinianum inter aulicos potentem, militum gladijs Antonius obiecit. *Boetius de consol. Philosophiæ lib. 3. prosa quinta.*

D. Aristophanis, altioris est prudentiæ præceptum, qui in comedia introduxit remissum ab inferis Atheniensium Tyrannum Periclem, vaticinantem non oportere in vrbe nutriri leonem, sin autem alitus sit, obsequi ei conuenire. Monet enim vt præcipuæ nobilitatis, & concitati ingenij iuuenes refrenentur, nimia vero indulgentia pasti, quo minus potentiam obtineant, ne impediantur, quod stultum & inutile sit eas obtrectare vires, quas ipse foueris. *Valerius libro septimo, capite secundo. Aristophanes in ranis.*

E. Sertorius corporis robore & animi consilio fretus, proscriptione Syllana dux Lusitanorum fieri coactus, cum eos oratione flectere non posset, ne cum Romanis vniuersis acie confligere vellent, vafro consilio ad suam sententiam perduxit, duos enim in conspectu eorum constituit equos, alterum validissimum, alterum infirmissimum, ac deinde validi caudam ab imbecilli sene paulatim carpi, infirmi á iuuene vniuersam iussit conuelli. Obtemperatum est Imperio, sed dum adolescentis dextera irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium assequuta est. Tunc barbaræ concioni, quorsum ea res tende-

Front. Strateg. 1. cap. 10. Plut. in vita Sertorij.

tenderet nosse cupienti, subdit. Equi caudæ similem esse putata exercitum Romanorum, cuius partes aliquis aggrediens opprimere possit, vniuersũ conatus prosternere, celerius tradiderit victoriam, quam occupauerit: ita gens barbara, & regi difficilis, in exitium suum ruens, quam vtilitatẽ auribus respuerat, oculis præuidit. *Valerius libro septimo, capite tertio.*

Item, vide Adulatio. d. Babylon. a. b. Beatitudo. b. c. Diogenes. c.

Potus.

A. DArius in fuga, cum aquam turbidam bibisset, negauit se vnquam bibisse iucundius: nunquam sitiens biberat, nec esuriẽs Ptolomæus ederat. Cui cum peragranti Ægyptum, in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. *Tullius libro quinto Tusculanarum quæstionum.*

Preces.

A. VEnit Iudex regionis alicuius de prouincia, Abbatis pastoris, & rogarunt omnes habitatores loci illius eundem, vt veniens rogaret eum. Qui dixit: Sinite me tres dies, & tunc veniam. Orauit ergo senex ad eum dicens: Domine noli mihi dare gratiam hanc, alioquin non me permittent homines sedere in loco isto. Veniens ergo rogabat Iudicem. Qui dixit: Pro latrone rogas Abba. Gauisus est autem senex, quia non obtinuit apud Iudicem gratiam, & redijt in cellam. *In vitis patr. lib. 21. p. 3.*

Item, vide Amicitia. a. b.

Præceptum.

A. QVando fratres profecturi erant ad messem, dicebat eis Abbas Isaac. Iam vobis nulla mandata dabo, quia non obseruatis. *In vitis Patrum libro sexto, parte prima.*

B. Senatus ambiguæ laudis existimabat Ciuem, qui debitis Reipublicæ officijs non sua sponte, sed iussus fungeretur, quia quidquid imperio cogitur, agenti magis quam præstanti acceptum refertur. *Valerius libro secundo, capite primo.*

C. Papirius cum aduersus imperium eius Fabius Rutelianus Magister equitum in aciem exercitum eduxisset, quanquam fusis Samnitibus, tamen nec virtute eius, nec successu, nec nobilitate motus, virgas expediri, eumque nudari iussit verberibus lacerandum. *Idem libro secundo, capite septimo. Liuius lib. octauo.*

D. L. Domitius cum Siciliam per prætorem regeret, & ad eum magnus aper allatus esset, adduci ad se pastorem cuius manu occisus erat, iussit, interrogatumque quo telo eam bestiam confecisset, postquam cognouit vsum venabulo, cruci suffixit, quia ipse ad exturbanda latrocinia, quibus prouincia vastabatur, ne quis telum haberet, edixerat. *Idem Valer. libro sexto, capite tertio. Cicero Verr. 7.*

E. Licinius Stolo cum lege sanxisset, ne quis amplius quam quingenta agri iugera possideret, ipse mille comparauit, simulandique criminis gratia dimidiam partem filio emancipauit, quam ob causam à M. Popillio Lænate accusatus, primus lege sua cecidit, ac docuit nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius sibi quisque imperauit. *Valerius libro octauo, capite sexto. Liuius 7. Plutarch. in Camillo. Plin. 18. cap. 7.*

Item, vide Lex. c. d. e. f. Malitia. a. Obedientia. o. Roma. a. k.

PRÆDESTINATIO.

A. Obtinere non possunt S. viri quæ prædestinata non fuerunt: sed ea quæ orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineatur. Constat quia Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinauerat, & tamen scriptum est, deprecatus est Isaac Dominũ pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui dedit conceptum Rebeccæ. Constat, quia prædestinatio precibus impletur, quando is in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit vt filios habere potuisset. *Gregorius in Dialog. libro primo, capite octauo.*

Genes. cap. 25.

B. Ludouicus Lātgrauius Thuringiæ, literatus tanto errore erat deceptus, vt se assereret necessario saluandum, si prędestinatus esset, vel damnandũ si præscitus, dicebatque horam mortis suæ non posse se effugere, vel anticipare, & ideo multis vitijs se exponebat. Tandem grauiter infirmatus, medico dixit vt curam adhiberet. Medicus illius errorem non ignorans, dixit: Domine si dies mortis vestræ venerit non potero vos curare. Cui infirmus. Quomodo sic respōdes? Scio quod nisi cito mihi subueniatur, moriar ante tempus. Tunc medicus: Si creditis vitam vestram protelari virtute medicinæ, quare hoc negatis de pænitentia quæ est medicina animæ? Considerans Lantgrauius virtutem verborum, dixit: De cætero esto medicus animæ, quia per tuam medicinalem linguam liberauit me Deus à maximo errore. *Cæsarius in l. 1. cap. 27. miraculorum.*

Item, vide Cyrus. b.

PRÆDICATIO.

A. Qvadam vice sancto viro Nonno Episcopo populo in Ecclesia predicante, nihil in eo Rhetoricum, aut humanæ ventositatis resonabat, sed in spiritu sancto corrigebat errantes, futurum iudicium commemorans, cuius monitis ita sunt populi corda compuncta, vt pauimentum Ecclesiæ lachrymis inundaret. *In vita S. Pelagiæ.*

B. Melius docet vita, quam litera, melius bona fama, quam lingua. Vnde S. Bernardus dum apud Teuthonicos latinè prædicaret, omnes ad lachrymas, licet non intelligerent, cōmouebat. Finito sermone, quidam literatus sermonē exposuit apertissimè, nec aliquos ad lachrymas mouit. *In gestis eius.*

Item, vide Auditus. a. b. Clericus. h. Gloria temporalis. h. Iactantia. b. Index. n. Legatus. a. Luxuria. i. Missa. g. Sermo. a. b. c. Somnus. b. c.

PRÆLATIO.

A. Liber à tentationis vitio S. Benedictus, iure iam factus est virtutum magister. *Et infra.* Liquet Petre, quod in iuuentute grauius tētatio ferueat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat. Electi ergo cum in tentatione sunt, subesse eos & seruire necesse est, & obsequijs laboribusque fatigari, cum vero iam mentis ætate tranquilla calor recesserit tentationis, doctores animarum fiunt. *Gregorius in Dial. libro secundo, capite secundo.*

B. Augustinus de se dixisse legitur. In nulla sentio mihi Deum sic iratum, sicut in hoc, quod cum non essem dignus poni ad eremum, posui

me ad

me ad amplustre, in apice regiminis Ecclesiæ. *In aurea legenda de eodem*.

C. Apud Hierapolim mortuo Episcopo, Nilammonem monachum elegerunt Ciues. At cum crebro refugeret, Theophilus Alexādrinus Episcopus suadebat ne sacerdotium refutaret. Tunc ille promisit dicens: Cras quod Domino placet, implebitur. Alia vero die venientes ad cellā eius, cogebant eum. Tunc ille: Prius, inquit, oremus. Quod dum Theophilus laudasset, precatur & ipse. Nilammon autem repentè terminum vitæ cum oratione suscepit. *Sozomenus libro octauo, capite decimo-nono.*

D. Quidam Abbas decedens rogauit monachos vt ipso defuncto, eligerent nepotem suum, quo facto Abbas nouus deambulans in horto suo iuxta quendam fontem audiuit vocem dolentem cum gemitu, quam cum adiurasset Abbas, illa dixit, quod erat anima Abbatis auunculi sui, quæ ibi inæstimabiliter vrebatur, quia carnaliter procurauit ipsum fieri Abbatem. Cui cum nepos diceret. Quomodo in fonte frigido sic potes vri? Affer, inquit vox, candelabrum cupreum de ecclesia. Quod cū proiectum fuisset in fontem, liquefactum est, vt cera in igne. Quo viso renuntiauit abbatiæ, nec vltra vocem audiuit. *Humbertus in libro de dono timoris. Præclarum in hoc genere extat exemplum in vita S. Vdalrici Episcopi apud Surium 4. Iulij.*

E. Plato luculenter eos qui de Republicæ gerendo magistratu contendunt, ita inter se versari asserit, vt si nautæ sub aduersa tempestate decertent, quis eorum debeat potissimum gubernare. *Ioannes Saresberiensis in Polycratico libro quinto, capite vndecimo.*

F. Mauritius primo Oenomanensis Episcopus, & post Rothomagēsis Archiepiscopus, vix cum patientia potuit videre, quod in vna die, pro tota familia sua, libras tres aut quatuor procuratores expenderent, cum tamen eius eleemosynarius, omni die, decem aut duodecim in pauperes expendebat. Dicebat autem æconomis, cum annos redditus suæ diœcesis ad duodecim milia librarum computarent, duo aut tria millia ad strictissimum victum nostræ familiæ conseruetis, in reliquis nihil habeo: pauperum enim sunt. Qualiter autem vixit, & quam miraculosè episcopatum fuerit adeptus. *Cantipratanus libro primo de apibus capite primo & octauo.*

G. Simon Petrus, tempore quo finem vitæ sibi imminere præsensit, in cōspectu fratrum positus, apprehēsa manu mea sic dixit: Fratres hunc Clementem vobis Episcopum ordino, qui mihi ab initio vsque ad finem cōmodus fuit. Cumque ad eius procidens pedes, flerem, respondit: Tu peccati periculum timens, fugis cathedram. Certus es quia amplius peccasti, qui populum Dei cum possis iuuare, subterfugis, tui consideratione habens, & non quod necessario expedit, prouidens. *Clemens in epistola ad Iacobum Hierosolymitanum, & recitatur in Chronico Martini.*

Item, vide Ambitio. a. b. c. Auaritia. a. Aug. b. i. Benedictus. c. Clericus. h. Detractio. h. Humilitas. g. Principatus. Simonia. g. Thomas Aquinas. a.

PRÆMEDITATIO.

A. Roscius scenicus, nullum vnquam spectante populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Quare non ludi-

ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicram artem commendauit, nec vulgi tantum fauorem, verum etiam principum familiaritates amplexus est. *Valerius lib. 8. cap. 74.*

PRÆSAGIVM.

A. MOx vt S. Marcus Alexandriam ingressus est, subito, eius calceamentum ruptum est, quod in spiritu intelligens ait. Verè expeditum fecit Dominus iter meum, nec me Sathanas poterit impedire, quem ab operibus mortuis Dominus iam absoluit. *In legenda S. Marci.*

Petrus Blesensis de hoc facto B. Marci ita sentit epist. 65. Ego indubitanter credo S. Euangelistam hoc non ex superstitiosa curiositate dixisse: cui, etsi nunquam calceus ruptus esset, ei tamen sui expeditionem itineris per spiritum Sanctum Dominus reuelasset. Huiusce rei etiam meminit Petrus de Natalibus in catal. lib. 4. cap. 86. & lib. 9. cap. 19. & Metaphrastes in tomo secundo Surij.

PRINCIPATVS.

A. CVm persuaderetur Tiberio quod tributa regionum augeret, respondit: Pastoris est tondere pecus, non deglubere. *Suetonius in vita Tiberij.*

B. Olim mos fuit bonarũ artiũ studia mãdare litteris atque in libris offerre principibus, quia nec recte aliquid inchoatur, nisi post Deũ fauerit Imperator, nec quenquam magis decet meliora scire, vel plura, quam principem. *Vegetius de re militari libro secundo, capite primo.*

C. Traianum Cæsarem cum amici culparent, quia nimis se communem priuatis hominibus exhiberet, respondit talem se velle esse Imperatorem priuatis, qualem sibi esse Imperatorem priuatus optasset. *Eutropius libro nono Romanæ historiæ capite primo.*

Plutarchus, quatuor Principibus inculcare conatur, scil. reuerentiam Dei, cultum sui, disciplinam officialium, affectum & protectionem subditorum. *Helinandus in Chronicis.* D.

Præclarè fertur dixisse Themistocles. Magistratus à ludis & leuioribus esse arcendos, ne Respublica ludere videatur, defectũque sui relicta grauitate pronunciet. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro primo, capite quarto.* E.

Assyriorum discute plagas, & historiarum testimonio conuinces regna eorum impulsu luxuriæ esse subuersa. Imperium Romanum ferè exhaustum est & diuulsum Nerone imperante, cuius gula ferè omnia deuorauit, maculauit libido, exhausit auaritia, fregit ignauia, luxuria cum superbia exinnaniuit: Hic nullam vestem bis induit. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro sexto, capite decimoquarto.* F.

Duo præcepta fuerunt Platonis volentibus prodesse Reipublicæ. Vnũ vt vtilitatem Ciuium sic tueantur, vt quæcunque agunt, ad eam referant, obliti cõmodorum suorum, alterum vt totum corpus Reipublicæ curent, nedum partem aliquã tueantur, reliquam deserant: *Ioannes Galensis.* G.

Ne Numidæ quidem Reges vituperandi sunt, qui more suæ gentis nulli mortalium osculum ferebant. Quidquid enim in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine, quo fit venerabilius, vacuum esse conuenit. *Valerius libro secundo, capite septimo.* H.

Cornelius Scipio Hispalli filius, cum ei Hispania sorte obuenisset, ne I.

illuc

illuc iret, decreuit, adiecta causa, quod rectè facere nesciret. *Valerius libro sexto, capite tertio.*

K. Cum Manlio consensu omnium Consulatus deferretur, eumque sub prætextu aduersæ oculorum valetudinis recusaret, instantibus cunctis: Alium, inquit, Quirites quærite, ad quem hunc honorem transferatis, nam si eum me gerere coegeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium ferre poteritis. *Valerius libro sexto, capite quarto. Liuius libro vigesimo-secundo.*

L. Cum Sulpitius Seruius Galba, & Aurelius Cotta Consules in Senatu contenderent, vter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter Patres conscriptos dissensio esset, omnibus quonam Scipionis Æmiliani sententia inclinaretur expectantibus. Neutrum, inquit, mitti mihi placet, quia alter nihil habet, alteri nihil est satis. Quo dicto vt neuter mitteretur, obtinuit. *Idem ibidem.*

M. Pittacus Mitylenæus tam diu imperium sustinuit, quamdiu bellum de Sygæo cum Atheniensibus gerendum fuerit. Postquam autem pax victoria parta est, reclamantibus Mitylenæis illud deposuit, ne Dominus ciuium, vltra quam necessitas exegerat, permaneret. Cum ei etiam recuperati agri dimidia pars offerretur, auertit animum, deforme iudicans virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere *Idem libro sexto, cap. 5. Laertius in vita Pyttaci.*

N. Aristoteles Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum mittens, monuit, vt cum eo aut nunquam, aut iocundissime loqueretur, quod scil. apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. At ille dum Alexandrum Macedonem Persica in salutatione gaudentem obiurgat, & ad Macedonicos mores inuitum reuocare beneuolè perseuerat, spiritu carere iussus seram neglecti salubris consilij pænitentiam egit. *Idem libro septimo, capite secundo. Plut. in vita Alex. Curtius libro octauo. Iustinus libro decimo-quinto.*

Iudices Romani eum qui venerari Principes nesciret, in quodlibet facinus procursurum crediderunt. *Idem.* O.

Tribuni plebis quamuis pro commodis plebis excubabant, inque imperijs compescendis occupati erant, instrui tamen ea argenteis vasis & annulis aureis publicè prebitis patiebantur, quod talium rerum vsu, authoritas magistratuum esset ornatior. *Idem libro secundo, capite primo.* P.

Continentiæ prædictorum magistratuum tantum tribuebatur, vt multorum æs alienum, id est pecunia alijs debita, quia prouincias sincerè administrauerant, à Senatu persolutum sit. Nam quorum opera publica authoritate splendorem suum procul obtinuisse viderant, eorum dignitatem domi collabi, indignum esse arbitrabantur. *Ibidem.* Q.

Item, vide Alexander. g. l. Ambitio. d. e. Auaritia. o. Bellum. g. Cato. c. Consiliarius. l. Dux. c. Episcopus. h. Imperator. c. Pax. a.

PRODIGALITAS.

Nero nullam vestem bis induit, piscatus est reti aureo, habebat cænacula rotunda, quæ diebus ac nocte vice mundi circumagerentur. Tandem exhaustis thesauris, cæpit nobiles punire & occidere vt eorum substantias confiscaret. *Suetonius de duodecim Cæsaribus libro 6.* A.

Item, vide Amicitia. i. Conuiuium. b.

PRODIGIVM.

A. Præcipuæ admirationis illa prodigia quæ G. Volumnio, Seruio, Sulpicio Consulibus in vrbe nostra acciderunt. Bos namque mugitu in sermonem humanum commutato audientium animos exterruit. Carnis quoq; partes in modũ nimbi dissipatæ ceciderunt. *Valer. lib. 1 cap. 6. Liuius lib. 7. Dionys. 10.*

B. Puerum infantem semestrem in foro boario locutum. Aliũ cum elephantino capite natum, in Piceno lapidibus pluisse. Aquas sanguine mixtas fluxisse. Bello etiam Punico secũdo constat bouem dixisse: Caue tibi Roma. *Liu. 21. 27. Plut. in Fabio. Val. ibid.*

C. In exercitu Xerxis quem aduersus Græciam contraxerat, equi partu leporem editum constat, quo genere monstri tanti apparatus significatus est euentus. Nam qui mare classibus, terram pedestri exercitu operuit, vt animal pauido gressu regnum suum repetere coactus est. *Valerius libro 1. capite 6. Herod. 7.*

D. Eidem admirabile inter cænã prodigium incidit. Infusum namque pateræ eius vinum, in sanguinem nõ semel, sed iterum, & tertio conuersum est, qua de re consulti magi, monuerunt, vt ab incæpto proposito abstineret. *Ibidem Valer.*

E. Nidæ, cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Augures responderunt omnium illum mortalium futurum ditissimum, quod & accidit. *Idem ibidem. Tullius 1. diuinat.*

F. Formicis Nidæ merito apes Platonis prætulerim. Illæ enim caducæ ac fragilis, hæ solidæ & æternæ fælicitatis indices extiterũt, in cunis paruuli labellis mel inferendo. Qua re audita, prodigiorum Interpretes singularem eloquij suauitatem ore eius emanaturam dixerunt. *Ibidem Valer. & Tullius.*

G. Anno ab vrbe condita 519. dira miseram vrbem terruere prodigia. Namque in Piceno flumen sanguinem effluxit: & apud Tuscos cælum ardere visum est; & Arimini nocte multam lucem claram effulsisse. Anno 533. solis orbis minui visus est. *Orosius de Orchestra mundi, libro quarto, capite decimo-tertio. Plut. in Marcello.*

H. Anno ab vrbe condita 659. sub ortu solis, globus ignis è regione septentrionis, cum maximo cæli fragore emicuit. Apud Arretinos cum panes per conuiuia frangerentur, cruor ex ijs quasi ex vulneribus fluxit. Per septem dies grando cum testarum fragmentis terram verberauit. In Samnitibus ex terræ hiatu flamma prorupit. *Orosius de Orchestra mundi libro quinto, capite 18.*

I. Antequam Alboinus Rex Longobardorum Italiam inuaderet, igneæ acies in cælo apparuerunt humano sanguine qui postea fusus est coruscantes. *Hugo Floriacus libro quinto, & Sigeb. ad annum 595.*

K. Anno Mauritij Imperatoris 12. apud Cõstãtinopolim, nascitur puer quadrupes, & alter duos vertices habens. *Sigebertus in Chronicis.*

L. Anno Constantini quarti tertio cinis de cælo cecidit. *Ibidem.*

M. Tempore Ludouici Pij fruges grãdine vastantur, & cum ipsa grandine lapides immensi ponderis cadunt. In Gallia ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit, cuius longitudo pedes quindecim, latitudo sex; grossitudo duos pedes habebat. *In speculo histor. libro vigesimo-*

gesimo-quinto, capite 27.

N. Anno Henrici Imperatoris decimo-quarto, domesticæ aues, pauones, gallinæ & anseres omnes fuerunt siluaticæ. *Sigebertus in Chron.*

O. Anno Domini 1188. secunda Februarij fuit Eclipsis Lunæ vniuersalis, & durauit per tres horas. Item quarto idus Februarij paulo ante auroram, visa est luna serenissima nocte vsque ad terras in momento descendere, & facta morula paulatim ascendere. *In speculo histor. libro tertio, capite 45.*

P. Circa annum Domini 1190. pridie idus Martij iuxta Nongentum, militum acies ex aere descendẽtium in terra visæ sunt, ibiq; facta inter se mirabili pugna subito euanuerunt. *Ibid. cap.* 530.

Q. Anno Domini 1212. pueri circiter 20. milia cruce signati sunt, ac per legiones ad diuersos maris portus Massiliam, & Brundusium peruenientes, inanes & vacui redierunt. *In speculo histor. libro trigesimo-primo, capite quinto.*

R. Ante sociale bellum, cuncta animalia humanis vsibus subdita sub hominum dominio fuerunt, subito efferata domesticæ lenitatis oblita libera vagabantur, & omnem accessum etiam dominorum auersabâtur. *August. de ciuit. Dei lib. 3. cap. 23.*

S. Mala quæ vsque adeo incredibiliter acciderunt, vt inter prodigia numerarentur, si Christianis temporibus accidissent, quibus ea nisi Christianis tanquam crimina obijcerent, scil. Romani cultores Deorũ. Omitto boues loquutos, infantes nondum natos vteris matrum verba quædam clamasse, volasse serpentes, fæminas, & gallinas, & homines, in masculinum sexum fuisse conuersos. Hæc forsan fuerunt illusiones diaboli, vel qui sic videbantur conuersi, erant Hermaphroditi in quibus dominabatur sexus fœmineus, postea masculinus; sicut à fide dignis audiui contigisse in quadam villa Flandriæ. Legimus Æthnæis ignibus ab ipso montis vertice vsque ad proximum littus decurrentibus ita mare ferbuisse, vt rupes exurerentur, & pices nauium soluerentur. Et cætera. *Augustinus de ciuitate Dei libro tertio, capite trigesimo-primo. Addit etiam Orosius ibidem, quod inde omnium pariter animãtium pestilentia sequuta est: vt auium, pecudum, ac bestiarum corruptionem aeris dissolutarum.*

Item, vide Hierusalem. a. c. Iulius. a. Mirabile. c. i. k. l. m. Pluuia. b.

PRODITIO.

A. SVlpitius collega Marij seruo suo prodente proscriptus est, seruum vero ipsum quod hostem indicauerat, manumitti, quod vero Dominum prodiderat, de saxo Tarpeio deijci Consules decreuerunt. *Orosius libro quinto, capite decimo-nono.*

B. Nihil detestabilius est nota proditionis in milite, licet Ioab omnia fortiter fecerit, non computatur tamen in cathalogo fortiũ David, quia occiderat Abner. *Petrus Bles. epist. 69.*

C. Camillo Consule Faliscos circumsedente, magister ludi nobilissimos plures pueros inde velut ambulandi gratia eductos in castra Romanorum perduxit, quibus interceptis, non erat dubium, quin Falisci deposita belli gerendi pertinacia, endituri se nostro Imperatori essent. Ea re Senatus censuit, vt pueri vinctum magistrum virgis cædentes in patriam remitterentur. Qua iustitia animi eorum sunt capti, quorum mænia expugnari non poterant.

Valerius libro sexto, capite quinto. Liuius libro quinto. Plut. in Camillo. Frontinus 4. c. 4. Florus lib. 1. cap. 22.

D. Quod sequitur per totum orbem manauit. Timocares Ambraciensis Fabricio Consuli pollicitus est, se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus eius praeerat, necaturum. Ea res cum ad Senatum esset delata, missis legatis Pyrrhum monuit, vt aduersus tales insidias cautius se gereret. Timocaris autem nomen suppressit, vtroque modo aequitatem amplexus, quia nec hostem malo exemplo tollere, nec eum qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit. *Ibidem. Plut. in Pyrrho Agel. 7. cap. 8. Cicero 7. Offic.*

Item, vide Alexander. c. d.

PROLES.

A. ARtaxersi Persarũ Regi, seu Assuero, ex pellicibus 115. filij fuere, sed tres tantum ex iusto matrimonio suscepti. *Iustinus libr. decimo.*

Item, vide Similitudo. c. d.

PROMISSIO.

A. QVidam saccum mille talenta, & serpentem aureum continentẽ amisit, quem pauper inuenit. Altera die praeco clamauit. Qui talem saccum inuenit, reddat, & inde gratis centum talenta habeat. Pauper ergo, malens minus habere sine peccato (licet vxor contradiceret) saccum reddidit, & promissum expetijt, sed diues vt promissum nõ solueret, proposuit, quod duo fuerant in sacco serpentes aurei. Paupere hoc negante, causa deuenit ad Regem. Stabant omnes pro diuite. Cuius misertus quidam philosophus dixit Regi: Rex, multum credendum isti diuiti quod duos amisit serpentes. Ex altera parte si pauper non esset vir bonus, totum retinuisset. Sic autem scies veritatem. Voca diuitem & dicas ei quod ex quo dicit se duos serpentes amisisse, tunc iste saccus non est suus, sed faciat clamari per praeconem de illo cum duobus serpentibus. Tunc vides diues, quod baculo suo percutiebatur, recognouit quod ideo dixerat duos ibi fuisse, quia pauperi promissum reddere nolebat. Cui Rex fecit solui. *Petrus Alphontius.*

Item, vide Iuramentum. k.

PROMOTIO.

A. INcunabula Tullij Hostilij agreste tugurium caepit, eiusque adolescẽtia in pecore pascendo fuit, validior aetas imperium Romanum rexit. *Valerius libro tertio, capite quarto. Liuius libro primo. Dionys. 7. à Valerio dissentiunt.*

B. Socrates non solum hominum consensu, verum etiam & Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, Phanarete matre obstetrice, & Sophonisco patre marmorario genitus ad clarissimum gloriae lumen excessit. *Ibidem Valerius. Laertius in Socrate. Plato in theat.*

C. Quam matrem Euripides, aut quẽ Patrem Demosthenes habuerit ipsorum quoque seculo ignotum fuerit, alterius autem matrẽ olera, alterius patrem cultellos venditasse literae loquuntur. Sed quid aut illius tragica, aut huius oratoria vi clarius? *Ibidem. Agellius lib. 15. c. 20. Suidas de Euripide.*

Item, vide Ambrosius. d. Aug. Caesar. c.

PROPHETIA.

Vide Ioannes Eremita, a. Merlinus. a.

PRO-

PROPRIETARIVS.

A. IN meo monasterio quidam monachus Iustus nomine, medicinæ arte imbutus, languore correptus ad extremum deductus est. Cui frater germanus, Copiosus nomine seruiebat. Cum autem ad extremum perductum se cognouisset, eidem fratri suo, quia occultos tres aureos haberet, innotuit, quod fratribus cælari non potuit, qui eos inuenerunt in medicamine absconsos. Quod vt audiui, æquanimiter ferre non potui. Tunc cogitare cępi quid de eo prouiderem. Præposito ergo monasterij dixi: Vade & nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat, sed cum in morte fratres quæsierit, ei frater carnalis dicat, quia pro solidis illis à cunctis fratribus abominatus sit, vt saltem de culpa sua mentem illius amaritudo transuerberet. Cum vero mortuus fuerit, fossam in sterquilinio facite, & in eam corpus eius proijcite dicentes: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Quod ita factum est. Nam cum moreretur, & quæreret se fratribus commendare, causam frater eius ei indicauit, qui statim de reatu suo vehementer ingemuit, & vt dixi, ita sepultus est post mortem. Cum vero post mortem eius triginta essent dies euoluti, cæpit defuncto compati, eiusque supplicia pensare. Tunc euocato eodem præposito dixi: Diu est quod frater ille in igne cruciatur, debemus ei aliquid charitatis impendere. Vade itaque & ab hodierna die triginta diebus continuis offerre pro eo sacrificium stude. Qui paruit: Post triginta dies idem frater quadam nocte germano suo per visionem apparuit. Quem cũ ille vidisset, ait: Quomodo es frater? Cui ille respondit: Nunc vsque male fui, sed iam bene sum, quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus indicauit fratribus, qui sollicitè computarunt dies, & ipse dies extiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat oblata. *Greg. in Dialog. lib. 4. cap. 55.*

B. Ex monasterio S. Andreæ quadam die duo fratres transmissi sunt, qui aliquid emere pro monasterij vtilitate debuissent. Iunior qui prudentior videbatur, alter senior. Perrexerunt, & de pretio quod acceperant, ipse senior, alio nesciente, de eodem furtũ fecit. Qui mox vt in monasterium sunt reuersi, atque ante oratorij limẽ venerunt, arreptus á dæmonio, is qui furtum fecerat, vexari cæpit. Dimissus autem á dæmonio, requisitus est, ne forsan de eo quod acceperat furtum, fecisset. Negauit, iterum vexatus est. Octo ita vicibus negauit, totiesque vexatus est. Post octauam negationem confessus est, quantos nũmos furto abstulerat, & pænituit, & vlterius ad eum dæmonium non accessit. *Ex vita D. Gregorij libro primo, capite vndecimo.*

C. Ananias cum vxore voluit esse in collegio Iustorum, vt haberet necessaria vitæ suæ sine labore, & voluit sibi accipere præbendam, vt cum vouisset, totum pretium agri venditi poneret ante pedes Apostolorum, nõ soluens votum, defraudauit de pretio agri, conscia vxore, mediam partem reseruans, reliqua ad pedes Apostolorum posuit. *In historia schol. parte octaua, capite 23.*

PROSPERITAS.

A. DIxit Abbas Theodorus. Facilius quis elidi potest prosperis quam aduersis. *Cassianus collat. octaua, capite nono.*

Nasica

B. Nasica Scipio Pont. Max. vester (alloquitur Romanos) ille iudicio Senatus vir optimus, istam vobis metuēs calamitatem, scil. perditorum morum, nolebat æmulam tunc Imperij Romani Carthaginem dirui, & decernenti vt dirueretur, contradicebat Catoni, timens infirmis animis hostem securitatem, & tanquam pupillis Ciuibus idoneum tutorem necessarium videns esse terrorem. Nec eum sententia fefellit, Reipsa probatum est, quam verum diceret. Deleta quippe Carthagine, magno terrore Reipublicæ depulso & extincto, tāta de rebus prosperis orta mala, vt corrupta, diruptaque cōcordia prius sæuis cruentisque seditionibus, deinde mox malorum connexione tantæ strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, vt Romani qui vita integriore, mala metuebant ab hostibus perdita integritate vitæ, crudeliora paterentur à Ciuibus. *Augustinus de ciuitate Dei libro primo, capite* 30.

C. Salomon bonis initijs malos exitus habuit, nam secundæ res quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quam profuit ipsa sapientia. *Idem August. libro decimo-septimo, capite vigesimo.*

Item, vide Aduersitas. a. b. Iudicium Dei. b. c. Luxuria. b. g. Roma. g.

Prouidentia Dei.

A. *Sigebertus istum Regem appellat Agelmundū.* DVm adhuc Longobardi in Germania residerent, Agilbertus Rex eorum septem pueros in piscinam à meretrice proiectos inuenit, quos vno partu ediderat. Quos cum Rex cum hasta reuolueret, vnus eorum hastam Regis manu tenuit, quod ille videns, nutriri eum fecit, & Lamissionem vocauit, qui post štatæ probitatis extitit, quod mortuo Rege eum Longobardi Regem fecerint. *In aurea legenda de S. Pelagio ex Sigeberto ad annum* 479. *in Chronicis.*

B. Anno Domini 1025. Comes Lupoldus iram Imperatoris Conradi metuens, cum vxore in syluam fugiens in quodam tugurio latitabat. In qua silua dum Cæsar venaretur, nocte superueniente in eodem tugurio oportuit ipsum hospitari. Cui hospita vicina partui decenter locum vt potuit & lectum strauit. Eadem nocte illa peperit, & Cæsar vocem tunc audiuit: Hic puer tuus gener erit. Mane ergo surgens duobus armigeris præcepit, vt infantem in nemore occiderent, & cor eius ad se referrent. Qui eum elegantem videntes moti misericordia super quandam arborē posuerunt, & leporem scindentes, cor eius Cæsari portarunt. Eadem die dux quidam transiens, inuentū puerum misit vxori suæ quæ filium non habebat, mandans vt á se genitum diceret & Henricum nominaret. Adultus ergo erat pulcherrimus, facūdus & gratiosus. Quem Cæsar talem videns eum in curia sua retinuit. Cœpit autem postea dubitare an esset is quem occidi mandauerat. Volens esse ergo securus, literas scripsit vxori suæ in hunc modum. Sicut diligis me & vitam tuam, mox vt hanc literam legeris, puerum hunc necabis. Pergens ergo iuuenis ad Reginam in quadam Ecclesia diuertit, vbi dum super bancum fessus quiesceret, bursa eius in qua literæ erant foras depēdente Sacerdos curiositate ductus bursam aperuit, & literas saluo sigillo legit, & scelus in eis contentum abhorrens, abraso, puerum hunc necabis, posuit, huic puero filiam meā dabis. Quod & factum est. Quod Imperator percipiēs obstupuit, & supra modum doluit, sed cognito quod

filius

filius ducis erat, dolor mitigatus est, qui postea Cæsari successit, & in loco natiuitatis suæ monasterium construxit. Iste omnes ioculatores à curia amouit, & quæ ijs dari consueuerant, pauperibus erogauit. *Ibidem. Paulus Langius in Chronico Citizensi hanc esse narrationem commentitiam dicit.*

C. Cuiusdam Regis Cretensis filia cum filium procreasset, pater pudore flagitij iussit eum exponi. Post dies aliquot inuentus est ferarum vario lacte nutritus. Post eum in callem angustum proijci iussit per quem armenta meare consueuerant. Cumque ab armentis non tangeretur, canibus eum proijci iussit, post hæc suibus, post in mare demergi iussus est, vbi sanus litori restitutus, à cerua nutritus est. Inde eximia velocitas puero fuit, & inter greges ceruorum diu peragrauit. Ad extremum laqueo captus Regi dono datus est. Quem recognoscens & miserans successorem sibi constituit. Qui Rex factus leges populo suo adinuenit, boues aratro domari, & frumenta sulco quærere docuit. *Iustinus & Helinandus lib. nono. Et ponitur in speculo histor. libro tertio, capite 53.*

Item, vide Cyrus. b.

PRVDENTIA.

Vide Antonius. g. Calliditas. a.

PVDICITIA.

A. Virginius plebæi generis ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cum Appius Claudius decemvir, filiæ eius virginis stuprum expeteret, deductam in forum puellam, occidit, pudicæque interemptor, quam corruptæ pater esse maluit. *Valerius libro sexto, capite primo. Liuius lib. 3. Dionys. 11.*

B. Atilius filiam, quod stupri se crimine inquinasset, interemit. *Ibidem Valerius.*

C. Græca fæmina nomine Hippo, cum hostium classe esset excepta, in mare se, vt pudicitiam tueretur, abiecit, cuius corpus Erectheo litori appulsum proxima vndis humo sepulturæ mandatum est. *Ibidem.*

Item, vide Castitas. Compassio. e.

PVER.

A. Etsi omnes baptizatos infantes, morientes ingredi regnum cæleste credendum est, omnes tamen pueros regna cæli ingredi credendum non est, quia nonnullis eiusdem regni aditus à parẽtibus clauditur, si male nutriantur. Nam quidam hac in vrbe filium habuit annorum quinque (vt arbitror) quẽ minus carnaliter diligens remisse nutriebat, atque idem paruulus (quod dictu graue est) mox vt eius animo aliquid obstitisset, maiestatem Dei blasphemare consueuerat, qui venit ad mortem. Cumque eum suus pater in sinu teneret, venire ad se spiritus malignos tremẽtibus oculis puer aspiciẽs cæpit clamare. Obsta pater: Qui clamans declinabat faciem. Quem quum quid videret, requireret, dixit: Mauri homines venerũt qui me tollere volunt. Quæ cum dixisset, maiestatis nomen blasphemauit, & protinus animam reddidit. *Greg. in Dialog. libro quarto, capite decimo-octauo.*

B. Illud vehementer reprehẽdo, quod nepotes vestros fouetis in delicijs, palpatisq; blãditijs. Sciatis quod hæc omnia exinanitio sunt virtutum, & subuersio honestatis. Sapiẽs dicit: Filiæ tibi sunt? Hilarem vultum ne ostendas eis. *Petrus Bles. epist. 51.*

C. Vidimus anno Domini 1213. infinitos pueros spiritu arreptos deceptionis, cum signo crucis iter Hierosolymitanum aggressos fuisse, & perijsse diuersis in locis. *Cantipranus libro secundo de apibus cap. 3. Vincent. in speculo histor. lib. trigesimo, capite sexto. Anton. in Chron. Tritemius in chro. Hirsau ad annum 1212. Massew in Chronic. anno 1210.*

Item, vide Alexander. b. Baptismus. d. Index. g. Lex. d. Rigor. b.

PVLCHRITVDO.

A. PVella quædam nomine Alexandria vrbe relicta consederat intra quoddam sepulchrum, per foramen alimenta necessaria suscipiens, & nec viros nec mulieres vnquam per decem annos videns. Interrogata reclusionis causam referebat. Cuiusdam animus in me quondam fuerat læsus, & ne viderer eum vel contristare vel prodere, malui me in sepulchro quamdiu viuo recludere, quam nocere animæ ad similitudinē Dei factæ. A principio diei, dicebat, orationi vaco, & opus ex lino facio, post per S. Patriarchas, Prophetas & Apostolos cogitatione discurro. Cæteris horis, cibum panis capio, appropinquante vespera cū maxima quiete Deum glorifico, finemque vitæ meæ patienter expecto. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus.*

B. Virgo quædam nomine Taor habens in monasterio triginta annos, tam elegantis formæ erat vt etiam castissimum virum eius pulchritudo illicere posset, nisi ita moribus ornata esset, vt incredibilem quendam in seipsā castitatis propriæ custodem haberet, qui turpiter cogitātis oculos ad immensum pudorem & timorem compelleret. *Ibidem.*

C. Quædam nobilis de Anglia varios oculos habere desiderans ob lasciuiā & maiorem pulchritudinem, vouens votum, nudis pedibus sepulchrum S. Thomæ martyris visitauit, quæ cum oraret, surgens inuenit se penitus excęcatā, statimq; cæpit rogare S. Thomam vt iam non varios sed saltem suos sibi redderet. Quod vix valuit impetrare. *In legenda Sancti Thomæ Martyris.*

D. Fuit apud Alexandriam Dorothea virgo nobilis, quæ formæ, decoris & gloriæ tantæ fuit, vt mirum & speciale in ea Dei figmentum crederetur. Sed illa quæ religione animi pulchrior, quam vultu corporis esse studebat, se formam suam Deo potius consecrare, quam vsui hominū indulgere statuit. *In Eccles. histor. libro octauo, capite decimo-septimo.*

Item, vide Anglia. d. Castitas. h. i. Cibus. d. Continentia. f.

PVNITIO.

A. MAuritius Imperator à S. Gregorio vt pro se oraret instanter petijt, quatenus ipsum in hac vita Dominus puniret de malis suis. Quadam ergo vice vidit se ante tribunal Iudicis stare, & iudicem proclamare. Date Mauritium, quem ministri ante Iudicem posuerunt. Cui ille. Vbi vis reddam tibi mala quæ in seculo perpetrasti? Ille respondit. Hic potius Domine non in futuro. Statimque diuina vox iussit tradi Mauritium, vxorem, filios & filias Phocæ militi, occidendos. Quod & factum est, qui & in imperio ei successit. *In aurea legenda de S. Gregorio. Sigeb. anno Christi 607. in Chronicis. Paulus Diaconus hist. Miscel. lib. decimo-septimo, & in vita eiusdem apud Surium libro quarto, cap. decimo-octauo, 12. Martij.*

S. El-

B. S. Elphegus Cantuarienſis Archipræſul, cuidam Tyranno Cantuariā obſidenti miſit, qui ei ſuggereret, vt ab incæpto deſiſteret, & Dei iudicium timeret. Fieri enim ſæpe ſolet, vt baculo pater filium percutiat, & ipſum baculum in ignem proijciat. *In ſpec. hiſtor. libro 26. cap. 6.*

C. Antiquitus Officialibus quorum manu Iudex nocentes punit, cum reo gladius immineret, obtempera legis arbitrio, dicebatur, vel legem imple, vt rei triſtitiam mitigaret manſuetudo verborum. *Ioannes Saresb. in Polycrat. lib. 4. cap. 3.*

D. Mortuo Gabinio miſſus eſt Præſes Syriæ Craſſus, vt Parthos reprimeret. In ſumptus vero Parthicæ militiæ omne ferè aurum de tēplo tulit, & quibus Pompeius abſtinuerat, duo milia talentorum. Ob hoc auro in os infuſo interijt. *In hiſtor. ſchol. parte ſexta, capite decimo. Iuſtinus lib. 42. Ioſ. antiq. Iudaic. l. 14. cap. 12.*

E. Quando promulgantur leges, ſolēt ad eas ſanciendas graues vindictæ exerceri, vt rigorem legis ſanciat ſeueritas vindictæ. Vnde in initio legis naſcentis pro collectione lignorum in ſabbatho lapidabatur homo. In initio ſacerdotij duo filij Aaron igne combuſti ſunt. Sic Ananias in actis Apoſtolorum capite quinto. *In hiſtor. ſchol. parte octaua, cap. 23.*

Num. 15. *Leu c. 10.*

F. Senatus Gracchum Tribunū plebis Agrariam legem promulgare auſum morte mulctauit, & vt ſecundum legem eius per Triumviros ager viritim populo diuideretur egregiè cenſuit. *Valerius libro ſeptimo, capite ſecundo. Plutarchus in Graccho. Appia. ciuil. 1. Liuius 8.*

PVRGATORIVM.

A. Narrari à maioribus audiui quod Paſchaſius Apoſtolicæ ſedis Diaconus miræ ſanctitatis vir fuerit cultor pauperum, & contemptor ſui, ſed in ea contentione quæ inter Symmachum & Laurentium facta eſt, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & in ea ſententia vſque ad mortem perſtitit. Hic ergo cum temporibus Symmachi eſſet defunctus, eius dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſanatus eſt. Pòſt, Germano Epiſcopo Capuano, medici pro corporis ſalute dictauerant, vt in angularibus thermis lauaretur. Qui ingreſſus thermas præfatum Paſchaſium ſtantem & obſequentem in caloribus inuenit, quo viſo extremuit, & quid illic tantus vir faceret, inquiſiuit. Cui ille reſpondit: Pro nulla alia cauſa in hoc loco pænali deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentij contra Symmachum ſenſi. Sed quæſo pro me Deum ora, atque in hoc cognoſces quia exauditus ſis, ſi huc rediens me non inueneris. Ille igitur inſtanter orauit, & paucos poſt dies redijt, ſed eum non inuenit. Quia enim non malitia ſed ignorantiæ errore peccauerat, purgari poſt mortem potuit à peccato, quod tamen credendum eſt, quia ex eleemoſynarum largitate hoc obtinuit, vt tunc potuiſſet promereri veniam, cum iam nil poſſet operari. *Greg. in Dialog. lib. 4. cap. 40. Sigebertus ad annum 497.*

B. Cum S. Patricius per Hiberniam prædicaret, & paruum fructum faceret, rogauit Dominum vt aliquod ſignum oſtenderet, per quod territi pæniterent. Iuſſu igitur Domini in quodam loco circulum magnum

cum baculo designauit, & ecce terra intra circulum se aperuit, reuelatũque est S. Patricio, quod ibi quidam purgatorij locus esset, in quem quicunque vellet descendere, alia sibi pœnitentia non restaret, & qui redirent, eos à mane, vsque ad sequens mane, ibi moram facere oporteret. *In eius legenda. Vide. Cæsarium libro duodecimo, capite 38.*

C. Legitur quod quidam piscatores S. Theobaldi in autumno frustum glaciei pro pisce prendiderunt, de quo magis quam de pisce gauisi sunt, maxime quia Episcopus dolore pedum laborabat. Ipsam enim glaciem eius pedibus supposuerunt, & magnum ei refrigerium præstabat. Quadam vero vice de glacie vocem hominis audiuit, qui ab eo adiuratus quis esset, dixit. Sum quædam anima, quæ in hoc gelicidio pro peccatis meis affligor, & liberari possem, si triginta missas sine interuallo triginta diebus continuis diceres. Quod fecit Episcopus, & missa vltima celebrata, glacies protinus resoluta est. *In aurea legenda de commemoratione fidelium, & apud Petrum de Natalibus libro decimo, capite octauo.*

D. Quidam peccator correptus grauissimo morbo, rogabat Deum vt tolleret eum de mundo isto. Quod cum sæpe petisset, Angelus dixit ei: Elige quod vis, aut duobus diebus stare in purgatorio, aut duobus annis sustinere infirmitatem. At ille elegit primum, & mortuus est. Post horam modicam apparuit ei Angelus. Et ille ait: Quis es tu? Et ille: Ego sum Angelus qui apparui tibi adhuc viuenti. Et ille: Absit. Tu enim non es Angelus, quia Angeli non mentiuntur, tu autem mentitus es mihi dicẽs, quod nisi duobus diebus starem in purgatorio. Ego autem hic iam steti multis annis. Angelus ad hoc. Scias quod nondum fuisti hic per vnam horam. Tunc ille. Rogo te vt reducas me ad seculum paratus sum sustinere infirmitatem quantum Deo placuerit. Quod & factum est. *Iacobus de Vitriaco, & Cantipratanus l. Apum secundo, capite quinto.*

E. Cum S. Maria de Ognyes pro quadam anima oraret, in festo S. Petri Apostoli, reuelauit ei S. Petrus pœnas illius & pœnarum causas. Vehementer enim calore torquebatur, eo quod mundum & voluptates seculi nimis ardenter amasset. Aliquando & frigore nimio cruciabatur, eo quod pigra ad bonum fuisset, & filios & familiam negligenter rexisset. Siti etiam anxiabatur, eo quod potationibus vacasset, nuditatem etiam sustinebat, eo quod in vestibus superflua fuisset. *Idem.*

F. Henricus Aurelianensis Episcopus, referre solebat se audisse à Ioanne Canonico Aurelianensi, quod quidam clericus suus Natalis nomine, post mortem prædicto Ioanni apparens petijt sibi succurri. Interrogatusque ab eo si deputatus esset in illa militia quam dicunt Hellekin. Non, inquit, Domine, illa militia iam non vadit, sed nuper ire desijt, quia pœnitentiam suam peregit. Corruptè autem dictum est Hellekin pro Karlekins, fuit enim Karolus quintus, qui peccatorum suorum longam egit pœnitentiam, nuper tandem per preces S. Dionisij liberatus est. Sed rogo vt misereamini mei: His dictis euanuit. *Helinandus in Chronicis.*

PVSILLANIMITAS.

A. FRater quidam incidens tentationem tribulando perdidit regulã monachalem, & cum iterum obseruantiæ regularis vellet sibi dari principia, á tabulatione impediebatur & dicebat: Quando habeo me ita inuenire sicut aliquando eram? Et deficiens animo non prævalebat vel inchoare monachi opus. Veniens ergo ad quendam senem narrauit ei quæ agebantur circa ipsum. Senex autem dixit: Homo quidam habuit possessionem, & de negligentia eius in sentes redacta est. Visum est autem ei postea vt excoleret eam & dixit filio suo: Vade & purga agrum. Et veniens filius vidit multitudinem tribulorum, & deficiens animo dixit: Quando habeo hæc omnia eradicare? Et proijciens se in terram cæpit dormire. Post hæc venit pater, & inuenit eum nihil operatum, & dixit: Quare vsque modo nihil fecisti? Dixit iuuenis: Mox vt veniebam, cum hanc multitudinem tribulorum vidissem, reuocabar á labore. Tunc dixit Pater: Fili ad mensuram latitudinis quam iacens in terra occupas per singulos dies operare. Quod audiens ille fecit, & sic in paruo tempore purgata est possessio. Et tu ita frater paulatim operare, & non deficies. *In vitis patrum libro septimo, parte quinta.*

B. Miles quidam factus monachus Cistertiensis ad idem quendam socium suum hortabatur. Respondente illo Cito intrarem, si non timerem pediculos, ait: Ille non est fortis & strénuus miles, qui in bello diaboli non timet lanceas & gladios, & in bello Christi timebit pediculos. Vide ergone pediculi auferant tibi regnum Dei. Et hoc verbo confusus sanctè, ordinem intrauit. *Cæsarius in Dialog. libro quarto, capite 48.*

QVÆSTIO.

A. COllecti sunt aliquando fratres qui habitabant in Scithi, & cæperũt intra se quærere de Melchisedech Sacerdote. Obliti sũt autẽ vocare Abbatẽ Coprem. Postea vocãtes eũ, interrogauerunt de eadem quæstione. Ipse autem tundens tertio os suũ dixit: Ve, tibi Copre, quia quæ mandauit tibi Deus vt faceres dereliquisti, & quæ à te non requirit, illa scrutari præsumis. Hoc audientes fratres fugerunt. *In vitis Patrum lib. 15. parte tertia.*

B. Fratri Theodoro philosophus quidam has proposuit quæstiones. Quis non natus mortuus est? & quis rursum natus à morte substractus est? Quis autem cum sit mortuus non est fætore corruptus? Et ait: Non est grandis propositio tua. Qui non natus mortuus est habetur Adam protoplastus, qui vero natus est nec mortuus est, Enoch qui Deo placuit & translatus est. Mortuus autem nec vllo fœtore corruptus, est vxor Loth, quæ conuersa est in statuam salis. Et ideo consilium do tibi ô Philosophe, vt inanes quæstiones tuas deserens, ad Christum quem colimus te conuertas. Ille stupefactus discedens acumen viri & responsionem miratus est. *In vitis Patrum in vita S. Pachomij.*

QVÆSTIO PŒNALIS.

A. M. Agrij Argentarij seruus, Alexãdrum Faunij seruum occidisse insimulatus est, eoque nomine tortus à Domino, admisisse se id facinus asseuerauit. Itaque Fannio deditus, supplicio affectus est. Paruulo dein tempore interiecto, ille de cuius nece creditum erat domum redijt. *Valerius libro octauo, cap. quarto.*

RAPINA.

Item, vide Apostata. c. Aucupium. Ecclesia. Extorsio. Iulianus.

RAPTVS.

A. Vidi aliquas deuotas mulieres quæ extra se ita rapiebantur, quod per totam ferè diẽ nõ erat in eis vox neque sensus. Aliã vidi quę ferè triginta annis tanto zelo à sponso suo in claustro custodiebatur, quod extra claustrum nullus poterat ei esse egressus, etiamsi mille homines eam per manus extrahere niterentur. Vidi etiam aliam, quæ frequenter extra se quindecim vicibus in die rapiebatur, quæ me præsente plusquam septies fuit rapta. Manus enim ei dependebant in aere immobiles, quæ dum ad se reuerteretur, tanto gaudio replebatur, quod reliquijs cogitationis diem festum agentibus, gaudium interius plausu corporali ostendere cogebatur. *Iacobus de Vitriaco.*

B. *Lib. 11. de ciui. cap. 18. & lib. 23. de ciuit. c. 27.* Dusij sunt dæmones, de quibus S. Augustinus scribit, qui hominum corpora subito ex hominibus rapiebant, & cum ea delusi homines in alias regiones delata vidissent, quæ apud se mortua æstimabant, illa iam immortalia facta credebant, & in deorum numero computabant. In partibus Teuthoniæ plenissima Prædicatorum & Minorum fide constat esse nobilissimam filiam Comitis de Suauelenberch in claustro monialium enutritam, quæ per aliquas noctis horas rapitur à dæmonibus, & in ipso raptu impalpabilis probatur. Et hoc cum frater eius carnalis de ordine Minorum experiri voluisset, accepit eã in gremio suo, & brachijs fortissimè strinxit, & tamen hora raptus de manibus eius inuisibiliter tollebatur. Exemplum item recitatur de duabus puellis ægrotantibus, quæ cum mortuæ putarẽtur, linteis opertæ sunt & insutę. Eadem die alibi viuæ repertæ sunt, & sub linteis inuenta figmenta, qualia à nullo hominum fieri potuerunt &c. *Cantipratanus de apibus libro secundo, capite 57.*

RARITAS.

Omne quod rarum est plus appetitur, Pulegium apud Indos pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit. *Hierony. in epistola ad Euagrium epist. 85.* A.

RASVRA.

Anno ab vrbe condita 546. Romani captiui, qui sub Hannibale per Græciam venditi fuerant, vniuersi recepti á Quinctio Flaminio Consule, qui scil. Lacedæmonas & Macedones vicerat, capitibus rasis ob detersam seruitutem currum triumphantis sequuti sunt. *Orosius libro quarto capite vigesimo. Plut. in Flaminio. Liuius lib. 32.* A.

RATIONALE.

A. TRadunt Hebræi in medio rationalis fuisse lapidem quadrum magnitudine duorum digitorum, in quo iuxta coloris mutationem, perpendebant vtrum Deũ placatum haberent an offensum. Iosephus dicit Sardonicem qui in dextro humero gerebatur cum sacrificium Pontificis Deo placebat, tanto splendore micare, quod etiam procul positis radius eius appareret. Egressus vero ad prælium si Deus cum eis esset, tantus fulgor in lapidibus rationalis apparebat, vt omnibus foret manifestum eis Dominum adesse, & ob hoc rationale iudicij nuncupari. Asserit hunc fulgorem cessasse, ducentis annis antequam ipse scripsisset. *In histor. schol. super Exodum cap. de vestibus pontificalibus. Cedrenus in compendio historiæ Epipha. lib. de lapidibus D. Chrysost. orat. 3. contra Iudæos. Ioseph. antiq. Iudaic. lib. 3. cap. 9.*

RECLVSVS.

A. IN quadam vrbe Teuthonica erat quidam seruus Dei iuxta monasterium in Cellula, cui reuelatum est, quia nisi populus cito per pœnitentiam Deum placaret, infra triginta dies tota ciuitas periret igne. Promulgata est visio; sed illi noluerunt conuerti. Ille autem quæque pretiosa monasterij iussit auferri. Tandem à septem vrbis regionibus subito ignis exoritur, peruenitque ad cellam viri Dei, cumque rogaretur exire noluit, sed omnia Dei iudicio committens combustus cum sua est cellula, scil. ob propositum reclusionis exire nolens. *Petrus Damiani lib. 1. epist. 10. & Sigeb. ad annum* 1058. *qui ciuitatem illam germaniæ vocat Paderbrunnam.*

RECONCILIATIO.

A. FRater contristabatur aduersus alium fratrem. Quod audiens ille venit satisfacere ei. Ille autem nõ aperuit ei ostium. Perrexit ergo ille ad quendam senem & dixit ei causã. Et respondit: Vide ne quasi iustitiam adhibeas causam apud teipsum in corde tuo tanquam culpaturus fratrem tuum, & teipsum iustifices, & propterea non tetigit Deus cor eius vt aperiret. Verum hoc est quod tibi expedit, vt vel si ille peccauit in te pone in corde tuo, quia tu in illo peccaueris, & fratrem tuum iustifica, & tunc dabit Deus in corde illius concordare tecum. Qui fecit secundum hoc verbum: Ille autem mox vt sensit, primus apud eum egit pœnitentiã, aperuitque ei ostium, & osculati sunt se inuicem, & facta est inter eos pax magna Dei gratia. *In vitis Patrum libro decimo-quinto, parte tertia.*

RECREATIO.

A. DIxit Abbas Abraham ad quosdam conquerentes quod in eremo quadam interdum à fratribus frequentati iugi secreto ac diuturno silentio non poterant inhærere, nec quotidianam continentiam retentare. Sæpe accidit, inquit, ne dicam nouitijs & infirmis, sed etiam perfectis, vt nisi mentis eorum directio atque cẽsura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certe in perniciosam corporis valetudinẽ collabantur, & idcirco à prudentibus atque perfectis, cum intercesserit fratrum etiam crebra visitatio, non solum toleranda patienter, sed & gratanter est amplectẽda. *Et infra.* Fertur

S. Euan-

S. Euangelista Ioannes, cum perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad se habitu venatorio venientem subito conspexisse, qui miratus quod vir tantæ opinionis ac famæ ad tam parua & humilia se oblectamenta submitteret. Tunc es, inquit, ille Ioannes cuius fama insignis me quoque summo desiderio tui videndi illexit? Cui beatus Ioannes. Quid est, inquit, quod manus tua gestat? At ille. Arcus, inquit. Et cur ait, non eum tensum vbique circumfers? Ait: Non oportet, ne iugi curuamine rigoris fortitudo laxata mollescat, & cum oportuerit vt fortiora in aliquã feram spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ tensionis amisso, violentior ictus non possit emitti. Nec nostri, inquit S. Ioannes, animi te offendat tam parua hæc breuisque laxatio, qui nisi remissione quadam vigorem intẽtionis suæ interdum releuet, & relaxet, in remisso vigore lentescens, virtuti spiritus cum necessitas poscet, obsecundare non poterit. *Ioannes Cassianus collat. 24. capite vigesimo, & vigesimo-primo. Hincmarus in vita S. Remigij apud Surium 13. Ianuarij. Simile peti potest ex l. Doct. Patrum lib. de patientiæ fortit. nu. 17. de D. Antonio.*

REFECTORIVM.

A. NEquam spiritus Capitulum & dormitorium monasterij Cluniacensis conatus intrare sed nõ valens, postremo ad refectorium se contulit. Ibi propter aliquantã corporis curam maiorem suspicatus mẽtium incuriam, sed tot obices ex lectione diuinorum verborum, tot trabes ex deuotione auditorum reperit, vt nullo modo valuerit procedere. *In spec hist. lib. 8. cap. 114.*

REGNVM.

LÆtatus est populus terræ Athalia interfecta, quia Deus abstulerat opprobrium, ne mulier regnaret super eos. *In hist. scholast. de Athalia & Ioas.* A. 4. Reg. 11

B. Remota iustitia, quid sunt regna nisi latrocinia magna? *Et infra.* Eleganter & veraciter, respondit quidã comprehensus pirata Alexandro magno. Nam cum hominem interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? Ille liberè. Quid tibi, inquit, vt tu orbem terrarum? Sed quia ego id exiguo nauigio facio, latro vocor, quia tu magna classe, Imperator. *August. de ciuit. Dei lib. quarto, capite quarto.* Ioannes autem Salesberiensis scribit dictum piratam addidisse hæc verba: Si solus sit captus Alexander, latro erit, si ad nutum Dionidi populi famulẽtur, erit Dionides Imperator. Me fortunæ iniquitas, & rei familiaris angustia, te fastus intolerabilis, & auaritia furem facit, si fortuna mansuesceret, fierem fortè melior, at tu quo fortunatior, nequior eris. Miratus Alexander constantiam. Experiar, inquit, an futurus sis melior, fortunamque mutabo. Eum ergo iussit conscribi militiæ, vt posset inde saluis legibus militare. *Ioannes Saresb. libro septimo, capite 14. in Polycrat. Hæc ille.* Tullius l. de Rep. 1.

C. Inferre bella finitimis, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominãdum est? *August. libro quarto de ciuitate Dei capite sexto.*

REGVLVS.

A. CArthaginenses Attilium Regulum palpebris resectis, machinæ, in qua vndique præacuti stimuli inueniebant, inclusum, vigilātia pariter & continuo tractu doloris necauerunt. *Valerius libro nono, capite 2. Cicero off. 7. Agellius 6. cap. 4. Item, vide Iuramentum. a. 1.*

REX.

A. S. Gregorius Regem quendam quē ad Christi fidem adduxerat, de quatuor breuiter instruxit, scil. vt ecclesiarum Dei curam haberet, Sacerdotes honoraret, diuinum officium diligenter audiret, & semper pauperum memor esset. *In aurea legēda in vita eius.*

B. S. Audoenus sigillum, vel annulū Regis Dagoberti custodiebat, ad cuius nutū cuncta palatij negotia gerebātur. Regem quoque assiduè hortabatur, vt Christum piè coleret, subditis parceret, superbos debellaret. *In vita eius apud Surium 24. Augusti, capite quinto.*

C. Rex noster non sicut alij Reges in palatio suo iacet, sed per prouincias currens explorat facta omnium, illos potissimum iudicans, quos constituit Iudices aliorum, secreta se occupat lectione, aut in cuneo clericorum disputat, precatur pacem populi, quidquid cogitat, quidquid loquitur, quidquid agit, ad pacē populi sui pertinet. *Petrus Bles. in epistola commendatitia Henrici Regis Angliæ.*

D. Rex sine literis, nauis est sine remige, & auis sine pennis. Recensent historiæ, quantum Iulio Cæsari contulerit literas didicisse, qui quaternas epistolas dictabat, quantus in iuris ciuilis peritia fuerit, leges declarant, quam in philosophia exercitatus fuerit, prædicat subtilitas bissextilis, doctrina Aristotelis & continuum studium virtutis sub eo. *Et infra.* Exercitatio Dauid tota erat in lege Domini. Ezechias, Iosias & alij sanctissimi Reges procedant, qui custodiebant testamentum Domini. Procedant & Constantinus, Theodosius, Iustinianus, & Leo, & alij, qui populum rexerunt in lege Domini. *Petrus Blesensis in quadam epistola. Plinius libro septimo, capite vigesimo-quinto. Plutarchus in Cæsare.* *Eandem dictandi epistolas celeritatē sibi adfuisse scribit P. Blesensis epist. 92. Psal. 118. 4. Reg. cap. 22. Epist. 47. qua tota versatur in commendanda regibus doctrina.*

E. Fateor quia sanctum est Domino Regi assistere. Christus enim Domini est, ob vnctionem, cuius efficacia si nescitur, fidem eius fecit defectus inguinariæ pestis, & curatio scrophularum. *Ibidem Pet. Bles. in quadam epistola ad clericos curiæ Regis Angliæ. Beda lib. 1. Eccles. histor. Polyd. histor. Angliæ libro octauo.* *Epist. 15.*

F. In literis quibus Rex Romanorum Francorum Regem hortabatur, vt liberos suos liberalibus disciplinis curaret instituì, hoc inter cætera eleganter adiecit, quia Rex illiteratus est quasi asinus coronatus. Sic ait Aristoteli Philippus. Filium mihi genitum scito, quo equidem dijs gratiam habeo, non tam pro inde quia natus est, quam pro eo quia eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, vt educatus, & enutritus à te dignus existat, & nobis, & regni susceptione. *Ioannes Saresberiensis in Polycratico libro quarto, capite sexto.*

G. Romanos Imperatores aut Duces, dum eorum Respublica viguit, illiteratos extitisse non memini, & nescio quo modo, ex quo in principibus virtus languit literarum, armatæ quo-

quoque militiæ infirmata est manus, & ipsius principatus quasi præcisa radix. *Ibidem.*

H. Illyrici & Thraces quotidiano exercitio indurati, gloria bellicæ laudis Macedones terrebant, qui prælio pulsi, Rege suo Regis defuncti filio in cunis perlato & penes aciem posito, acrius certamen repetiere, tanquam auspicio Regis victores futuri, vel propterea quod ex superstitione animum vincendi cæperant, nam & miseratio infantis eos tenebat, quem si victi essent, captiuum de Rege facere videbantur. Conserto prælio magna cęde fuderunt Illyricos. Quanti ergo esse debet prouectus ætate, & dignitate. *Ioannes Saresb. in Polycrat. libro sexto, capite vigesimo-quarto.*

I. Aureum seculum dicebatur, quando penes Sapientes regnum erat. *Seneca epist. 90.*

K. Rex Apum sine aculeo est. Noluit enim natura sæuum esse, nam eius naturam inermem reliquit, exemplum clementiæ Regibus ingerens. Pudeat enim ab exiguis animalibus non trahere mores. *Seneca in libro primo de clementia cap. 19. Aristot. lib. 5. hist. animalium c. 21. Plin. lib. 11. hist. nat. cap. 17. Basilius hom. 8. in Sexaeneron. Ambr. libr. 5. capite 21. in Sexaeneron, tradunt Regi apum inesse aculeum, non vero vsum, vnde fit vt eam aculei expertem esse nonnulli opinentur.*

L. Vt omnibus hominibus benefaceret, scripsit Aristoteles Alexandro, docens ipsum qualiter oportet regnare, & ita mouit eius animum, vt diceret, quia non benefeci hodie aliquibus, non regnaui. *Ioannes Galensis de viris illustribus.*

M. Deuter. cap. 17. Addit etiam Moyses, quod si quandoque Regem sibi crearent, non alienigenam, sed contribulem, qui sine consilio Pontificis ac Seniorum nihil ordinaret. *In hist. schol. super Deut. cap. de iustitia Regis.*

N. 1. Reg. cap. 16. Samuel videns Eliab primogenitum Isay, procerum & optimum æstimauit futurum Regem. Et ait ad eum Deus: Ego non corporis pulchritudinem, apicem facio regalem, sed animi virtutem. *Ibidem capite de vnctione Dauid.*

O. Iam Platonis verbis adstricta, sed sensu præualens sententia, qui tum demum beatum orbem terrarum prædicauit fore, cum aut sapientes regnarent, vel Reges sapere cæpissent. *Valerius libro septimo, capite secundo. Tullius epist. 1. ad Q. Fratrem.*

P. Rex etiam quidam dixit de suo diademate. O nobilem magis quam fælicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, nec humi iacentem tollere velit. *Ibidem. Valerius & Stobæus serm. 47.*

Q. Constantinus Augustus, & eius liberi, crebro ad Antonium quasi ad patrem missis literis obsecrabant, vt reciprocis eos literis exhilararet. Ad susceptas ergo literas conuenientia ille rescripsit. Suasit primo vt Christum colerent, ne putarent magnam regiam potestatem, ne tumentes, homines se esse nescirent, ne se à Christo iudicandos obliuiscerentur, clementiæ & iustitiæ erga subditos, eos admonens. His susceptis lætati sunt vehementer. *Athanasius in eius vita.*

R. Quæ fuit causa destructionis regni Indorum? nonne quia superfluitas expensarum superabat redditus ciuitatum? Subditi propter iniuriam clamauerunt ad Deum, qui mittens ventum calidum afflixit eos vehementer, & insurrexit populus contra Reges, & nomina eorum penitus de terra deleuerunt, & nisi Deus eis subuenisset, destructi fuissent penitus. *In libro de secretis secretorum Aristot.*

O Alexã-

S. O Alexander debes habere circa te de tua familia, qui tibi referant ea quæ fiunt, & dicuntur per regnum tuum. *In prædicto libro.*

T. Decet Regem non multum frequentare consortium subditorum, & maxime vilium personarum, quia nimia familiaritas honorem minuit, & parit contemptum, & propter hoc pulchra est consuetudo Indorum, qui statuerunt quod Rex semel in anno appareat coram hominibus in regali apparatu armato exercitu sedens nobilissime, & stare faciat vulgus aliquantulum remotius, nobiles verò & Barones circa se. Tunc solet ardua negotia expedire, dona largiri, grauia onera releuare, & multa pia opera exercere. *Ibidem.*

V. Indi pueros suos docent ab infantia, & inducunt ad Regis amorem, obedientiam, & timorem. *Vbi supra.*

Religio.

A. Dixit Abbas Ioannes: Melius est deuotum esse in minoribus, quã indeuotum in maioribus professionibus inueniri. *Cassianus collat. 19. capite tertio.*

B. Quadam vice S. Dominico apud Bononiam constituto, in Ecclesia pernoctanti diabolus in specie fratris apparuit. Cum autem illum beatus vir cognouisset, coegit eum dicere, de quo fratres in choro tentaret. Qui respondit: Facio eos tardè venire, & cito exire. Deinde duxit eum ad dormitorium, de quo Fratres ibi tentaret, inquirens. Qui ait: Facio eos nimis dormire, tardè surgere, & interdum immundas cogitationes habere. Deinde eum ad refectorium ducenti dixit: Fratres tento, vt plus comedant, & quosdam vt minus sumant, & sic in Dei seruitio debiles fiant. Deinde ad loquutorium eum ducens quæsiuit. Hic locus, inquit, totus meus est. Hic Fratres tento vt confusè loquantur, & multis se inutilibus verbis immisceant. Postremo duxit eum ad Capitulum, sed nullatenus intrare voluit, sed ait. Huc nunquam ingrediar, quia locus maledictionis & infernus mihi est, & totum ibi amitto, quod in alijs locis lucror. Et his dictis euanuit. *In aurea legenda de S. Dominico & apud Surium tomo quarto.*

C. Miles quidam relictis suis possessionibus factus est monachus, quem Abbas videns virum sapientem, misit eum ad forũ, vt asinos & asinas monasterij venderet. Licet autem illi displiceret vt nobili, voluit tamen obedire. Interrogantibus si bonæ essent asinæ & iuuenes respondebat. Creditis vos quod monasterium nostrum ad tantam paupertatem deuenerit, quod bonos & vtiles asinos vendat? Cumque quæreretur, quare caudæ essent ita depilatæ, respondit, quia frequenter cadunt sub onere & subleuamus eos per caudas. Et depilantur, nolens cælare veritatem. Cũ autem nihil vendidisset, conuersus alius accusauit eum in capitulo, quẽ Abbas quasi pro graui culpa disciplinauit. Quibus ille dixit: Multas asinas & possessiones plurimas relinquens veni huc, non vt mentirer, sed vt saluarem animam meam, & ita deinceps ad exteriora non est missus. *Iacobus de Vitriaco.*

D. Valente furente apud Antiochiam contra Catholicos, Aphratem monachum per plateam, transeuntem respiciens Imperator vilissimo indutum pallio, & in longæua senectute celeriter properantem, dixit ei: Dic mihi quò vadis? Pro tuo, inquit, oraturus Imperio. Tunc Imperator: Opor-

Oportebat te, inquit, domi orare. At ille: Optime dicis, si sic quoque permitteres, hoc me facere oportebat, & hoc hactenus egi, donec Christi oues pace pristina fruerentur, ne vero captiuæ teneantur, necesse est vbique discurrere, easque à necessitate saluare. Sed dic mihi Imperator, si puella essem in cubiculo residens, videns domum paternam ignibus concremari, quid me facere congrueret? sedere intus, an certè vbique aquam ferre, & flammas extinguere? Hæc illo dicente interminatus quidem tacuit Imperator. *Et infra,* Hoc & in Alexandria temporibus Constantij Arriani fecit Antonius Magnus, deserens enim solitudinem, circuibat vrbes. Sic illi beati viri sciebant quid tempori vnicuique congrueret & quando opus esset frui quiete, & quando solitudini præponere ciuitates. *In historia tripartit. 8. libr. 4. & 5. capitulo.*

E. Rex Bulgarorum ad Christianismum cum suis conuersus non multo post maiore filio in regnum ordinato, factus est monachus, sed cum filius eius iuueniliter agens, ad gentilitatis cultum vellet redire, militiæ cingulo, & cultu regio resumpto filium cæpit, & effossis oculis in carcerem trusit, filioque iuniore in regnum locato sacrum habitum recepit. *In speculo historia. libro vigesimo-quinto, capite 38. Sigebertus ad annum 865. Trithemius in Chronico Hirsaugiæ. Regino. Abbas Prumiensis in Chronico.*

Vocabatur Trebellius seu Terbellus.

F. Cum quidam volens ingredi religionem quæreret à sancto Bernardo, quid sibi maximè esset necessarium? dixit ei: Vis esse asinus? Illo quærente quomodo hoc esse posset, dixit: In religione debet quilibet opus sibi iniunctum facere indifferenter, & quemlibet cibum sibi appositum indifferenter edere. *Guilielmus Lugdun. in tractatu de peccato linguæ, rubrica nona.*

G. Quidam Valens Prælatus solebat conuentui suo dicere: Non miremur fratres si monasterium nostrũ depauperetur, quoniam quæ nostri prædecessores acquisierunt bene viuendo, nos perdimus malè viuendo. *Hæc ego compilator. audiui narrari.*

H. Sancti Fratres de Scythi prophetauerunt de vltima generatione dicentes: Quid operati sumus nos? Et respondens vnus ex illis nomine Cyprion dixit. Nos mandata Dei custodimus. At illi dixerunt: Hi vero qui fuerint post nos, quid erunt facturi? Qui dixit: Dimidium operis nostri operaturi sunt. Et dixerunt. Et hi qui post ipsos fuerint quid facient? Respondit: Omnino non habebit operationem generatio illa ventura, & qui reperti fuerint probati in tempore illo meliores super nos & patres nostros erunt. *In vitis Patrum libro decimo, parte sexta.*

I. Cum sanctus Bernardus cum fratribus suis domum paternam egrederetur, eundo versus Cistercium vt ibidem monachus fieret, Guido primogenitus videns Niuardum fratrem suum minimum ludentem cũ pueris in platea. Eya, inquit Frater, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. Cui puer respondit: Vos ergo cælum habebitis, & mihi terram solum relinquetis? Modico ergo tempore cum patre remansit, sed fratres postmodum est sequutus. *In aurea legenda de sancto Bernardo.*

K. Quidam monachus Cisterciensis ordinis

ordinis in Theuthonia, in acuta febre laborans, intolerabili ardore æstuans cum cucullam sancti habitus exuisset, fragor tantus auditus est, vt domus infirmorum corruisse putaretur. Et cum quidam vir iuxta positus oraret, & territus esset, apparuit ei dæmon dicens: Præ indignatione nimia fragorum istum excitaui, quia me impediuisti oratione tua, ne monachum illum exuentem habitum ordinis in corpore raperem cruciandum. Nec mora hæc audiens, eum leniter correptum & habitum reindutum admonuit confiteri. *Cantipratanus libro de apibus primo, capite septimo.*

RELIQVIÆ.

A. ABbas quidam ab Abbatissa Coloniç corpus vnius virginum impetrauit, promittens quod in capsa argentea ipsum in sua collocaret Ecclesia. Sed cum per annum super altare ipsum in capsa lignea tenuisset, quadam nocte dum Abbas cum suo conuentu matutinas cantaret, virgo illa corporaliter de altari descendit, & ante altare se reuerenter inclinans per medium chori, videntibus monachis, inde recessit. Abbas ergo ad capsam currens & vacuam inueniens Coloniam perrexit, & Abbatissæ rei ordinem pandit, pergentesque ad locum vnde illud sumpserunt, ibidem inuenerunt. *In aurea legenda sub titulo de vndecim millibus virginum.*

B. Bonifacius quintus constituit vt acolythus reliquias martyris non audeat leuare. *Martinus Polonus in Chronico.*

C. Romanis & Occidentalibus est sacrilegium, si Sanctorum corpora tangere quisquam voluerit, quod si præsumpserit certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo valebit. *Gregorius in registro libro tertio, epistola trigesima ad Constantiam August.*

D. Dum frequenter ex catenis quas Paulus gestauit, multi benedictionem petunt, vt parum quid ex lineatura percipiunt, assistit Sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concite aliquid de catena, ipsis excutitur, vt nulla mora sit, quibusdam vero petentibus diu per catenas ipsas lima deducitur, & tamen vt aliquid inde exeat, non obtinetur. *Vbi supra. Vide Card. Baronij notas ad 15. diem Iunij.*

Item, vide Aegidius. a. Hieremias. b. Laurentius. i. Missa. i.

S. REMIGIVS.

S. Remigius Rhemensis Archiepiscopus tantæ fuit mansuetudinis, quod etiam ad mensam eius passeres veniebant, & de manu eius ciborum reliquias comedebant. *In vita eius apud Sur. auctore Hincmaro 27. Ian.* A.

REPREHENSIO.

Vide Aug. Cæsar. g. Cicero. b. Detractio. g. l. Regnum. b.

RESPVBLICA.

NOn minoris curæ est mihi qualis post mortem meam Respublica fuerit, quam qualis est hodie. *Tullius de Amicitia.* A.

RESVRRECTIO.

NVllus decipiendi efficacior diabolo locus reperiri potest, quam cũ fideles auidius super cibos & A.

potus immoderatius se effundunt, & tunc ad verborum ineptias pertracti facilius ad inania & ad prophana deliramenta procedunt. Audiuimus á fratre ordinis Prædicatorum. Sedebant quidam in taberna & bibebant, & cum incaluissent mero, cæperunt loqui de diuersis, & inter cætera quid futurum sit post hanc vitam? Tunc vnus vanissimè inquit. A clericis decipimur, qui dicunt animas post hãc vitam viuere, & ad sua corpora redituras. Hoc dicto omnibus ridentibus, aduenit homo statura magnus, & bibens cum illis quærit, quis sermo sit inter eos. De animabus, inquit ille. Si quis meam vellet emere, foro optimo darem eam, & de pretio eius in communi omnibus ad bibendum. Tunc ille: Talem inquit, mercatorē quæro. Dicito quantum dabo? At ille Tantum: Mox conuenientibus illis de pretio, soluit emptor, & lætãtibus omnibus biberũt pleno calice. Vespere autē facto. Tempus est, inquit emptor, vt quisque nostrum ad propria reuertatur. Vos tamen antequam separemur, date iudicium, si quis equum emeret capistri vinculo alligatum, nunquid cum equo in ius emētis cederet & capistrum? Cui omnes pariter responderunt: Vtique. Nec mora venditorem quæstionis & responsionis horrore trementem, emptor cum anima & corpore vidētibus omnibus sursum leuauit, & secum ad inferna pertraxit. *Cantiprata. libro Apum, capite 56.*

B. Nonnulli propter quoddam loquendi præclarissimum genus, & propter quędam quæ veraciter sensit, amantes Platonem, dicunt aliquid simile nobis de resurrectione mortuorum sensisse. Tullius enim inducit hominē reuixisse, & narrasse quæ Platonicis disputationibus congruebant, scil. de statu eius post mortem, & de immortalitate animarum. Labeo etiam duos dicit vno die fuisse defunctos, & occurrisse inuicem in quodam compito, deinde ad corpora sua visos fuisse remeare. *August. de ciuitate Dei libro 22. capite 28. Plinius libro septimo, capite 52.*

1. de Rep. *Macrob. lib. 1. in So. Scip.*

RETRIBVTIO.

QVid est quod in alium facere quisquã possit, quod sustinere ab alio ipse nõ possit? Busiridē accepimus necare hospites solitum, ab Hercule hospite mactatum. Regulus plures Pænorum bello captos in vincula coniecerat, sed mox ipse victorum catenis manus præbuit. *Boetius de consol. philos. libro secundo, prosa sexta. De hoc Augustinus de Ciuitate Dei, libro 18. capite quinto. Et Vegetius in prologo libri tertij de re militari.* A.

REVELATIO.

Vide Humilitas. t. Somnium. a. c. d. e.

RIGOR.

MOnachus quidam presbyter, cui frater quidam molestus erat & importunus, nimium clericatus desiderans dignitatem, quem sciens indignum, diuerso modo vt hoc ipse fieret, differebat. Venit ad S. Pachomium ei negotium pandens, qui ait presbytero. Nonne ad hoc venisti, vt per me cognosceres Domini voluntatem? Audi ergo & da ei quod postulat. Forte enim per hoc officium liberabitur anima eius de captiuitate diaboli. Hoc responso accepto fecit senior quod sibi fuerat imperatum. Sed ille voti compos effectus ad S. Pachomium reuersus est dicens ei: O homo Dei malum in bono vicisti. Si non fuisses ergã memi- A.

ntis &

tis & longanimis, sed rigidus, ab hoc discedens habitu à Deo prorsus alienus efficeretur. Senex autem eum hortabatur, vt vitam sumeret congruam dignitati. *In vitis Patrum in vita S. Pachomij.*

B Abbas quidam semel conferebat cum Anselmo. Quid faciemus de pueris in claustro nutritis? Non cessamus eos die ac nocte verberare, & deteriores fiunt. Ad quem Anselmus: Quam bene nutrimentum vestrum expenditis, qui de hominibus bestias facitis. Dic mihi Abba, si plantam in horto tuo plantares, & mox illā ex omni parte concluderes, qualis arbor inde prodiret? Certè inutilis. Sic & vos pueros tantum minis & terroribus coarctatis, vt eis non liceat aliqua libertate potiri, vnde fit, quia nil amoris, vel pietatis circa se in vobis sentiunt, nec alicuius boni in vobis postea fidem habeant. *In vita S. Anselmi apud Surium 21. April. l. 1. Vincentius in speculo histor. libro vigesimo-quinto, capite 70.*

RISVS.

A QVadam vice cum S. Ambrosius per ciuitatem pergeret, quidam casu lapsus est, quem videns alter ridere cæpit. Cui Ambrosius: Et tu qui stas vide ne cadas. Quo dicto statim lapsum doluit suum, qui riserat alienum. *In eius legenda.*

B Philemonem vis risus immoderati abstulit; paratas enim ficus atque in conspectu positas asello consumēte, puerum vt illum abigeret inclamauit, qui cum iam comestis omnibus superuenisset. Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello, ac statim vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus, senile guttur salebris spiritus grauauit. *Valerius libro nono, capite duodecimo. Suidas. Lucianus in Macrobijs.*

ROBVR.

MAssinissam constat nullo vnquam imbre, nullo frigore vt caput suum tegeret, adduci potuisse. *Idem libro octauo, capite decimo-tertio. Tullius lib. de Senect.* A

ROMA.

ROma á gētibus non exterminabitur, sed tempestatibus, & turbinibus, ac terræ motu marcescet in semetipsa. *Gregor. in Dialog. lib. secundo, capite decimo-quinto.* A

In pestilentia quæ vrbem depopulauit, corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos ferire videbantur. *Idem in Dialog. libro quarto, capite trigesimo-septimo.* B

Titus Liuius in prologo de Roma dicit, quod tempore paupertatis nunquam locus alter eo scientior nec bonis exemplis ditior, & quanto minus habuit, tanto minus cupiditatis habuit, sed pòst diuitię auaritiam, & luxuriam induxerunt. *Martinus Polonus in Chronicis.* C

Diocletianus & Maximianus volentes fidem Christi extirpare, tales epistolas miserunt. Si aliquid determinari oporteret aut sciri, & totus mundus ex vna parte congregatus esset, & sola Roma ex altera parte consisteret, mundus totus victus fugeret, & sola Roma in culmine sciētiæ remaneret. Cur ergo vos parua plebecula eius præceptis resistitis? *In aurea legenda sub titulo de S. Mauritio.* D

Cum Romani vniuerso orbi dominarētur, quoddam templum maximum construxerunt, in cuius medio ido- E

dio idolum collocātes, omnium prouinciarum simulachra per circuitum statuerunt. Si quando autem aliqua prouincia rebellaret, continuo arte diabolica illius prouinciæ simulachrum, idolo Romanorum posteriora vertebat. *In aurea legenda sub titulo de festo omnium Sanctorum.*

F. Tempore Frederici qui imperauit anno 1153. Teuthonici, qui apud Tusculanum pro Imperatore morabantur, Romanos apud Mōtem portum inuadunt, & tot à nona vsque ad vesperam occiderunt, vt nunquam ex Romanis tot milia fint occisa. *Ibidem de sancto Pelagio.*

G. Romanorum virtute nihil clarius lucet. Declarat hoc splendor Imperij. Nam & quiete libertatis, iustitiæ cultu, reuerentia legum, maturitate consiliorum, & grauitate verborum & operum obtinuerunt vt orbem suæ subijcerent ditioni. *Ioannes Saresb. in Polycratico libro quinto, cap. 7.*

H. Cum Romanorum vitia percurruntur, gens nulla deterior, cum virtutes nulla potior, alias gentes mansueto subiugauerunt imperio. *In Polycrat. libro 8. capite 14.*

I. Fabricius Consul tantæ virtutis fuit, quod Pyrrho Regi Persarum infinita pecunia contra Rempublicam bellum redimere volenti, respondit: Romanos aurum nolle, sed aurum habentibus imperare velle. *Boetius de consol. philos. lib. 2. metro. 7.*

K. Romanus populus pro decore & vtilitate magnitudinis suæ, non pro necessitate alicuius tumultus classem parabat ex tempore, sed quando necesse esset, semper habuit præparatam. *Vegetius de re militari libro quarto, capite 31.*

L. Apud Missenum & Rauennam singulæ legiones cum classibus stabant, ne longius à tutela vrbis abscederet, & cum ratio postulasset, sine mora, sine circuitu, ad omnes mundi partes nauigio peruenirent, quia in rebus bellicis celerius magis prodesse solet quam virtus. *Ibid.*

M. Regnum Romanorum nulli bestiæ comparauit Daniel, vt quidquid ferocius in bestijs cogitamus, intelligamus in Romanis. *Historia schol. parte 7. cap. de visione Danielis.*

N. Antiochus Epiphanes obsedit Alexandriam volens obtinere Ægyptum. Et ecce Legati Romanorum missi sunt ad Ægyptios liberandos vt fœderatos. Egressus est autem eis obuiam Antiochus, & dum staret in litore dixit ei Marcus Publius. Senatus populusque Romanus præcipiunt tibi recedere ab amicis suis. Cumque ille peteret inducias respondendi, Marcus circa illum fecit circulum in sabulo cum virga & ait. Hi quoque tibi præcipiunt ne egrediaris de circulo hoc, donec respondeas. Ad quem Antiochus: Si sic visum eis, recedendum est, & recessit. *In schol. hist. parte tertia, capite de decima visione Danielis.*

O. In diebus Assueri Senones Galli duce Brenno Romam inuaserunt, & excepto Capitolio incensam vastauerunt, sex mensibus. *Ibidem parte quinta. cap. de Hester. Aug. libr. 3. capite 29. Orosius libro 2. cap. 19.*

P. De Romanorum præcipuè laude dictum est à Virgilio, parcere subiectis & debellare superbos. *Augustinus de ciuit. libro primo, capite sexto.*

Q. Cum bonis moribus & maxima concordia populum Romanum inter secundum & postremum bellum Carthaginense commemorasset Salustius, causamque huius boni, non amorem iustitiæ, sed stante Carthagine metum pacis infidę, id est dubiæ, ne frangeretur, fuisse dixisset, cōtinuo subiecit, & ait: At discordia,

& aua-

& auaritia, & ambitio, & cætera secundis oriri sueta mala post Carthaginis excidium maximè aucta sunt. *Idem libro secundo, capite decimo-octauo.*

R. Alba Romæ mater propior ipsa quam Troia à Tullio Hostilio Rege prouocata conflixit, confligens autem & afflicta est, & afflixit, donec multorum tæderet pari afflictione certaminum: tum euentum belli de tergeminis hinc & hinc fratribus scil. tribus ab vna parte, & tribus alia, placuit experiri, vt sex pugnantibus ad inuicem vice Romanorum & Albanorum, vbi esset victoria, ibi esset & imperium. A Romanis tres Horatij, ab Albanis tres Curiatij processerunt, à Curiatijs tribus Horatij duo, ab vno Horatio tres Curiatij superati extincti sunt. Ita Roma extitit victrix. *Idem ibidem libro tertio, capite decimo-quarto. Liuius libro primo.*

S. Accitus à Tarentinis Pyrrhus Rex Græciæ Romanorum hostis effectus est, cui sanè de rerum futuro euentu consulenti satis vrbane Apollo sic respondit, vt è duobus quidquid accidisset, ipse diuinus haberetur, ait: Dico te Pyrrhe vincere posse Romanos, atque ita siue Pyrrhus, siue Romani vincerentur, vtrumlibet expectaret euentum. *Augustinus de ciuitate Dei libro tertio, capite decimo-septimo.*

T. De Cannensi malo quid dicam? vbi Hannibal cum esset crudelissimus, parci Romanis iussisse perhibetur. Tunc tres modios annulorum argenteorum Carthaginem misit, quo intelligerent tantam in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, vt facilius eam caperet mensura, quam numerus. *Augustinus ibidem libro tertio, capite decimo-nono.*

V. Post mortem Aphricani, tunc primum per Gneum Manlium Proconsulem de Galathis triumphantem, Asiatica luxuria Romam omni peior hoste irrepsit. *Idem eodem libro tertio, capite vigesimo-primo.*

X. Mithridates Rex Asiæ, Ciues Romanos in Asia peregrinantes, vno die occidi iussit innumeros, & factum est, quod miserabilis illa rerum facies erat, vt vbicumque inuenti trucidarentur. *Idem ibidem libro tertio, capite vigesimo-secundo.*

Y. Veteres Romani quamuis Deos falsos colerent, tamen laudis auidi, pecuniæ liberales erant. Hanc auidè dilexerunt, patriam omnium Dominam esse cupierunt. Hinc est quod regalem dominationem non ferentes, annua Imperia, binosque Imperatores sibi fecerunt, qui Consules appellati sunt, quia Reges eorum cæperunt tyrannicè dominari omnia disponentes ad libitum, tam populo, quam patribus inconsultis. *Idem ibidem libro quinto, capite duodecimo.*

Z. Qualis esset tempore Iulij Cæsaris & Catonis, ciuitas, & qualis antea fuisset, videamus in ipsa sententia Catonis. Nolite, inquit Cato, putare maiores nostros armis, Rempublicam ex parua magnam fecisse, si ita esset, multo pulcherrimam nos haberemus, sed alia fuere quæ illos magnos fecere, domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, nec delicto, nec libidini obnoxius. Pro his habemus luxuriam, atque auaritiam, publicè egestatem, priuatim opulentiam, sequimur inertiam, inter bonos & malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. *Ibidem Salustius in Catilina.*

Aa. Cum diu fuissent regna Orientis illustria, voluit Deus occidentale fieri, quod tempore esset posterius, sed magnitudinē & latitudine illustrius, idque talibus credidit, qui causa honoris consuluerunt patriæ, salutemque suam saluti suæ præponere non dubitauerunt. *Idem eodem libro, capite duodecimo.*

Ab. Quibus ergo non erat daturus Deus vitam æternam cum sanctis Angelis in sua cælesti ciuitate, si nec hanc eis terrenam gloriam imperij concederet non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur? Amen dico vobis (ait Christus de talibus) receperunt mercedem suam. Sic & Romani priuatas res suas pro re cōmuni contempserunt, consuluerunt patriæ. Non est quod de summi & veri Dei iusticia conquerantur. *Idem libro quinto, capite decimo-quinto.*

Ac. Quid magnum est pro cælesti patria cuncta mundi blandimenta contemnere, si pro hac terréna vita filios Brutus potuit occidere? Si etiā Torquatus filium, non quia contra patriam, sed quia contra suum imperium ab hoste prouocatus iuueniliter pugnauerat, licet vicisset, occidit. Si Mutius vt cum Porsenna Rege pax fieret, quia Porsennam occidere non potuit, & pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram ante eius oculos dextram extendit, dicens multos tales, qualem illum videret, in eius exitium coniurasse, quis regno cælorum imputaturus est merita sua, si pro illo non vnam manum nec hoc sibi vltro faciat, sed persequente aliquo patiēs totum flammis corpus impenderit? *Et infra.* Si Marcus Regulus ne hostes iurando falleret ad eos ab ipsa Roma reuersus est, & eum grauissimis supplicijs necarunt, qui cruciatus non sunt pro fide illius patriæ spernendi, ad cuius beatitudinē fides ipsa perducit? Proinde per illud imperium tam latum tamque diuturnum virorum tantorum virtutibus præclarum, illorum intentioni merces est reddita, & nobis proposita necessariæ commonitionis exempla, quia indignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. *Idem eodem libro, capite decimo-octauo.*

Valerius Max. li. 3. cap. 3.

Val. Max. lib. 1. c. 1, Tullius Offic. 7.

Ad. Bellum Samniticum est tractum annis fermè 50. in quo bello Romani ita victi sunt, vt sub iugum etiā mitterentur, sed quia non diligebant gloriam propter iusticiam sed iusticiam propter gloriam, videbantur diligere pacem factam, fædusque ruperunt. *Idem eodem libro cap. 22.*

Ae. Cum Rhodagaisus Rex Gothorum agmine ingenti Romanis ceruicibus immineret, vno die tanta celeritate victus est, vt ne vno quidem non dicam extincto sed vulnerato Romanorum, plusquam centum milia prosternerentur, & ipse capitis pæna puniretur. *Aug. ibidem cap. 23.*

Af. Cum vrbe capta Galli Capitolium obsiderent, solumque potiendi eius spem in fame eorum repositam viderent, obsessi callido consilio panes iacere cęperūt, quo spectaculo obstupefacti obsidionem soluerunt. *Valer. lib. 7. cap. 4. Liuius lib. 5.*

Ag. Circa annum ab vrbe condita 474. pestis vrbem ac fines eius inuasit, quę præcipue mulieres & pecudes corripiens necatis in vtero fætibus futura prole vacuauit. *Orosius lib. 12. Liuius lib. 3. & Dionysius lib. 9.*

ROMVLVS.

A. MAter Romuli fuit Vestalis Sacerdos, & sic natus fuit ex stupro. *Augustinus de ciuitate Dei libro tertio, capite quinto.* Orosius dicit quod pater eius fuit incertus, & Rhea mater stupri rea.

B. Romulus interfecto Auo Numitore, dehinc Remo fratre, arripuit imperium, vrbemque constituit, regnū Aui, muros, fratris, templum, soceri sanguine dedicauit, sceleratorum manum promissa impunitate collegit. *Orosius de orchestra mundi libro secūdo, capite quarto.*

RVSTICITAS.

A. SCipio Nasica togatæ potentiæ clarum lumen, qui Consul Iugurthæ bellum indixit, cum Edilitatem curulem adolescens peteret, manumque cuiusdam, rustico opere duratā, more candidatorum tenacius apprehendisset, ioci gratia interrogauit eum, num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum á circunstantibus exceptum ad populum manauit, causamque repulsæ Scipioni attulit. *Valerius libro septimo, capite quinto.*

SACERDOS.

A. SAcerdotibus S. Ioannes Chrysostomus supplicabat, vt iuxta ecclesiasticas viuerent sanctiones. Dicebat, quia non deberent frui honore sacerdotij, qui eorum vitam contemnerent imitari. *In tripart. hist. libro decimo, capite quarto. Theodoret. libr. quinto, hist. cap.* 28.

B. S. Franciscus sacerdotalibus manibus volebat reuerentiam exhiberi, vnde sæpe dicebat. Si sancto cuiquā de cælo venienti, & pauperculo alicui Sacerdoti me contingeret obuiare, ad Sacerdotis manus deosculandas otius me conferrem, & Sancto dicerem, expecta me S. Laurenti, quia manus huius verbum vitæ contrectant. *In aurea legenda de eodem.*

Cum Constantinus Imperator apud vrbem Nicæam episcopale concilium euocasset, propter hæresim Arrij, & Episcopi conuenissent, & ex diuersis causis inter se iurgia detulissent, interpellabatur sæpe à singulis, offerebantur libelli, culpæ proferebantur. At ille videns quod per huiusmodi iurgia causa summi negotij frustraretur, diem statuit, qua vnusquisque querimoniam deferret. Et cum resedisset, suscepit à singulos libellos, quos in sinu suo continens nec aperiens, ait ad illos: Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicādi, vos nō potestis ab hominibus iudicari. Cum hæc dixisset, omnes simul libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominum simultas Sacerdotum. *Rufinus in ecclesi. histor. lib. decimo, capite secundo.* C.

In scriptis Nicolai Romani Pontificis Constantinus dixisse narratur. Verè si proprijs oculis vidissem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum qui monachali habitu sunt amicti, peccantem, clamidem meam explicarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. *Ioannes Salesb. in Polyc. libro quarto, capite tertio.* D.

Cum Sacerdotum concilium apud Nicæam conuocasset, nec primū locum tenere ausus est, nec se præsbyterorum miscere consessibus, sed sedem nouissimam occupauit, sententias vero quas ab eis probatas audiuit, ita veneratus est, ac si eas de Dei sensisset emanasse iudicio. *Ibid. l. 4. c. 9.* E.

F. Cheræmon Stoicus narrat de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum, quod omnibus mundi negotijs curisque postpositis, semper in templo fuerint, & rerum naturas & causas contemplati sint. Nunquam mulieribus se miscuerint, nunquam cognatos, nec liberos quidem viderint, carnibus & vino abstinuerint sẽper, pane raro vescebantur, ne onerarẽt stomachum, & quando comedebant, tunsum pariter hyssopum sumebant vt escam grauiorem illius calore decoquerent, cubile eis de folijs palmarum contextum erat, scabellum accliue, & ex vna parte obliquum in terra pro puluillo capiti supponebant &c. *Hieronymus contra Iouinianum libro 2.*

G. Dicit Seneca libro primo declamationum, quod à sacerdotio repellebantur apud gentiles, captiuæ, prostitutæ & homicidæ. Loquitur de virginibus ministrantibus ipsi Deæ Vestæ. *Ioannes Galensis in compendil. parte quarta.*

H. Sacerdotes auaritiæ suæ consulentes in porticibus templi hostias vendebant, ne venientes de longinquo, nihil offerrent, & ne pauperes excusationem prætenderent, posuerunt ibi nummularios qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia lex non ferebat, vt à fratribus suis vsuras acciperent, excogitarunt vt collybistas facerent, collybia enim apud eos dicuntur vilia munuscula, vt ciceris & vuæ passæ & pomorum diuersi generis. Quod & prohibuit Ezechiel dicens: Vsuram & superabundantiam non accipietis. Sic sub nomine pietatis quidam hodie vsuram palliant. *In historia scholast. parte septima, capite 117.* *Cap. 18. vers. 17.*

Sacrificium.

A. VArro dicit à quibusdam pueros Saturno solitos immolari sicut à Pœnis, & à quibusdam etiam maioris ætatis, sicut à Gallis. *August. de ciuit. Dei libro septimo, capite 19. Orosius lib. 4. cap. 6. Lactantius libro primo. Plato in Minoe.*

B. Rex Busyris dijs suos hospites immolabat. *Idem ibidem lib. 18 cap. 12.*

Sacrilegium.

A. FAbius Tarenti euersor à simulachrorum deprædatione se abstinuisse laudatur, nam cum ei scriba suggessisset, quid de signis deorum quæ multa capta fuerant, fieri iuberet, quæsiuit cuiusmodi essent? Et cum ei nõ solum multa grandia, sed & renunciarentur armata. Relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos. *Idem ibidem libro primo, capite sexto. Liuius libro vigesimo-septimo.*

B. Cum præfectus classis Massinissæ Regis Melitam appulisset, atque ex fano iuuenis dentes eburneos eximiæ magnitudinis ad eum pro dono detulisset, reportandos Melitam in tẽplo curauit. *Valerius libro primo, capite primo. Cicero. Verrina 6.*

C. Syracusis genitus Dionysius sacrilegia sua iocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit. Detracto enim Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, & ei iniecto laneo pallio, æstate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum, laneum autem ad vtrumque anni tempus aptum, dixit. Idem pateras & coronas templorum tollebat, & eas se accipere, non auferre dicebat, stultum esse dicens, à quibus bona precamur, ab ijs porrigentibus nolle sumere. *Ibidem.*

Tullius

Tullius de natura Deorum libro septimo. Aelianus hist. libr. 1.
Item, vide Humanitas. a.

SADVCÆI.

A. SAducæi Marmenem negāt Deum inspectorem omnium dicentes in arbitrio omnium esse vt bonum malumue gerāt, animarum generaliter vel supplicia vel honores negabant, animas mori cum corporibus putantes, resurrectionem negabant, nec Angelos esse dicebant, solos quinque libros Moysi recipiebant. Hi seueri erant, & sociales, ideo Saducęi id est iusti dicebantur. *Parte septima, cap. 33. hist. scholasticæ.*

SAGITTA.

A. DIctæus mōs est Cretæ ex quo dictamus herba nomen accepit, propter quod & apud Virgilium cerua vulnerata saltus dictæos peragrat. Tantæ enim est potentiæ, vt ferrum à corpore expellat. Hanc Latini poleium Martis dicunt, ob bellitela excutienda. *Isidorus libro 17. etymolog. cap. de herbis aromaticis. Plinius lib. 8. capite 28. hist. nat.*

Matth. 22. cap. Acta. 4.

SAGITTARIVS.

A. DOmitianus, armorum nullo, sagittarum velut præcipuo studio tenebatur, quibus ferarum capita ita ex industria figere visus est, vt duobus ictibus, quasi cornua faceret. Nonnunquam in pueri procul stantis præbentisque pro scopulo palmā, sagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorū innocuæ euaderent. *Sueto. de duodecim Cæsaribus libro duodecimo.*

B. Quantum vtilitatis boni Sagittarij in prælijs habeant, Cato in libris de disciplina militari clarè ostendit, & Claudius pluribus iaculatoribus institutis hostem, cui prius impar fuerat, superauit. Africanus Scipio aduersus Numantinos lectos sagittarios miscuit, & vicit. *Vegetius libro primo, capite decimo-quinto. Frontinus Stratag. lib. 4. cap. vlt.*

SALOMON.

Vide Exorcismus. a. b. Prosperitas. b.

SALVTATIO.

Vide Loqui. b.

SAMPSON.

NEc Samson aliter excusatur quod se cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod spiritus latenter hoc iusserat qui per illum miracula faciebat. *August. de ciuit. Dei libro primo, capite 21.* A. *Iudicum cap. 16.*

SANCTITAS.

Vide Historiæ. c. Martinus. p. Oratio. c. Reliquiæ. a. b. c.

SAPIENTIA.

DIxit Abbas Yperitus: Ille verè est sapiens, qui facto suo alios docet. *In vitis Patrum libro decimo, parte octaua.* A.

Cum Philippus Macedo Athenas obsedisset, petijt vt sibi darentur 10. Oratores vrbis, vt ab obsidione discederet. Quod cum audisset Demosthenes finxit hanc fabulam. Lupi suaserunt pastoribus vt in amicitiam conuenirent. Cumque illis placuisset, petierunt lupi vt pro vice securitatis traderentur eis canes, in quibus videbatur esse occasio iurgiorum. Annuerunt pastores. Tunc lupi omni adempta formidine omnē gregem non solum pro satietate, sed & pro libidine lacerauerunt. B.

Sic & Philippus sublatis Oratoribus, in populo Athenienſi facturus eſt. *Iſidorus libro primo etymolog cap. 26.*

C. Gentiles ſapientiam quaſi Deum deorum colebant, ſine cuius nutu, nihil faciendum credebant. Vnde & priſci philoſophi imaginem eius pro foribus templorum pingi cenſuerunt ſic. Vſus me genuit, peperit memoria. *Helinandus in Chronicis. Ioannes Saresb. in Polycrat, libro quarto, cap. 6.*

D. Sedechia regnante & apud Romanos Tarquinio Priſco, ductus eſt captiuus populus Iudæorum in Babylonem. Eo tempore, Pittacus Mitylenæus vigebat, & quinque cæteros eo tempore fuiſſe ſcribit Euſebius. Hi poſt poetas Theologos claruerunt, quia genere vitæ quodam præſtabant hominibus cæteris, & morum nonnulla præcepta ſententiarum breuitate complexi ſunt. *Auguſtinus de ciuitate Dei, libro 18. capite 25.*

Libr. 10. prapara. Euang.

Sardanapalvs.

A. POſtremus Aſſyriorum Regum fuit Sardanapalus, vir muliere corruptior, qui cum inuentus eſſet à præfecto ſuo Arbacto inter ſcortorum greges fæminæ habitu purpuram colo nens, mollicie corporis, & oculorum laſciuia fæminas antecedens, indignatus tali fæminæ, tantũ virũ ſubijci, progreſſus ad ſocios, quod vidit, refert, negat ſe ei parere poſſe, qui ſe fæminam mallet eſſe quam virum, fit ergo cõiuratio. Qua ille audita in regiam ſe recepit, vbi ſe & diuitias ſuas incendit. Ex tunc regnum Aſſyriorum ad Medos tranſlatum eſt. *Iuſtinus libro primo.*

B. Ita fuit voluptatibus deditus, vt in ſepulchro ſuo ſcribi fecerit, ea ſola ſe habere mortuum, quæ libido eius etiam cum viueret, hauriendo conſumpſerat. *Auguſtinus de ciuitate Dei libro ſecundo, capite vigeſimo. Tullius Tuſc. 5. Athenæus lib. 5.*

Scandalvm.

A. FRater quidam interrogauit ſenẽ dicens: Si contingat hominem in tentationem cadere quid fit propter illos qui ſcandalizantur? Et narrauit ſenex dicens: Quia Diaconus quidam nominatus in monaſterio Ægypti incurrit in mulierem cuiuſdam in monaſterio hoſpitati, & facta eſt fratribus omnibus confuſio. Ille autem abijt ad quendam ſenem habentem cellam occultam interiorem & egit ibi pænitentiam. Contigit autem vt poſt non aſcenderet aqua in flumine Nilo, & cum omnes litanias facerent, reuelatum eſt cuidam Sanctorum, quia niſi venerit Diaconus qui abſconſus eſt apud talem monachum, non aſcendet aqua fluminis. Quod cum audiſſent, admirati ſunt, & venientes eiecerunt eum de loco, & orauit, & aſcendit aqua, & qui aliquando ſcandalizati fuerant ædificati ſunt in pænitentia eius. *In vitis Patrum libro quinto, capite quinto.*

B. Narrauerunt de Abbate Agathone quia cum diu cum diſcipulis cellam ſibi fabricaſſet, vidit in ipſa prima hebdomada quædam non vtilia ſibi. Et dixit diſcipulis: Surgite eamus hinc. Diſcipuli autem ſui contriſtati ſunt dicentes. Incipient homines ſcandalizari in nobis. Et dicere: Ecce iterum migrant. Ille autem dixit eis: Etſi ſcandalizentur aliqui, ſunt & alij qui ædificentur. Et dicent: Beati ſunt iſti, qui propter Dominum migrauerunt, & ſua omnia contempſerunt. *In vitis Patrum libro ſexto, parte quarta.*

C. Interrogatus senex quomodo oporteat vigilantem monachum non scãdalizari, quando videt aliquos ad seculum reuertentes, respondit: Intueri debet monachus canes, qui venantur lepores, & sicut vnus ex eis videns leporem insequitur, cæteri tantum canem videntes aliquamdiu cum ipso currunt, postea lassantes se reuertuntur, solus autem ille qui videt leporem, sequitur donec comprehendat, nec impeditur ab intentione cursus sui per illos qui post se reuertuntur, & non quiescit donec cõprehendat, ita & monachus vel qui Christum quærit, cruci indesinenter intendat, & quæ incurrunt scandala, omnia prætereat, donec ad Crucifixum perueniat. *Ibidem libro septimo, parte quinta.*

SCENA.

A. LVdi scenici, spectacula turpitudinum, & licentia vanitatum, non hominum vitijs, sed deorũ vestrorum iussis Romæ vsitati sunt. *Augu$t. de ciuit. Dei lib. primo, capite 32.* loquens Romanis, qui propter sedãdam pestilentiam, ludos sibi scenicos exhiberi iubebant, quæ tamen non ideo conquieuit.

SCIENTIA.

A. VEnerunt senes ad Abbatem Antonium, & erat cum eis etiam Abbas Ioseph. Volens autem Antonius probare eos, mouit quæstionem de scripturis, & cœpit interrogare à iunioribus quid esset hoc aut illud verbum. Et singuli dicebant ei prout poterant. Ille autem dixit: Necdum inuenistis. Post omnes vero dixit Abbathi Ioseph. Tu quomodo dicis? Respondit: Nescio. Et dixit Antonius: Verè Abbas Ioseph solus inuenit viam, qui se nescire respondit. *In vitis Patrum libro decimo-quinto, parte prima.*

B. Cum interrogaret Abbas Arsenius quendam senem Ægyptium de cogitationibus suis, alius videns eum dixit: Abba Arseni, quomodo tu qui tantę eruditionis es in latina & græca lingua, istum de cogitationibus interrogas? At ille dixit: Latinam quidem & græcam eruditionẽ quantum ad seculum apprehendi, sed alphabethum rustici istius necdum discere potui. *Ibidem.*

C. Vidimus Abbatem Theodorum summa sanctitate & scientia præditum. Hic cum explanationem obscurissimæ quęstionis inquireret, septem diebus & noctibus orans perstitit, donec solutionem Domino reuelante cognosceret. *Ioannes Cassianus de monachorum institutis, libro quinto, capite trigesimo-tertio.*

D. Socrates se nihil scire dixit, nisi quod nihil sciret. *Lactantius de falsa sapientia. Simile de Heraclito narrat Laertius libro nono in vita eius.*

SCOMMA.

A. ILlud lædoria est, quod apertè obiectum exprobratumque est: hoc Scomma, quod figuratè, sunt autẽ scommata minus aspera, quæ quasi edentatæ beluæ sunt morsus, vt Tullius in Consulem, qui vno die fuit Consul, vigilantissimè est, inquit Consul, qui in consulatu suo somnum non vidit. *In Polycratico libro septimo in fine.*

SCRIPTOR.

SCRIPTOR.

A. EOrum qui fecere virtutes, vt ait Crispus, tanta habentur, quanta ea verbis potuere extollere præclara ingenia. Alexander magnus cum ad Achillis tumulum peruenisset, fælicem te, ait iuuenis, qui magno frueris præcone meritorum, Homerum, scil. significans. *Hieronymus in prologo vitæ S. Hilarionis. Cicero orat. pro Archya poeta.*

SCRIPTVRA.

A. IOannes Damascenus captus á Sarracenis, filium Domini in cuius partem cesserat, in dictamine & scriptura sic instruxit, vt non nisi Ioannes putaretur. Mandatus autem á Theodosio, cum apud eum esset dictus discipulus inuidia agitatus literam dictauit, & scripsit proditionem Imperatoris & imperij continētem, quam furtiuè Constantinopolim misit. Qua in palatio proiecta, modus dictandi, & literę forma iudicatur esse Ioannis. Ab Imperatore ergo Ioānes accusatur, & conuitijs afficitur, ostensaque ei litera, respondit: Deo teste hoc non feci, cunctis contra eū clamantibus sententiatum est manum illius scindi debere, quo facto manus abscissa suspensa est in monasterio ipsius Ioannis. Deinde narratur qualiter per beatam virginem ipsi fuerit reddita, & veritas facti ostensa. *In gestis eiusdem, & Vincentius Beluacensis lib. 17. cap. 103. & seqq.*

SCRIPTVRA SACRA.

A. QVidam mecū in monasterio F. Antonius nomine viuebat, qui cum magno feruore desiderij sacra eloquia meditaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletū cōpunctionis inquirebat, vt per hæc excitata mens eius inardesceret. Huic de nocte dictum est. Paratus esto, & quia Dominus iussit, migra. Cumque se non habere sumptus ad migrandum diceret, protinus audiuit. Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. *Gregorius in Dialog. libro 4. capite 47.*

B. Quidam frater de monasterio Abbatis Pastoris solitarium quendam duxit ad senem & dixit: Quidam homo magnus venit desiderans te videre. Suscepit eum senex cum gratulatione, & salutantes se inuicem resederunt. Cœpit autem loqui peregrinus ille de scripturis sanctis. Abbas autem pastor non dedit ei respōsum. Ille vero tristis exijt & dixit fratri qui eum adduxerat. Veni ad senem, & ecce nec mecum loqui dignatur. Intrauit ille ad pastorem & dixit: Abba propter te venit huc ille magnus vir, quare non es loquutus cum eo? Respondit: Ille desursum est, ego deorsum. Si mihi loquutus fuisset de passionibus animę, vtique responderem, si autem de spiritualibus, ego hæc ignoro. Exiens ille dixit quia senex non cito de scripturis inquirit, sed si aliquis ei loquitur de passionibus animæ respondet ei. Ille compunctus dixit seni: Quid faciam Abba, quia passiones animæ dominātur mihi? Senex gaudens dixit ei: Modo bene venisti. Nunc os meum aperiam de his & implebo illud bonis. Ille valde ædificatus dicebat. Verè est hæc via charitatis. *In vitis Patrum libro decimo, parte quinta.*

C. Venit Abbas Amon ad Abbatem Pastorem dicens: Si sit necessitas cum vterino loquendi, videtur tibi vt de scripturis cum eo loquar, aut de verbis & sententijs Seniorum? Dixit ei senex:

Senex. Si non potes tacere bonum est magis, vt de verbis seniorum loquaris quam de scriptura. *In vitis Patrum libro vndecimo, parte secunda.*

D. Post Ptolæmæum, Socer regnauit in Ægypto Philadelphus. Hic studiosus & librorum cupidus. Demetrium suæ bibliothecæ præposuit. Cumque quæsisset ab eo de numero librorum 20. milia adesse respondit, sed paulo post vsque ad 50. milia posse peruenire, & nunciatum sibi dixit apud Iudæos legem esse ore ipsius Dei editam, pro qua valde laborandum esse dicebat, vt in Græcum conuersa in archiuis regalibus haberetur, & ad ostendendam legis eius sanctitatem, quod nisi à Dei viuentis cultoribus transferri potuisset. Nam & Theopompus cum historijs suis voluisset eam interserere, versus est in amentiam per dies 30. Theotectus factus est cœcus, & penitentes sanati sunt. Et Regi suggessit vt scriberet Pontifici Iudæorum vt Iudæos Hebraicæ & Græcæ linguæ peritos ad ipsum dirigeret, cum lege qui ad eam transferendam sufficerent. *In historia scholastica parte quinta, capite de Philadelpho. Iosephus libro duodecimo, antiq. capite secundo.*

E. Septuaginta interpretes licet septuaginta duo fuerint, scilicet de vnaquaque tribu sex, more sacræ scripturæ septuaginta dicuntur, qui modicum numerum si super aliquam summam superexcrescit, sæpe subticet. *Ibidem.*

F. Traditur sanè tam stupendum planeque diuinum in eorum interpretum verbis fuisse consensum, vt cum ad opus separatim singuli sederint, in nullo verbo alter ab altero discreparet, vel in verborum ordine, sed tanquam si vnus esset interpres, quia reuera spiritus vnus erat in omnibus. *August. de ciuit. Dei libro decimo-octauo, capite 42.*

SCRVPVLOSITAS.

Item, Vide Augustinus. Futurum. d. e. Ornatus. b.

SECRETVM.

Papyrius Consul, cum adhuc puer esset, & cum Patre die quadam isset ad curiam, ipso reuertente cæpit mater perscrutari quid in Senatu patres egissent. Cumque diceret, illud dicere non licere, & illa verberibus eum pungeret, ille ficto mendacio dixit: Actum in Senatu vtrum videretur vtilius esse, vnusne plures vxores, vel vna mulier plures haberet viros. Quod cum illa retulisset ad cæteras mulieres, postridiè confluunt ad Senatum orantes vt vna mulier duobus viris magis quã vnus vir duabus coniungatur. Cumque Senatus hoc miraretur, Papyrius causam ex ijs quæ matri dixerat, indicauit. Tunc ordinatum est in Senatu ne pueri excepto illo cum patribus in curiam introirent. *Macrobius libro primo de Saturnalibus capite sexto. Agellius libro primo, cap. vigesimo-septimo, noct. attic.* A.

Lucij Syllæ (fælicis, si non habuisset vxorem), Metella coniux palam erat impudica, & quia nouissimi mala nostra discimus, id Athenis cantabatur, & Sylla ignorabat, secretaque domus suæ primum hostium conuitio didicit. *Hieronymus contra Iouinianum libro primo, capite vigesimo-nono.* B.

Seipsvm.

A. ARistoteles de semetipso in neutram partem loqui debere prædicabat, quoniam laudare se vani, vituperare stulti esset. *Valerius libro septimo, capite secundo.*

Semiramis.

A. VT posset Semiramis regnare post virum Ninum nupsit proprio filio, & ex eo filium genuit qui Babyloniam ampliauit. Præcepit sub eo prætextu inter parentes & filios nulla delata reuerentia naturæ de cōiugijs appetendis, vt cuique libitum esset, liberum fieret. *Iustinus libr. 1.*

B. Cum ei circa cultum capitis sui occupatæ nunciatum esset Babyloniam defecisse, altera parte crinium adhuc soluta protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decoré capillorum in ordinem, quam totam vrbem in potestatem suam redegit, quocirca statua ei Babylone posita est in illo habitu. *Valerius libro nono, capite tertio in fine.*

Seneca.

A. CVm Seneca magister Neronis ab ipso præmium sui laboris expeteret, respondit: Magister oportet te mori, quia te viuente non possum quiescere. Sicut enim puer te timere consueui, sic adhuc timeo. Cui dixit Seneca: Si me mori necesse est, saltem mihi concede, vt quod volo eligam mihi genus mortis. Cui Nero: Festinus eligas, tamen mori ne differas. Tunc balneo in aqua facto in vtroque brachio minui se fecit, & sic nimio sanguinis fluxu, vitam finiuit. *In aurea legenda de beato Petro Apostolo. De Seneca morte consule Tacitum libr. 15. annalium.*

Senectvs.

MIhi senum collocutio semper amabilis esse solet. *Greg. in Dialog. libro primo, capite decimo.* A.

Nisi consilium esset & ratio in senibus, non summum consilium maiores nostri appellassent Senatum. Quod si audire vultis externa, maximas Respublicas ab adolescentibus labefactatas, à senibus sustentatas & institutas reperietis. *Et infra.* Temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis. *Tullius in libro de senectute.* B.

Sophocles ad summam senectutem tragædias fecit, ob quod studium cum rem familiarem negligere videretur à filijs in iudicium vocatus est, vt sicut nostro more malè rem gerentibus patribus bona interdici solent, sic illum quasi desipientem à re familiari remouerent iudices. Tūc dicitur senex eam fabulam quam proximè scripserat, Oedipum Coloneum recitasse iudicibus, & quæsisse num illud carmen desipientis videretur? Quo recitato sententijs iudicum est liberatus. *Ibidem, & Val. Max. lib. octauo, capite 7. & libro nono, capite duodecimo.* C.

Pisistrato Tyranno á Solone quærenti qua spe fretus sibi tam audacter obsisteret, respondisse dicitur senectute. *Tullius lib. de senectute.* D.

Senectuti iuuentus ita olim apud Romanos debitum honorem reddebat, tanquam communes Patres senes essent. Quo circa iuuenes, Senatus die, vtique aliquem ex patribus conscriptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixique valuis expectabant, donec reducendi etiam officio fungeren- E.

gerentur. Qua voluntaria statione, & corpora, & animos ad publica officia impigre sustinenda roborabunt, breuique processu in lucem virtutum suarum verecundiæ, & laboris meditatione ipsi doctiores eũt. *Valerius libro secundo, capite primo. Ouid. Fast.5. Agellius lib. 2. cap. 15.*

F. Inuitati ad cænam iuuenes, quærebant quinam essent conuiuio interfuturi, ne senioris aduentum discubitu præcurrerent, sublataque mensa priores consurgere & abire patiebantur. *Ibidem.*

G. Maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia opera superiorum carmine comprehensa pangebãt ad iuuenum excitandos animos. *Ibidem, & Tullius Tusc. 1. & 4.*

H. Athenis quidam vltimæ senectutis cum in theatrum venisset, eumque nemo sessum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos fortè peruenit, qui hominis ætate moti, eius canos & annos assurgendi officio venerati sunt, sedemque inter ipsos in honoratissimo loco dederunt. Quod vbi populus fieri aspexit, plausu maximo alienæ vrbis verecundiam comprobauit. Ferunt tum vnum ex Lacedæmonijs dixisse. Ergo Atheniẽses quid sit rectum, sciunt, sed id facere negligunt. *Valerius libro quarto, capite 5. Cicero in Catone.*

I. M. Castritius cum Placentiæ magistratum gereret. Cn. Carbone Consule iubente decretum fieri, quo sibi obsides à Placentinis darentur, nec ei obtemperauit, nec viribus cessit, & dicenti multos se gladios habere, respondit. Et ego annos. Obstupuerunt tot legiones, tot robustas senectutis reliquias intuentes. Carbonis quoque ira in seipsa collapsa est. *Idem Valerius libro sexto, capite secundo. Liuius libro 84.*

Cæsellius vir iuris ciuilis peritus, cum multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur, amicique ne id faceret, monerent, duas res quæ hominibus amarissimę videntur, magnam sibi licentiam præbere respondit, senectutem & orbitatem. *Idem Valer. libro sexto, capite secundo.* K.

Gorgias Leontinus Isocratis & cõplurium magni nominis virorum pręceptor sua sententia fælicissimus. Cum enim cẽtesimum & septimum annum ageret, interrogatus quare tam diu vellet viuere, quia nihil, inquit, habeo quo meam senectutem accusem. Quid isto tractu ætatis aut longius, aut beatius? Iam alterum seculum ingressus, nec in hoc querelam vllam inuenit, nec in illo reliquit. *Idem libro octauo, capite 13. Cicero in Catone. Quinctilianus libro septimo, capite primo. Plinius libro septimo, histor. capite 48.* L.

Arcantonius Gaditanus tam diu regnauit quam diu ad satietatem vixisse abundè foret septuaginta, alias octoginta patriam rexit, cum ad imperium quadraginta annos natus accessisset. *Ibidem Valer. & Tullius in Catone. Plinius lib. septimo, capite 48. Herodot. libro tertio.* M.

Hellanichus ait quosdam ex gente Epiorum, quæ est pars Ætholiæ ducentos explere annos, eisque subscribit Damasthes, hoc amplius affirmans, Litorium quendam ex his maximarum virium trecentesimum annum cumulasse. *Ibidem & Plin. 7. capite 48.* N.

Dantho quingentis annis vixit. *Ibidem Valerius & Plinius.* O.

SENTENTIA.

Vide Ambrosius.

SEPVLCHRVM DOMINI.

A. Ecclesia S. Sepulchri, capax ædificata est à Constantino magno, nullam vnquam ab inimicis fidei tulit iniuriam, metu, vt coniicio, ignis cælestis, qui quot annis in vigilia Paschæ lampadibus repentè serenus refulget. Quod miraculum quando incæpit, vel si ante tempora Paganorum fuerit, non scitur. *In speculo hist. libro* 26. *cap.* 102.

SEPVLTVRA.

A. CVm grauia peccata non deprimunt, prodest mortuis, si in ecclesijs sepeliantur, quod eorum proximi quoties suorum sepulchra aspiciunt, pro eis preces effundunt. Aliorum reorum corpora magis ad eorum damnationem in ecclesijs ponuntur. *Et infra.* Valeriano Patritio in Brixia defuncto, Episcopus eiusdem, arrepto pretio locum in Ecclesia præbuit, qui vsque ad senectutem leuis ac lubricus fuerat, modumque prauitati ponere contempserat. Nocte qua sepultus est, Sanctus Faustinus martyr, in cuius Ecclesia corpus illius fuerat humatum, custodi suo apparuit dicens: Vade & dic Episcopo vt proijciat hinc fætentes carnes quas hic posuit, quia si non fecerit, die trigesimo morietur. Custos vero Episcopo timuit confiteri, & trigesimo die Episcopus mortuus est. In Genuensi quoque vrbe Valentinus quidam defunctus est vir lubricus & leuis, cuius corpus in Ecclesia sancti Syri martyris sepultum est. Nocte media factæ sunt voces, ac si quis violenter de Ecclesia raperetur foras. Ad quas voces cucurrerunt custodes, & viderunt duos teterrimos spiritus qui Valentinum ab Ecclesia extrahebant. Qui territi reuersi sunt. Mane facto aperientes eius sepulturam, non inuenerunt eius corpus. Cumque extra ecclesiam quærerent, inuenerunt in sepulchro alio positum ligatis pedibus. Ex qua re Petre collige, quia quos peccata grauia premunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat, vt & de sua præsumptione iudicentur, sed & culpa temeritatis accuset. *Gregorius in dialog. libro* 4. *capitulis* 50. 54. & 55.

B. Dicebat senex qui & dignus Episcopus factus est Oxirinthi. Visum est mihi aliquando intrare in interiorem eremum, vt viderem si fortè inuenirem aliquem Christo seruientem. Et perambulans desertum inueni tugurium, & arborem palmæ, & virum stantem, cuius capilli erant pro indumento. Ego autem dixi ei: Obsecro te edissere mihi, quomodo huc aduenisti? At ille plorans cæpit mihi dicere: Episcopus eram, & persecutione facta multis illatis mihi supplicijs cum iam tormenta ferre non possem sacrificaui. In me vero deinde reuersus agnoui iniquitatem meam, & dedi me ad moriendum in hanc eremum, & sum degens hic annis 49. Dominus vero te misit, vt funeri tradas corpus meum. Cum hæc dixisset, statim extendens manus & pedes vitæ finem fecit. Dissoluta ergo tunica mea, ego dimidiam mihi tenui, & dimidiam inuoluta sancto eius corpusculo recondidi in terram. *In vitis Patrum libro vigesimo, parte quinta.*

C. Mos est Ægyptijs nobilium & præcipuè martyrum corpora linteami-

teamine quidem inuoluere, terra vero non abscondere, sed super lectulos domi posita reseruare. *Et infra*. Hoc vitium circa defunctos Ægypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat Antonius dicens: Quid maius corpore potest esse Dominico? & hoc humo conditum est. Hæc iusta persuasio multorum cordibus insitum euulsit errorem, & repositis in terram cadaueribus Deo gratias pro bono magisterio retulerunt. Post paucos vero menses vocatis ad se duobus fratribus ait. Ego quidem filioli Patrum gradior viam, si qua autem mei vobis cura si qua patris memoria est, nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore seruetur, ne vituperato (vt nostis) à me ritu etiam circa me seruentur obsequia. Vos ergo me humo tegite, & nemo præter vos locum tumuli nouerit. Vestimentorum autem meorum ista sit diuisio. Melotem & pallium tritum cui superiaceo Athanasio Episcopo date, quod ipse mihi nouum detulerat, Serapion Episcopus aliam accipiet melotem, vos cilicinum habetote vestimentum. Seruauerunt illi mandata, & nemo vsque ad hanc diem præter eos vbi sit conditus nouit. *Athanasius in vita Sancti Antonij*.

D. Refert Paulus Historiographus Longobardorum, quod quidam eorum Rex, iuxta Ecclesiam Sancti Ioannis Baptistæ cum multo ornatu sepultus fuit. Quidam vero cupiditate illectus, nocte illinc abstulit vniuersa, cui Ioannes apparens dixit: Cur ausus fuisti tangere mihi commissum? Ecclesiam meam de cætero ingredi non valebis. Quod euenit. Nam quando volebat eam intrare, quasi à valido pugile guttur eius feriebatur, & sic subitò retro ruebat. *In aurea legenda de sancto Ioanne Bap.*

Cum Sanctus Gregorius Turonensis Archiepiscopus moreretur, in tali statu, vel loco sepelire se fecit, vt semper omnium pedibus conculcaretur. Sed grex sancti Martini eum de loco leuauit, & edito pulchro mausoleo ad læuam S. sepulchri reuerenter collocauit. *Ex gestis eius apud Surium 17. Nouembris, capite vltimo.* E.

Quidam Dux Normanniæ Richardus nomine post 18. annos sui ducatus moriturus iussit se sepeliri ante ostium Ecclesiæ cuiusdam monasterij, vt ab omnibus conculcaretur & super se plueret, quem postea Abbas illius monasterij tulit, & ante altare collocauit. *In speculo histor. libro vigesimo-sexto, capite decimo-sexto.* F.

Mos Iudæorum ob expensas funerum multos depauperauit. *In historia scholastica parte septima, capite vigesimo.* G.

Theodorus Cyrenensis, cum Lysimachus Rex iussisset eum crucifigi. Terribilis hæc sit, inquit, purpuratis tuis, mea nihil interest, humi, an sublime putrescam. *Valerius libro sexto, capite secundo. Seneca de tranquill. Tullius Tuscul. primo & quinto.* H.

SERMO.

A. APplicuerunt fratres ad Abbatem fælicem habentem secum aliquos sæculares, & rogauerunt eum vt diceret eis sermonem. Senex autem tacebat. Illis autem diu rogantibus dixit: Vultis audire

audire sermonem? Qui responderunt: Etiam pater. Dixit ergo senex: Modo non est sermo, quando autem rogabantur seniores & faciebant fratres quæ dicebant, eis tribuebat Deus quomodo loquerentur, nunc autem quando interrogant quidem & non faciunt, abstulit Deus gratiam á senibus vt non inueniant quid loquantur. Quæ cum audissent fratres dixerunt: Ora pro nobis pater. *In vitis Patrum libro tertio, parte tertia.*

B. Dixit Abbas Pastor. Natura aquæ mollis est, sed lapidis dura, & si vas aqua plenum pendeat super lapidem, ex qua stillans assiduè gutta cadat in lapidem, perforat eum. Ita sermo diuinus leuis est, & cor nostrum durũ. Cum audit ergo homo frequenter diuinum sermonem, aperitur cor eius ad timendum Deum. *Ibidem lib. decimo-octauo, parte tertia.*

C. Cum Socrates Græcus Orator in conuiuio rogaretur, vt aliquid in medium de eloquentiæ suæ fonte proferret, dixit: Ego non calleo quæ ego calleo, nec loco præsenti sunt apta, nec tempori. *Ioannes Galensis de vita Philosophorum.*

SERPENS.

A. ÆNeum serpentem propter facti memoriam reseruatum, cum postea populus errans vt idolum colere cæpisset, Ezechias Rex contriuit. *Augustinus de ciuitate Dei libro decimo, capite octauo.* *4. Reg. 18 vers. 4.*

SERVITIVM.

A. VEnerunt quandoque senes quidam in Scythi, & erat cum eis Abbas Ioannes Nanus. Et dum comederent, surrexit quidam præsbyter, vt daret per singulos paruum vas aquæ ad bibendum, & nemo voluit ab eo accipere, nisi solus Ioannes breuis. Mirantes vero cæteri dixerũt: Quomodo tu cum sis omnium minor præsumpsisti vti ministerio senis & magni? Dixitque eis: Ego quando surgo dare aquam, gaudeo si omnes biberint, vt mercedem acquiram, nunc ergo ego propterea suscepi, vt faciam eum inuenire mercedem, ne & fortè contristetur nullo suscipiente. Hæc cum dixisset, admirati sunt de discretione eius. *In vitis Patrum libro decimo, parte tertia.*

SERVVS.

A. C. Marium seruus suus vt Syllanæ crudelitatis expertem faceret, gladio traiectum interemit, cum magna præmia proposita sibi videret, si eum victoribus tradidisset. Tunc enim Mario non vita sed mors in beneficio reposita erat. *Valerius lib. sexto, capite octauo. Plut. in Mario. Liuius libr. 88. Orosius lib. 5. cap. 21.*

B. Cum C. Plotius Plancus á Triũviris proscriptus in regione Salermitana lateret, delicatiore vitæ genere & odore vnguenti occultam salutis custodiam detexit. Istis enim vestigijs, eorum qui miseros persequebantur, sagax inducta cura, abditum fugæ eius cubile odorata est, á quibus comprehensi serui latentes, multumque ac diu torti, negabant se scire vbi Dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles seruos vltra cruciari, sed iugulum gladijs militum obiecit. *Ibidem Valerius & Plinius libro tertio, capite tertio. Solinus cap. 48.*

C. Vrbinij Panopionis seruus tam admirabilis fidei fuit, vt cum ad Dominum occidendum milites venisse sensisset, mutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico

clam

clam emisit, & se in cubiculum recepit, & vt Ponopionem occidi passus est. *Ibidem Valer. & Appian. bel. Ciuil. 4. Macrob. Satur. 1. cap. 11.*

SERVITVS.

A. DEmosthenes dedecus seruitutis, voluntaria morte declinat. *Orosius de orchestra mundi lib. 2.*

SICILIA.

A. SIcilia ab initio patria Cyclopum, & nutrix Tyrannorum fuit, sæpe etiam captiua seruorum, quorum primi carnibus hominum, medij cruciatibus, postremi mortibus hominum pascebantur. *Orosius libro secundo, capite 14.*

B. Salustius dicit Italiæ coniunctam fuisse Siciliam, sed medium spatium impetu maris diuisum, & per angustiam scissum. *Plinius libro primo, capite octauo.*

SILENTIVM.

A. VIdimus S. virum Theonem solitarium qui dicebatur annis triginta silentium habuisse. Huic cum nocte latrones superuenissent, ita oratione eos vinxit, vt foribus eius affixi mouere se non possent. Mane vero cum turbæ viderent ad ianuas eius latrones, volebant eos igni tradere. At ille rerum necessitate coactus vnum eis solum loquutus est verbum. Sinite inquit, illos abire illæsos, alioqui á me gratia refugit sanitatum. Latrones hæc videntes pœnitentiam egerunt. *In vitis Patrum de S. Theone.*

B. Quadam nocte cum pastores equorum monasterij Cluniacensis obdormissent, & frater quidã nomine Godefredus peruigil oraret, fur adfuit, raptumque equum ascendit. Prædictus vero frater maluit equum perdere, quam silentium rumpere. Abijt autem & tactu vnum de pastoribus excitauit, eique quid contigerat signo ostendit. Facto ergo mane viderunt eminus furem vno in loco affixum super equum sedere, quem Patri Odoni vinctum miserunt, statimque 5. solidos argenteos dari præcepit, dicens iniustum esse eum absque mercede dimitti, eo quod per totius noctis spatium multum sustinuisset laborem. *In gestis S. Odonis apud Surium Nouemb. 18. libro secundo, capite octauo, vitæ ipsius.*

Tempore quo sæua gens Normannorum, Pictauorum, & Turonum fines vastabat, duo fratres ex Cluniaco, Turones mittebantur. Qui dum irent, & in quendam locum quietis gratia diuertissent, ab ijsdem nocte capti sunt, & capere quidem & ligare eos potuerunt, sed eorum silentiũ rumpere nequierunt. Mane vero cum ad locum constitutum venissent, vt erant ligati in terra se prostrauerunt, vt peracto psalmorum cursu, silentio finem imponerent. Nondum oratione completa, pars reliqua Normannorum venit, quorum dux cernens fratres in terra iacere, auditoque quod illi nullo modo possent eos loqui facere, barbarus immanitate tumidus velut ad feriendum inclinato conto irruit super eos. At illi vt erãt animo constantes, ita permanserunt immobiles, quod fiebat iure, & obseruantia sanctæ regulæ, sub qua mori cupiebant & viuere. Post narratur quomodo liberati miraculosè sint. *Ibidem capite nono, & Vincentius libro 24. capite 80.* C.

S. Maria de Ognyes in tantum turbam & strepitum fugiebat, & silentium diligebat, quod aliquo tempore à festo S. Crucis vsque ad Pascha ferè D.

ferè nullum verbum proferendo, silentium tenuit, quod Deus adeo acceptauit, vt Spiritu Sancto reuelante propter hoc super omnia, absque purgatorio euolaret, obtinuit. *Iacobus de Vitriaco.*

SIMILITVDO.

A. S. Medardus & Gildardus Fratres vterini, vno die nati, vno die Episcopi consecrati, vno die mortui sunt. *In aurea legenda de S. Pelagio. Sigeb. in Chro. anno Domini* 575. *Medardus primus Episcopus Nouionensis: Gildardus Sotomagensis decimus quintus, vt ex tabulis Democharis constat.*

B. Temporibus Pipini Regis Francorum orti sunt duo pueri miro modo consimiles, vnus ex Comite Alunnensi & alter ex milite Boricano. Qui cum á parentibus baptismi causa Romam deferrentur, in Luca vrbe se inuicem inuenerunt, & societate inita, tanta inter paruulos erat voluntatis identitas, vt vnus sine alio nollet cibum sumere, nec in alio cubiculo requiescere. Oblati ergo S. Papę Deusdedit, ab eo sunt baptizati, qui filio Comitis nomen imposuit. Amelius, & alteri; Amicus. In tantum autem similes extiterunt, quod vnus ab alio discerni non poterat, & semper se dilexerunt mutuò. Tandem in bello Karoli Regis Franciæ contra Desiderium Regem Longobardorum ambo mortui sunt. Quos enim Deus vnanimi concordia in vita coniunxit, in morte quoque non voluit separare. Cum autem sepulti essent in duobus sarcophagis, & duabus ecclesijs, diuina dispositione inuentum est corpus Amelij cum sarcophago, iuxta sarcophagum Amici in eadem Ecclesia. *In spec. hist lib.* 24. *cap.* 16.

C. Quidam natione Iudæus in Sydoniorum oppido educatus, similis Alexandro Herodis filio, quem & pater interemerat, in Iudæam venit, instinctu cuiusdam liberti Herodis, asserentis sibi regnum deberi, tum quia maior filius Herodis, tū quia ex parte matris suæ Mariamnes, eum contingebat. Cumque plures Iudæorum sequaces haberet, Romam quoque profectus est. Igitur Iudæi Romæ degentes visendi eius studio circumfluebant, sciscitatusque qualiter viueret, aiebat, lictores miseratos fratrum, alios similes eis morti subiecisse, Aristobulum fratrem adhuc viuentem in Creta in Cypro latere. Sed Cæsar optimè vultum Alexandri, quem, dum Romæ studeret, amasium habuerat, compertum habens, fallaciā similitudinis aduertit, misitque Ladum qui & Alexandrum bene cognosceret, vt ad se Iuuenem adduceret, vitam ipsi pollicens si tantæ fraudis prodidisset authorem. Cumque ille confessus esset, se talia simulasse ad quæstum, risit Cæsar, suasoremque eius iussit interfici, falsumque Alexādrum numero Remigium inseruit. *Hist. scholast. parte septima, capite* 33. *Ioseph. antiq. Iudaic. lib.* 17. *cap.* 14.

Magno Pompeio Ninius ingenuæ stirpis, & Publicius Libertinus ita similes fuerunt, vt permutato statu, & Pompeius in illis, & illi in Pompeio salutari possent. *Valerius libro nono, capite decimo-quarto. Solinus capite quinto. Plinius libro 7. hist. cap.* 12. D.

Regi Antiocho vnus regiæ stirpis nomine Artemon similis fuisse traditur, quem Laodice vxor Antiochi, interfecto viro veneno, dissimulandi sceleris gratia, in lectulo quasi ægrum Regem collocauit, admissumque vniuersum populum, & sermone eius, & vultu consimili fefellit. *Ibidem Valer. Plin. Solinus.* E.

Ille quem in Sicilia prætoris admodum F.

modum consimilem fuisse constat, petulantis animi fuit. Proconsule enim dicente, mirari se quare sibi tam similis esset, cum pater suus nunquam in eam prouinciam accessisset: at meus, inquit, Romam accessit. Ioco namque lacessitam matris suæ pudicitiam, inuicem suspicione in matrem eius reiecta, audacius quam virgis & securibus subiecto conueniebat, vltus est. *Ibidem. Valer. Plinius. Solinus.*

G. Anthonio iam Triumuiro Toranus quidam eximios forma pueros velut geminos ccc. sextertijs vendidit, quorum alterum de Transalpina Gallià, alium ex Asia comparauerat. *Solinus de mirabilibus mundi 2. cap.*

SIMONIA.

A. HEnrici Imperatoris tempore tantum schisma in Ecclesia fuit, vt tres in summos Pontifices electi essent. A quodam tamen presbytero Gratiano data magna pecunia cesserunt eidem, ac ipse Papatum obtinuit. At Henricus dum pro sedando schismate Romam pergeret, Gratianus ei obuians coronam auream sibi obtulit, vt ipsum haberet sibi propitium. Ille autem cuncta dissimulans Synodo conuocata, Gratianum de simonia conuicit & alium subrogauit. Alibi tamen legitur quod cum prædictus præsbyter simplicitate ductus Pontificatum per pecuniam sibi acquisierit, vt schismati obuiaret, ipse postea suum cognoscens errorem seipsum suadente Imperatore deposuit. *In aurea legenda sub titulo de sancto Pelagio Papa.*

B. Hildebrandus prius Prior Cluniacensis, pòst Papa, dum in minoribus constitutus, legatione fungeretur apud Lugdunum, Archiepiscopum Ebroicensem de simonia miraculosè conuicit. Nam dum ille omnes suos accusatores corrumperet, & conuinci non posset, Legatus, vt gloria & filio, & spiritui sancto, diceret, imperauit. Ille autem gloria patri & filio, expedite dicebat, spiritui vero sancto, dicere non poterat, quia in Spiritum sanctum peccauerat. Mox vt depositus est, post confessionem, clare spiritum sanctum nominauit. *Ibidem & Petrus Damianus epist. libro primo, epistola nona.*

Instante electione de Abbate in monasterio sancti Dionisij in Francia, ad eam aspirans præpositus obtulit Philippo Regi quingentas libras, vt ipsius partem fouere dignaretur. Cui Rex nihil promittens, sed ex muneris perceptione spem dans, pecuniam fecit tradi Camerario suo. Similiter fecit Cellerarius de hoc nihil sciens, & Thesaurarius similiter. Die ergo ad eligendum statuta, Rege in Capitulo existente, tribus illis firmiter expectantibus, vidit Rex in angulo Capituli quendam monachum simplicem, quem vocans, eum Abbatem constituit. Illo autem fortiter se excusante, & allegante multa, & inter cætera, dicente Abbatiam esse obligatam, & ipsum pauperem, Rex subridens respondit: Ego statim mille & quingentas libras vobis do, & si indigueritis, accommodabo vobis. Sicque Simoniaci fuerunt confusi. *Cæsarius in Dialogis miraculorum libro sexto, capite decimo-quarto.* C.

Anno tertio Henrici primi Imperatoris, Hungaris Franciam, Alemaniam, D.

maniam, Saxoniamque depopulantibus, iuxta vrbem Meresburch congressus, vouens Deo pro adipiscenda victoria se hæresim Simoniacam de regno suo eradicaturum, eos vsque ad internecionem pænè deleuit. *In spec. hist. libr. 25. cap. 63.*

E. Henricus tertius tempore Conradi Patris sui, à quodam clerico fistulam tulit argenteam, qua pueri ludentes aquam iaculantur, pactus ei episcopatum, cum foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum impigrè dedit. Non post multò, aspero morbo correptus decubuit, & triduo sine sensu & mutus iacuit. Conualescens autem accitum Episcopum sententia concilij deposuit, confessus se toto illo triduo dæmones vidisse, flāmam in se per fistulam iaculantes adeo pertinacem, vt noster ignis respectu illius, iocus putetur. *Ibidem lib. vigesimo-sexto, capite* 19.

F. Regnante Rogerio Siculo contigit vacare sedem Auellanam. Præsidebat autem Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ Robertus dicti Regis Cancellarius vir strenuus & facundus, ad quē accedentes viri tres, Abbas quidam, alter Archidiaconus, tertius præpositus Regis, fratris sui clerici causam agens, singuli clam pro dicto episcopatu grandem pecuniam obtulerant. Conuentum est cum vno quoque seorsum, de pretio & solutione implenda fideiussoribus datis. Cum ergo ad diem electioni præfixum, Episcopi & multæ venerabiles personæ conuenissent, præfatus Cancellarius competitorum causas, & conuentiones exposuit, dicens se exinde ex Episcoporum sentētia processurum. Damnatis ergo Simoniacis, pauper monachus & totius rei ignarus canonicè electus & introductus est. Illi tamen coacti sunt soluere, id in quo se obligauerant vsque ad vltimum quadrantem. *In Polycratico libro septimo, capite decimo-nono.*

S. Gregorius testatur, quia pestilentiæ, & fames, & cætera mala proueniunt ex eo quod honores Ecclesię ad pretium, vel humanam gratiam conferuntur. *Eodem libro cap. 20.* G.

Valerius Graccus procurator Iudææ palam vendebat sacerdotij principatum, *parte septima, capite vigesimo-nono, scholast. hist.* H.

SIMVLATIO.

ANno Domini 1225. quidam se fingens esse Balduinum Comitem Flandriæ, & Imperatorem Constantinopolitanū, venit in Flandriam in habitu peregrino. Fauent ei multi in Flandria, eo quod multa inter signia dicebat, resistentes viriliter debellabat. Non multo post, comperta eius fraude à Rege Francorum, apud Peronam licentiauit eum Rex à toto regno suo. Ipse vero cum paucis abscessit. Cito post in quadam taberna capitur, & traditur Comitissæ Flandriæ, quæ post varias pænas fecit eum suspendi. *Vincentius in spec. histor. libro trigesimo-primo, capite duodecimo. Iperius Abbas S. Bertini in Chronico, qui illum pseudocomitem vocat Bertrandum Rainsun.* A.

Repertus est qui se diceret esse Q. Sertorij filium, quem vt agnosceret vxor eius, nulla vi compelli potuit. *Valerius libro nono, capite 16.* B.

Cæsar barbarum quendam ob eximiam similitudinem Cappadociæ regnum affectantem, vt ei caput demeretur, fecit. *Idem libro nono, cap. vltimo in fine.* C.

Simplicitas.

A. Nobilis quidam Castellanus pecora & armenta cuiusdam monasterij ordinis Cistercienfis frequenter rapere consueuerat, & sæpe per Abbatem & alios rogatus non desistebat. Cum ergo quadam die magnam partem armenti rapuisset, Abbas ad eum monachum valde simplicem misit, præcipiens illi vt quidquid de rapina illa rehabere posset, reciperet. Veniens ergo hora prandij ad castrum, nuntiumque suum faciens, respondit miles: Domine vos prius nobiscum comedetis, & postea vobis respondebo. Sedens ergo in mensa cum alijs, ministratasque ei carnes sicut alijs abundanter, sciens esse de pecoribus monasterij comedit copiosè, vidente hoc milite & vxore. Facto prandio, eo vocato, secretè dixit: Cum monachi non comedant carnes, quare eas hodie comedistis? Cui monachus in simplicitate dixit: Obedientia me coegit. Nam Abbas meus præcepit mihi quod de pecoribus raptis á vobis reciperem, quidquid possem. Sciebam enim carnes mihi appositas esse de pecoribus nostris. Hoc audito miles de monachi simplicitate ædificatus, iussit ei omnia reddi, promittens quod de cætero, monasterio non noceret. *Cæsarius in dial. mirac. lib. 6. cap. 2.*

Singularitas.

A. Frater quidam abstinens à cibis venit ad quendam senem. Oportunè autem superuenerant illuc & alij peregrini. Et cum sedissent mâducare, frater ille posuit sibi cicer infusum & manducabat. Et cum surrexissent, tulit eum senex secreto & dixit ei: Frater si venis ad aliquem, noli illic ostendere conuersationem tuã, si autem conuersationem tuam tenere vis, sede in cella tua & nusquam exeas. Ille autem verbis senis acquiescens, factus est communis vitæ. *Eodem libro, parte octaua.*

Sitis.

In ipso feruenti meridie siti valde accensus veni ad S. Macarium, & aquam vt biberem postulaui. At ille: Vmbra, inquit, tibi sufficiat. *Verba sunt Abbatis Euagrij in libro suo actuali ex hist. tripartita, libro octauo, capite primo.* A.

Dipsades quæ latine situlæ dicuntur, quia perimunt hominem siti, adeo paruę sunt, vt cum calcantur, vix videantur, quarum venenum ante extinguit, quam sentiatur, nec tristitiam sentit moriturus. *In hist. scholast. super Deutero. de dilectione Dei.* B.

Societas.

Dixit quidam Patrum: Si manserit operarius in loco vbi non sũt operarij non potest proficere, hæc est enim virtus operarij certare vt ab opere non minuatur, nam & piger si manserit cum operario proficit, etsi non proficit, non tamẽ descendit inferius. *In vitis Patrum libro decimo-octauo, parte octaua.* A.

Dixit Abbas Pastor, quia interrogauit quidam Abbatem Paysionem, dicens: Quid faciã animæ meæ quia insensibilis facta est & non timet Deum. Et dixit ei: Vade & iungere homini timenti Deum, & cum illi adhæseris, doceberis & tu timere Deum. *Ibid. lib. 11. parte 2.* B.

Duo fratres ibant per viam, vnus sapiens, & alter stultus. Venientes C.

vero ad quoddam biuium vbi erat vna via delectabilis, & altera aspera, voluit fatuus per viam delectabilem ire, Sapiens vero dixit: Et si illa via sit delectabilis, tamen ducit ad malum hospitium, alia licet sit aspera, ad bonum. Fatuus autem posuit se in delectabili via, quem sapiés nolens relinquere, sequutus est inuitus. Qui pergentes inciderunt in latrones qui eos incarcerauerunt. Postea Rex iussit omnes incarceratos adduci ad se. Inter alios isti adducti cōtenderunt coram Rege, nam sapiens conquerebatur de fatuo quod de via noluit ei cedere, fatuus vero de sapiente, qui sequutus eum fuerat, cum sciret eum fatuum. Tunc data sententia iussit vtrumque suspendi, fatuum quia sapienti non credidit, sapientem quia fatuum est sequutus. *Humbertus in libro de dono timoris.*

SOCRATES.

A. STare Socrates solitus erat pertinaci statu perdius & pernox immobilis, ijsdem vestigijs & ore atque oculis in eundem locum directis. *Agellius libro secundo, cap. 1.*

B. Legitur in quadam epistola Senecæ, quod Socrates positus in carcere fugere noluit.

C. Gloriosa fugiebat, dicebatque semper se nil scire, commentator super primum Ethicorum. *Laertius.*

D. Tantæ eum temperantiæ fuisse traditum est, vt omnia fere vitæ suæ tempora valetudine inoffensa vixerit. *Agellius noctium Atticarum libro secundo, capite primo.*

E. Prouerbia eius fuisse dicuntur. Oriente sole consilium, occidente conuiuium cogitandum est. Age sic alienum, vt tuum non obliuiscaris negotium. Velox consilium sequitur pænitentia. Amicus raro requiritur, citò amittitur. *Ioannes Galensis de dictis Philosophorum.*

F. Cum hospites suos satis tenui cœna suscipere pararet, & amicus eius hoc intimaret ei, respondit: Si boni sunt, æquanimiter ferent, si mali, non curandum. *Ibidem.*

SOCRVS.

A. IN Lepti vrbe semibarbara moris est, vt nurus altera die socrum mutuam ollam postulet, cui illa statim negat, vt sciat illud verum esse Terentij, quod consulto ambiguè extulit, quid est hoc? omnes socrus oderunt nurus. *Hieronymus contra Iouinianum libro primo, capite vigesimo-nono, in Terentiana hecyra.*

SODOMA.

A. OMnes Sodomitæ in toto mundo in nocte Natalis Domini, extincti sunt, sicut dicit Heronymus super illud Esaiæ lux orta est eis, & hoc fecit Christus vt omnes eradicaret, ne in natura quam assumpserat, tanta de cætero immunditia inueniretur. *In aurea legenda de Natiuitate Domini.*

SOLITVDO.

A. FRater quidam interrogauit senem dicens: Quid faciam quia cogitatio non me dimittit vna hora sedere in cella mea? Dixit ei senex: Fili reuertere in cellam & sede laborans manibus tuis, & ora Deum iugiter & iacta cogitatum tuum in Domino, & nō te quis seducat exinde ire. Et dicebat: Quidam adolescens factus monachus cæpit quotidie

ieiunare, & semel in hebdomada comedere. Quod videns Abbas mirabatur, & benedicebat Deum. Contigit autem post aliquod tempus cæpit frater ille supplicare Abbati suo dicens: Rogo te vt dimittas me in eremum. Dicit ei Abbas: Non potes talem perferre laborem. Ille autem cæpit magis rogare vt permitteret. Videns autem quia eum tenere non poterat, facta oratione eum dimisit. Deinde narratur, qualiter post sex annos seductus à diabolo exiuit eremum, & incidens in fornicationem impænitens mansit in seculo. *In vitis Patrum libro septimo, parte 3.*

B. Interrogauit Abbas Longinus Abbatem Lucium, dicens: Dispositum meum est vt declinem hominum aspectus. Et respondit Lucius: Nisi prius correxeris vitam tuam inter alios conuersando, nec solus habitans corrigere te præualebis. *Ibidem libro decimo, parte quarta.*

C. Frater quidam renuncians mundo statim reclusit se dicens. Solitarius volo esse. Audientes vicini seniores venerunt & eiecerunt eum, & fecerunt circuire cellas fratrum & pænitere coram singulis & dicere. Ignosce mihi quia non sum solitarius, sed initium monachi nuper assumpsi. *Eodem libro parte vndecima.*

D. Mihi aliquando cum tristitia conquerenti sancto Macario Alexandrino, quod variæ cogitationes animum meum conturbarent, dicentes, vade hinc quia nihil agere te cernis, respondit: Dic ipsis, propter Christum parietes huius cellæ custodio. *Heraclides in suo Paradiso.*

E. Solent nonnulli ita diuturno silentio solitudinis efferri, vt prorsus hominum consortia perhorrescant, & notabili mentis angore & euidentibus pusillanimitatis indicijs æstuent, quod ijs euenire consueuit, qui non perfectè in cænobijs instituti nec ex coctis prioribus vitijs ad solitariam se vitam immaturo desiderio transtulerunt. *Cassianus collatione decima-nona, capite vigesimo.*

Mihi oppidum carcer, & solitudo Paradisus est. *Hieronymus de vita monachi.* F.

SOMNIVM.

Nonnunquam solet malus spiritus multa vera prædicere, vt ad extremum valeat animam ex vna falsitate illaqueare, sicut cuidam nostrûm certum est nuper contigisse, qui dum somnia valde attenderet, ei per somnium longa huius vitæ spatia promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendijs collegisset, ita repentè defunctus est, vt intactas relinqueret. *Gregorius in Dialog. libro quarto, capite 58. & 59.* A.

Carthaginensium Dux Amilcar, cum obsideret Syracusas, inter somnum exaudire se vocem credidit, nunciãtem futurum vt proxima die in ea vrbe cænaret. Lætus diuinitus promissa victoria, exercitum pugnæ comparabat, in quo inter Siculos & Pænos orta dissensione, castris eius Syracusani subita irruptione oppressis, ipsum intra mænia vinctum pertraxerunt. Ita cænauit Syracusis captiuus, non victor. *Valerius libro primo, capite septimo. Tullius 1. Diuinat.* B.

Duo familiares Arcades iter vnà facientes Megaram venerunt, quorum alter se ad hospitem cõtulit, alter in tabernam meritoriam diuertit. Is qui in hospitio erat, vidit in somnis C.

comitem orantem, vt sibi cauponis insidijs circumuento opem ferret, posse enim celeri eius accursu se periculo substrahi. Quo viso prosilijt, tabernamque petere conatus est, deinde pestifero fato propositum humanum damnauit, & somnum & lectum repetijt. Tunc idem ei saucius oblatus obsecrauit, vt quia vitæ suæ auxilium ferre neglexisset, neci saltem vltionem non negaret. Corpus enim suum á caupone trucidatum, cum maximo plaustro efferri ad portam stercore coopertum, tam constantibus familiaris precibus cõpulsus, statim ad portã cucurrit, & plaustrum comprehendit, & cauponem ad capitale supplicium perduxit. *Ibidem Valer. & Tullius.*

D. Cum Poeta Simonides ad littus nauem appulisset, inhumatumque corpus iacens reperisset, & sepulturæ mandasset, admonitus ab eo per somnum, ne proximo die nauigaret, in terra remansit, qui inde soluerunt, fluctibus in conspectu eius obruti sunt. *Valerius libro primo, capite septimo. Cicero 1. Diuinat.*

E. Vir Dei Benedictus quis esset ei secundus ordinauit, & præposito monasterij in somnis apparuit, & singula loca, vbi quid ædificare debuissent, designauit. *Consule Gregorium in Dial. libro secundo, capite vigesimo-secundo.*

F. *Epist. ad Eustoc. de cust. vir.* Siue dormiat, siue vigilet, siue studeat, siue ambulet, quis fidelis, iuxta Hieronymum, pingat in fronte Domini crucem, quæ contra dæmones est virtutis insigne. Dormiẽtes enim non solum in anima, sed etiam in corporibus vexant. Habui in scholis socium qui me vidente & audiente, non solum facta, sed & dicta, & lectiones de die receptas dormiens recitabat, quod vt certus fui, vigilans non potuisset. *Cantipratanus in libro de Apibus libro secundo, capite* 57.

G. Causa somniorum est, quandoque dispositio corporis, vt homines frigidi sæpe somniant, quod sint in glacie, vel niue. Albertus commentator dicit, quod quidam somniauit, quod pix nigra fundebatur super pectus eius, & postea mane euomuit choleram nigram in magna quantitate.

SOMNVS.

A. Abbas Arsenius tota nocte vigilabat, quando volebat circa mane propter naturam dormire, dicebat. Veni serue male, & dormiebat sedendo & statim surgebat. *In vitis Patrum libro quarto, parte prima.*

B. Vidimus senem Midchetem nomine hanc à Deo gratiam precibus impetrasse, vt quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio spiritualis, nunquam somno laxaretur, si quis vero verbum otiosum dixisset, in sõnum protinus concidebat. *Cassianus de institutis monachorum lib.* 5. *c.* 19.

C. Hic otiosarum fabularum diabolũ esse authorem ac spiritualium collationum impugnatorem existere declarauit, ijs indicijs. Nam cum fratribus de rebus necessarijs ac spiritualibus loqueretur, eosque videret læthеo sopore demergi, repentè fabulam introduxit, ad cuius oblectationem cum eos euigilasse statim vidisset, ingemiscens ait: Nunc vsque de rebus cælestibus loquebamur, & omnium oculi sopore deprimebantur: at cum otiosa fabula est recitata omnes expergefacti sunt. Hinc perpendite, quod dæmon malis adgaudet, vel istam fouere, vel illam impugnare non desinit. *Idem eodem capite* 31.

SORTI-

SORTILEGIVM.

A. QVædam sortilega cum ad mortem infirmaretur, á filia sua monebatur, vt confiteretur, & sacramenta peteret: Qua renuente, vocauit illa vicinas suas, vt ei hoc suaderent. Quibus monentibus respondit: Non moriar ita cito. Illis autem affirmantibus, illa subiunxit. Certa sum quod non moriar ante quinque annos. Illis quomodo hoc sciret, quærentibus, dixit: Hoc anno prima die Maij cuculus mihi respődebat quinque vicibus cantans coucu, & ideo scio quia per quinque annos viuam, quæ satis cito post sine Sacerdote & sacramento mortua est. *Humbertus in libro de dono timoris.*

SPECVLVM.

A. QVid viro cum speculo, nisi in eo casu quo illud Platonem gestasse testis est Flauianus, vt videret in eo quantum peregrinatio, studij feruor, acumen temporis, processus ætatis de naturali statu mutassent faciei indicio, quæ bona & mala fidelissime protestatur? *Ioannes Saresb. in Polycratico libro octauo, capite 12.*

STABILITAS.

A. DIcebat senex, quia antiqui non citò migrabant de loco ad locũ, nisi fortè pro tribus rebus, scil. si quis erat qui contristaretur aduersus eum, & satisfaciens ei per omnia non potuisset eum placare, aut si iterum contigisset vt á pluribus laudaretur, aut si in tentationem fornicationis incidisset. *In vitis Patrum libro septimo, parte quarta.*

B. Dicebant Patres: Si tibi contigerit tentatio in loco quo habitas non deseras locum in tempore tentationis, quia quocumque perrexeris, te inueniet quod fugiebas, sed patiẽs esto donec tentatio transeat, ne discessio tua alijs scandalum faciat, & ne fortè eis qui circa locum habitant tribulationem ingerat tua discessio. *Eodem libro parte quarta.*

C. Dicit senex: Sicut arbor fructificare non potest si sæpius transferatur, sic nec monachus sæpe migrans. *Ibi parte vigesima-sexta.*

STVDIVM.

A. MVlier quædam indigens consilio Augustini venit ad eum, inuenitque studentem. Quem cum salutasset ille, nec eam respexit, nec respondit. Cogitans illa quod propter sanctitatem suam non vellet faciem mulieris aspicere, propius accessit, & negotium ei exposuit, sed nec tunc respondit, sicque tristis recessit. Altera die cum ille missam celebraret, & illa interesset, post eleuationem corporis Christi in spiritu rapta vidit se positam ante tribunal S. Trinitatis, vbi vidit Augustinum facie inclinata de Trinitatis gloria attentissime & subtilissime disputãtem, factaque est vox ad eam. Cum ad Augustinum iuisti, ille sic de SS. Trinitate disputabat, sed ad eum redeas, quia & eum clementem inuenies, & consilium salubre reperies. Quod & factum est. *In aurea legenda de eodem.*

B. Parisijs accidit, quód quidam discipulus magistro suo post mortem apparuit de die indutus cappa de pergameno, minutis literis conscripta. Cũque ab eo magister quæreret, quid cappa illa & literæ sibi vellent, respondit. Quælibet literarum harum

plus

plus grauat me pondere suo, quam si turrim huius Ecclesiæ super collum portarem. Hę siquidem literæ sunt sophismata & curiositates in quibus dies meos consumpsi. Et addidit. Nō possem tibi exprimere quanto ardore torqueor sub hac cappa, sed per vnam guttã sudoris possem tibi ostendere aliquo modo. Cumque magister extenderet palmam, vt sudoris exciperet guttam, perforata est manus à feruente gutta. Mox ille scholas Logicæ reliquit, & ordinem Cisterciensem ingrediens ait: Linquo coax ranis, cras coruis, vanaque vanis, Ad Logicam pergo quæ mortis non timet ergo. *Iacobus de Vitriaco.*

C. Quondam vitæ philosophicæ professores execrabantur diuitias, nec putabant cum earum sollicitudine posse aliquem obtinere prudentiam, aut in castris militare. Verbum Socratis fuisse dicitur, neminem studiosum fieri, nisi se mediocriter pauperem opinetur, nam sicut superuacuas opes reijcit, sic paupertatem, si tolerabilis est, & munda non est, studium non admittit. *Petrus Blesensis in quadam epistola. Valerius libro octauo, capite septimo. Plato in Enthyd. Cic. Pæto.*

D. Captis Siracusis Marcellus machinationibus Archimedis multum ac diu victoriam suam inhibitam senserat, prudentia tamen hominis delectatus, vt capiti illius parceretur, edixit, qui postea tamen ante donatus vita ob studium, vita modo spoliatur. *Valerius libro octauo, capite septimo. Liuius lib. 25. Plut. in Marcello. Cicero de finibus libr. 5. & Verrina 6.*

E. Isocrates librum, qui Panathenaicos inscribitur, quartum & nonagesimum agens annum composuit, opus ardentis spiritus plenum, ex quo apparet senescentibus membris eruditorum, intus animos industriæ beneficio florere iuuentæ retinere. *Ibidem Valer. & Tullius in Catone.*

STVLTVS.

Vide Socrates.

STVPRVM.

In stupro detectas sacerdotes Deæ Vestæ consecratas viuas defodiebant Romani: adulteras vero, quãuis aliqua damnatione tamen, nulla morte plectebant. Adeo grauius putabant adyta diuina, quam humana cubilia vindicanda. Adyta .i. templa quæ violata stupro magis vindicabantur, quam cubilia maritorũ violata. *Augustinus de ciuitate Dei libro tertio, capite quinto.* A.

SVBTILITAS.

Vide Antonius. g. Iudex. i. Quæstio. b.

SVCCESSIO.

Darius decessit relictis multis filijs, ex quibus Artemenes maximus ætatis priuilegio regnum sibi vendicabat, Xerxes vero sibi ex nascendi fælicitate, nam Dario priuato natus Artemenes erat, ipso Rege Xerxes. Tandem Patrum Artaphernem Iudicem elegerunt, concordi animo, qui cognita causa Xerxem præposuit, adeoque fraterna contentio composita fuit, vt nec victor insultauerit, nec victus doluerit. *Trogus Pompeius libro secundo.* A.

SVCCVBVS.

Frater quidam ordinis Prædicatorum iacens quodam mane in dormitorio, vidit dæmonem in specie mulieris pulcherrimæ in dormitorio venientem, & turbari cæpit, quod mulier illa hora illuc permissa fuisset intrare. Nec mora progrediẽs illa A.

illa se iuxta fratrem in lecto quasi risu iocundo illum alliciens collocauit, qui signare se volens nec valens, dorsum tandem ad parietem ponens, & pedibus latus illius concutiens, cum pugno eius faciem percutere voluisset, os dæmon laté diffusum aperuit, & sic repentè disparuit. Clamare autem cum ille voluisset non potuit, sed quasi mutus irrugijt. Mirum quomodo hoc dæmon potuit maximè in iuuene gratia Dei pleno. Sed hæc quæstio citius soluitur, si de lupis S. Ambrosij sentẽtia recolatur. Homo quem lupus viderit conticescit, & clamare non potest, despicitque eum lupus tanquam victor vocis ablatæ, est & ratio naturalis. Lupus radijs oculorum suorum immissis homini, eius spiritus vitales desiccat in instanti, quibus desiccatis, desiccantur & arteriæ, & sic raucus efficitur, instrumento vocis impedito. *Cantipratanus libro secundo de Apibus capite 57.*

Libr. 6. Hexaem. cap. 4.

SVFFICIENTIA.

Vide Cupiditas. a. Diogenes. a. c.

SVFFRAGIVM.

A. PRæcipiebat S. Ioannes Eleemosynarius collationes pro defunctis impigrè facere dicens, quia ante paucum tempus quidam captiuus à Persis in carcerem est trusus. Euadentes autem quidam de concaptiuis suis, & ad Patrem illius reuertentes, asserebant illum mortuũ, quia similem sibi sepeliuerant. Parentes ergo quasi pro mortuo, per annos singulos, tres collectas faciebant. Post quatuor annos ille fugit, elapsusque redijt: & cum cognouisset ea quæ pro eo agebantur, dixit se illo tempore quo dictæ collectæ fiebant, à quodam candidato solutum fuisse, & toto die liberum ambulasse. In crastino autem reuersus nesciebat se astrictum. Ex hoc igitur, ait S. Ioannes, dormientes quietem habere discimus, quando pro eis collectas facimus. *In speculo histor. libr. 23. capite 110. & in vita S. Ioannis Eleemosynarij apud Surium 27. Ianuarij.*

B. S. Odilo comperiens quod apud Vulcanum Siciliæ crebro voces audiebantur dæmonum plangentium, quod animæ defunctorum per eleemosynas & orationes de eorum manibus eripiebantur, in suis monasterijs ordinauit, vt post festum omniũ Sanctorum fieret commemoratio defunctorum, quod fuit postea ab omni Ecclesia approbatum. *In aurea legenda de commemoratione fidelium. Vincentius libr. 24. cap. 105.*

SVPERBIA.

A. AVrelius Commodus adueniente die natali suo deformiter indutus, regiam cum mitra ascendit sedem. Tantæ enim superbiæ erat, vt indueret se pelle leonis, designare volens quod sicut leo bestiarum, sic ipse esset Rex & magister populorum. *Vincentius in speculo hist. lib. 11. cap. 119.*

SVPERSTITIO.

A. OLim á paganis & gentilibus in calendis Ianuarij multæ superstitiones obseruabantur, quos Sancti vix á Christianis extirpare potuerunt. Sunt enim, vt dicit S. Augustinus, qui in his calendis formas monstruosas assumant, alij se pecudũ pellibus, alij muliebribus tunicis se vestientes. Ita obseruant alij auguria, vt focum de domo sua, vel aliud

beneficium cuique petenti non tribuant, diabolicas strenas & ab alijs accipiunt, & alijs tradunt, alij in nocte mensas præparant, & tota nocte comedunt. Et subdit. Qui hæc iuxta morem paganorum obseruare voluerunt, timendum est vt nomen Christianum eis prodesse non possit. *In legenda aurea de Circumcisione. Vide Card. Baron. in notis ad martyr. 1. Ianuarij.*

B. *Cap. 87. de diuinis Officijs.* Consuetudo fuit olim gentilium, vt ait Ioannes Beleth, quotannis in mense Februarij certo quopiam die, epulas offerre super tumulum parentũ suorum, & eas de nocte dæmones consumebant, cum inde non minus falsò quam ridiculè animæ refici crederentur. Solebant enim antiqui dicere, quod quando in humanis corporibus sunt, dicuntur animæ, in inferis manes, spiritus vocabant quando ad cælos ascendebant: vmbras, quando recens erat sepultura. *In aurea legenda de Cathedra S. Petri.*

Suscitatio.

A. IN Tudertina vrbe, Marcellus quidam vir bonus sabbatho Paschæ defunctus est. Sequenti die perrexit ad domum vir Dei Fortunatus Episcopus motus sororum defuncti lachrimis, ibique orationem fudit. Postea surrexit, & iuxta corpus defuncti sedit, vocauitque defunctum non grandi voce dicens: Frater Marcelle. Ille autem ac si leniter dormiẽs, excitatus oculos aperuit, atque ad Episcopum respiciens, dixit: O quid fecisti! Duo heri venerunt, qui me eijcientes ex corpore in bonum locum duxerunt, hodie autem missus est qui dixit: Reducite eum, quia Fortunatus Episcopus in domum illius venit. Qui & in hac vita diutius mansit, nec tamen est credendum, quia locum quem acceperat, perdidit. *Gregorius in Dialogis libro primo, capite decimo.*

B. Virum venerabilem Seuerum nomine Ecclesiæ S. Mariæ Sacerdotem, cum quidam paterfamilias ad extremum venisset diem, rogauit vt ad se citò veniret, suisque orationibus pro peccatis suis intercederet. Qui Sacerdos moram fecit occupatus in amputanda vinea, cui expleto opere eunti nunciatum est. Quare tardasti Pater? noli fatigari. Iam defunctus est. Quo audito contremuit, seque illius interfectorem clamare cœpit. Cumque valde fleret, & in terra caput tunderet, statim defunctus animam recepit. Cumque præsentes quærerent vbi fuerit, vel quomodo? dixit. Tetri valde erant homines qui me ducebant, ex quorum ore ac naribus ignis exibat. Cumque per obscura loca me ducerent, subito pulcher iuuenis factus est obuius, qui me trahentibus dixit. Reducite eum, quia Seuerus præsbiter plangit. Eius enim lachrimis eum Dominus donauit, qui scil. Seuerus protinus de terra surrexit, eique pænitentiam agenti opem suæ intercessionis præbuit. Et dum per septem dies vixisset, octaua die defunctus est. *Greg. in Dialog. libro primo, capite vltimo.*

Suspitio.

A. AGe illa quam execrabilis militum temeritas fecit. Nam Albinus propter falsas suspiciones, alioqui ciuis eximius, in castris à militibus lapidibus obrutus est, & duci à militibus causæ dicendæ potestas negata est. *Valerius libro nono, cap. octauo. Liuius libr. 75. Orosius libro quinto, capite octauo.*

Itaque

E. Itaque minus miror apud trucem animum Hannibalis, defensionis locum innoxio gubernatori defuisse, quem à Petilia classe Africam repetens freto appulsus, dum tam paruo spatio Italiam, Siciliamque inter se diuisas non credidit, velut insidiosum cursus rectorem interemit. Postea diligentius inspecta veritate, tūc absoluit, cum eius innocentiæ nil vltra sepulchri honorem dari potuit. *Ibidem Seruius in 7. Aeneid. Pomponius Mela. 2. lib. cap. 7. aliter.*

TACITVRNITAS.

A. ABbas Arsenius cum esset in palatio orauit Deum dicens: Domine dirige me ad salutem & venit vox dicens: Arseni fuge homines & saluaberis, idem ad monasticam vitam descendēs rursus orauit, vt prius, & audiuit vocem dicentem. Arseni, fuge, tace, quiesce. Hæc enim sunt radices non peccandi. *In vitis Patrum libro secundo, parte prima.*

B. Dicebāt de Abbate Agathone, quia per triennium lapidem in ore suo mittebat, donec taciturnitatem disceret. *Ibid. libro quarto, parte prima.*

C. Ille erat sermo in ore Arseni. Propter quid existi? Loqui me sæpe penituit, tacere nunquam. *Ibid. libro decimo-quinto, parte prima.*

D. Venit aliquando Theophilus Episcopus in Scythi. Congregati autem fratres dixerunt ad Abbatem Pambo. Dic vnum sermonem Papę, vt ædificetur in hoc loco. Et respondit: Si in mea taciturnitate non ædificetur, neque in sermone meo ædificabitur. *Ibidem parte quinta.*

E. Frater interrogauit senem dicens: Si habito cum fratribus & video aliquam rem inconuenientem, vis vt loquar? Dixit senex: Si sint aliqui maiores te aut coætanei, tacens magis requiem habebis in hoc quod te minorem facis & securum te reddis. *Ibidem parte octaua.*

F. Quidam philosophus cuidam rustico in conuiuio tacenti. Ex doctis, inquit, hoc solum habes. *Gulielmus Lugdunensis.*

G. Xenocratis responsum quam laudabile, qui cum maledico quorundam sermoni, summo silentio interesset, vno ex ijs quærente cur solus linguam suam cohiberet, quia dixisse me, inquit, aliquando pænituit, tacuisse nunquam. *Valerius libro septimo, capite secundo. Stobæus serm. 31. & Plutarch. de bona valetudine, id Simonidi ascribunt.*

TÆDIVM.

A. S. Antonius cum aliquando sederet in eremo animus eius tædium & confusionem cogitationum incurrit. Et dicebat ad Deum: Domine volo saluus fieri, & non permittunt me cogitationes meæ. Et surgens cæpit foras exire, & vidit quendam tanquam seipsum sedentem & operantem, deinde surgentem ab operibus & orantem, & plectam de palmis facientem. Erat enim Angelus Domini missus ad correptionem & cautelam dandam Antonio. Et dictum est ei: Sic fac & saluus eris. Tunc sumpsit gaudium & fiduciam, & ita faciens salutem inuenit. *In vitis Patrum libro septimo, parte prima.*

B. Interrogatus est senex quare frater sedens in cella tædium pateretur? Et dixit ei senex: Quia adhuc non vidisti nec speratam resurrectionem, nec accensa tormenta. Nam si hæc vidisses, & si ita esset tua plena vermibus vt vsque ad collum mergereris, sustineres. *Eodem libro parte quarta.*

TEMPERANTIA.

Vide Mutatio. b. Socrates. d.

TEMPESTAS.

A. Circa annum Domini 1193. in pago Beluacensi tantæ pluuiæ cum fulminibus & tempestatibus factæ sunt, quantas nulla memorat antiquitas. Lapides ad quantitatem ouorum quadranguli mixtim cum pluuia ceciderunt. *In speculo histor. libro 30. capite 56.*

B. Apud Lemonicas, Priore fratrum Prędicatorum eiusdem ciuitatis narrante, tantæ magnitudinis grandines ceciderunt, vt in vrbibus tecta frangerentur, demolirentur vineæ, fruges redigerentur in paleas, homines extra tecta necarentur. *Cantipratanus libro secundo, cap. 57.*

TEMPLVM.

A. Traditur de Pompeio, quod postquam illi qui cum eo erant, prophanauerunt templum, & statuerunt equos in porticu templi, nūquam postea pugnauit, quin vinceretur, qui hactenus fuerat fortissimus. *Gulielmus Lugd. in summa virtutum parte tertia, rubrica 13. Ioseph. libro primo de bello Iudaico cap. 5. meminit templi à Pompeio profanati.*

B. Legitur quod in destructione templi sancti, quæ facta est per Romanos, qui auulserunt totum aurum, & clauos aureos qui erant infixi trabibus, cum habere non possent, eas combusserunt, & tantum auri erat in clauis, quod riuulus auri liquefacti peruenit in torrentem Cedron. *In hist. schol. super tertium Regum.*

C. Cum Ioas Regem Iuda argueret, Zacharias filius Ioiadæ, fecit eum lapidibus obrui inter templum & altare. Ex tunc, vt dicit Epiphanius, non accepit populus in templo responsum manifestum sicut prius, nec ex Dabyr, nec ex Ephod. *Ibi super quartum Regum cap. de Ozia.* 2. Paral. cap. 24. vers. 21. Mat. 23. vers. 35.

TENTATIO.

A. Tentatus est aliquando discipulus senis à fornicatione, Senex autem cum videret illum laborantem, dicit ei: Vis rogo Deum, vt subleuet à te molestiam istam? Ille autem dixit: Video Abba, quia & si laboro, tamen ex pondere huius fructificare me. Sed hoc roga Deum, vt det mihi tolerantiam. Dicit ei Abbas: Nunc agnosco fili, quia in magno profectu es, & supergrederis me. *In vitis Patrum libro 5. parte 3.*

B. Frater quidam dixit seni. Quid faciam, quia occidit me sordida cogitatio? Dixit ei senex: Quia mulier quando vult ablactare filium suum, amarum aliquid superungit vberibus, vt cum sugere lac venerit, refugiat. Mitte ergo & tu in cogitatione tua amaritudinem. Dicit ei frater: Quæ est amaritudo quam debeam mittere? Dicit ei senex: Cogitatio mortis, & tormentorum peccatoribus paratorum. *Ibi. parte sexta.*

C. In speciem pulchrarum mulierū transformati spiritus iugiter quadraginta diebus pugnauerunt aduersus quendam fratrem, vt traherent eum ad turpem commixtionem. Illo viriliter repugnante, Deus donauit ei vt vltra nullum calorem carnis pateretur. *Ibi parte septima.*

D. Solitarius quidam erat in inferioribus partibus Ægypti, & ecce quædam inhonesta mulier dicebat iuuenibus. Quid vultis mihi dare, & ego depono istum solitarium vestrum? Illi constituerunt certum quid

quid dare, & egressa vespere venit in cellam eius velut errans, & cum pulsasset cellam, egressus est ille, & videns eam turbatus est dicens: Quomodo huc venisti? illa autem dicebat. Errando huc veni. Qui misertus introduxit eam in atriolum cellæ suæ, & intrauit ipse in cellam suam & clausit. Et ecce infælix illa clamauit dicens: Abba feræ comedent me. Et aperiens introduxit eam veritus iudicium Dei. Cæpit autem diabolus velut sagittis stimulare cor eius in eam, qui cum intellexisset diaboli esse stimulos, dicebat: Viæ inimici tenebræ sunt, filius Dei lux est. Surgens ergo incendit lucernam,& cum inflammaretur,dicebat: Quia qui talia agunt, in tormentum vadunt. Proba ergo te in hoc, si potes æternum sustinere ignem. Et mittebat digitum in lucernam, quem cum incendisset, ardens non sentiebat propter nimiam flammam carnalis concupiscentiæ, & ita vsque mane faciens incendit omnes digitos. Illa hæc videns, à timore velut lapis facta est. Venientes vero mane iuuenes ad monachum dicebant: Venit huc mulier sero. Ille dixit: Etiam. Ecce vbi dormit. Et intrantes inuenerunt eam mortuam & dicunt: Abba mortua est. Tunc ille ostendit eis manus suas, dicens: Ecce quid fecit mihi diabolus. Ista filia perdidit omnes digitos meos, & narrans quid factum fuerat, dicebat: Scriptum est, non reddes malum pro malo, & faciens orationem suscitauit eam, quæ castè egit reliquũ vitæ. *Eodem libro parte septima.*

D. Franciscus iacens in igne, scortum impudens ad se inuitauit. Accede, inquiens, fruere splendido lecto & florido. Illæsus ab igne, mulierem non solum à libidine, verum etiam ab impietate retraxit ad Christum. Idem præstitit in aula Frederici secundi Imperatoris. Vide Speculum vitæ D. Francisci cap. 74. & Barptolo. Pisanum Conformit. fruct. 2. Simile narrat in Francia factum Cæsarius libro decimo, capite septuagesimoquarto. Cantipratanus libro secundo, capite septuagesimo. Item Stephanus de Sampaze Lusitanus de beato Petro Consaluo Dominicano capite quarto vitæ ipsius.

E. Frater quidam nouem annis mansit impugnatus à cogitationibus suis, vt exiret de congregatione, & quotidie tollebat pelliculam suam in qua iacebat, vt exiret. Quando fiebat vesperi dicebat in seipso. Cras hinc discedam. Et mane dicebat, itemus adhuc hodie propter Deum. Qui cũ ita impleffet nouem annos, abstulit Deus ab eo tentationem. *In vitis Patrum libro septimo, parte quinta.*

F. Dixit Abbas Antonius, quia non permittit Deus bella excitari in generatione hac, quia scit quod infirmi sunt, & portare non possunt. *Ibi. libro decimo, parte prima.*

G. Interrogauit Abbas Pastor Abbatem Ioseph, dicens: Quid faciã quando approximant mihi aliquæ tentationes? Resistam illis, an permittam intrare? Dicit ei senex: Permitte intrare,& pugna cum eis, nam ita illæ probatiorem te facient. *Ibidem libro decimo, parte quarta.*

H. Venit quidam senex ad alium senẽ,& cum loqueretur vnus ex eis dixit: Ego mortuus sum huic seculo. Alter vero dixit: Ne confidas in teipso donec exeas de corpore. Nam si de te dicis quia mortuus es, Satanas autem mortuus non est. *Ibi lib. 11 parte 4.*

Beatus homo qui semper est pauidus. Prou. 28.

I. Frater dixit seni: Nil video pugnæ, in corde meo. Et dixit senex: Tu sic es velut quadragemina porta, vt quicunque voluerit intrare,

quando voluerit in te & quando voluerit, exeat, & tu non intelligis quæ aguntur, nam si haberes ianuam & clauderes eam, nec permitteres intrare per eam cogitationes malas, tunc videres stantes foris & pugnantes aduersum te. *Ibi.*

K. Dicebat quidam senex, quia patres nostri consueuerunt venire ad cellas nouorum fratrum, qui solitarij conuersari solebant, ne quis eorum à dæmonibus læderetur à cogitatione sua, & si quando aliquis eorum inueniebatur læsus, adducebant eum ad Ecclesiam, & ponebatur peluis cum aqua, & pro eo oratio fiebat, & lauabant omnes fratres manus suas in pelui, & perfundebatur aqua illa fratri qui tentabatur, atque ita statim purgabatur. *Ibid. libro decimo-septimo, parte secunda.*

L. Matrona quædam nobilis, cum in castro in quo manebat, die quadam sola esset, subito tam validè est inflãmata, vt ignem amoris ferre nõ posset. Sed ad portarium descendens vt sibi commisceri vellet, supplicauit. Cui ille vt vir bonus respondit: Quid est quod loqueris Domina? vbi est sensus tuus? Respice Deum, attende honorem tuum. Illa nil curans cum à portario repulsam pateretur, nutu Dei de castro exiens ad flumen, aquis gelidis se immersit, in quibus tam diu sedit, donec fomitem libidinis extingueret. Tunc ad portarium rediens, & de repulsa gratias agens ait: Si mihi dares mille marcas auri, non modo facerem, quod paulò ante te facere rogaui. *Cæsarius libro quarto miraculorum, cap. 102.*

M. In Francia virginem quandam religiosam & inclusam tentauit dæmõ per stimulum carnis. Quæ à Deo petebat liberationem. Cui cum oranti Angelus dixisset, vis liberari? Dixit: Volo, Domine, volo. Cui dixit: Dic illum versum psalmi: Confige timore tuo carnes meas, quo dicto cessauit tentatio, sed statim periculosius tentabatur de Deo, & fide Christiana, à qua etiam cum lachrymis petiuit liberari. Tunc Angelus dixit ei: Quomodo te habes Soror? Respondit: Nũquam peius. Et Angelus, putas te viuere sine tentatione? Necesse est alteram harum habeas: Cui illa: Eligo primam, quia etsi immunda, tamen humana est. Tunc spiritus blasphemiæ eam deseruit, & stimulus carnis rediјt. *Cæsarius ibidem.*

S. Leonis primi Papæ manum cum quædam fœmina communicando cum alijs, in die Paschæ osculata esset, ipse tantam tentationem ex hoc concepit, vt manum quæ fuerat occasio scandali, clam amputaret. Verum cum tumultus contra eum inualesceret, eo quod missam non celebraret in angustia constitutus, totum negotium beatæ virgini commisit, cui illa manum apportans visibiliter apparuit, & trunco manus, manum apposuit. De quo miraculo Pontifex sanctus non solum gratias egit, sed etiam in suis concionibus illud miraculum frequenter omnibus publicauit. *In Chronicis Martini Poloni.* N.

TERRÆ MOTVS.

INter Insulas Theramenem & Therasiã, medio vtriusque ripæ & maris spatio terræ motus factus est, in quo cum admiratione nauigantium repentè ex profundo cum calidis aquis Insula emersit. *Iustinus libro trigesimo.* A.

Marco Claudio Marcello, Quinto Fabio Labeone Consulibus in Sicilia, Vulcania Insula quæ ante non fuerat, B.

fuerat, repentè mari edita vsque nunc manet. *Orosius de orchestra mundi libro quarto.*

C. Apud Constantinopolim per tres menses terræ motu terra fluctuante, quidam adolescentulus coram omnibus orantibus sublatus in aera diuina voce monitus est, vt factis litanijs canerent omnes Sãctus, sanctus, sanctus, & immortalis, miserere nõbis, quo facto cessauit terrę motus. *Sigebertus in Chronicis ad annum 444. Paulus Diaconus hist. libr. 14.*

TESTAMENTVM.

A. QVidam vsurarius cum faceret testamentum, astante Sacerdote, & multa legaret amicis suis, & nihil ordinaret pro anima sua, dixit illi Sacerdos: Domine recordemini de anima vestra. Et ille: Bene dicitis Domine, quia tradideram illam obliuioni. *Humbertus libro de dono timoris.*

B. Gayus Falcidus Tribunus plebis, legem tulit, ne quis plus testamento legaret, quam vt quarta pars hæredibus superesset. *Eusebius in Chronicis.*

C. Militantis cuiusdam pater, cum de morte filij falsum è castris nuncium accepisset, alijs hæredibus scriptis decessit. Deinde narrat qualiter illud testamentum authoritate Iudicum fuit annullatum. *Valerius libro septimo, capite septimo, & Cicero de Oratore libro primo.*

D. M. Annei equitis Romani filius à Suffænate Auunculo suo adoptatus, testamentum patris naturalis, quo præteritus erat, apud Centumviros rescidit, cum in eo Tullius Pompei Magni familiaris, ipso quidem Pompeio signatore hæres scriptus esset. *Ibidem Valer.*

TESTIS.

A. DIxit Abbas Pastor, quia scriptum est, quæ viderunt oculi tui ijs testimonium perhibe. Ideo dico vobis nisi palpaueritis manibus vestris, nolite testificari de peccato fratris. Aliquando enim quidã frater seductus est in eiusmodi re, & apparuit quasi quod frater quidã cum muliere peccaret, qui dum impugnaretur à cogitationibus, existimans simul eos coire, abijt & pulsauit eos pede suo dicens: Cessate iam, & ecce erant manipuli messis tritici, ideo dixi vobis nisi manibus vestris palpaueritis, nolite testificari. *In vitis Patrum lib. 24. parte tertia.*

B. Quintus Scæuola testis in reum productus, cum id respondisset, quod salutem periclitantis valde læsurum videbatur, discedens adiecit, ita sibi credi oportere, si alij idem asseruissent, quia vnius testimonio aliquem cedere pessimi esset exempli. *Valerius libro quarto, capite primo.*

THEODOSIVS MINOR.

A. SIc sapiens fuit Theodosius iunior, vt inter confabulantes experimẽtum habere crederetur omnium causarum. Mane ad suas sorores pergens diuinas dicebat laudes, sacras literas sine codice recitabat, loquentibus Episcopis velut olim Sacerdos factus ex diuina lectione respondebat, patientia & clementia omnibus emi-nebat: Dum aliquando familiarium interrogaretur voce, cur nullum se lædẽtium morti subijceret? vtinam, inquit, esset possibile ad vitam mortuos reuocare. Tanta pietate præcelluit, vt Deo consecratos omnes honoraret, præcipuè quos audiebat vene-

veneranda actione pollere. Si quando bella mouerentur, ad Deum confugiebat, inimicos orationibus superabat. *In hist. tripartit lib. 11. cap. 17.*

THEODOSIVS SENIOR.

A. HIc Theodosius senior contra Eugenij Tyranni robustum exercitum magis orando, quam feriendo pugnauit. Pugnante eo tela aduersariorum in seipsos retorquebantur. Vnde & Poeta Claudianus, in eius laudibus dixit:

In Panegyrico de tertio Honorij Consulatu.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther.
Et coniurati veniunt ad classica venti.

August. de ciuitate Dei libro quinto, capite vigesimo-sexto. Nicephorus libro duodecimo, capite 79.

B. Ecclesiæ se membrum magis esse quam in terris regnare gaudebat. *Ibi.*

THESAVRVS.

A. ANno Imperatoris Mauritij secundo, Guntrannus Francorũ Rex in venando fessus, dum in gremio armigeri sui dormiret, iuxta riuum aquæ, vidit armiger ex ore eius paruum animal exire, cui volenti trans riuum transire, nec valenti, armiger eius gladio trans riuum posito, viam ei eundi & redeundi parauit, quo iterum in eius os intrante, Rex expergefactus est, & dixit se per somnium, per pontem ferreum transisse, & sub quodã monte multos thesauros vidisse. Quo cum Rex perrexisset, secundum fidem somnij, multos thesauros inuenit, & Ecclesię vsibus delegauit. *Vincent. in spec. hist. libr. 23. cap. 2. & apud Sigeb. ad annum* 585.

B. Quidam senum dicebat: Caritas depositum ciborum, aut pecuniarum seruare non nouit. *Socrates in historia tripartit. libro 8. capite 1.*

S. THOMAS DE AQVINO.

CLericus quidam in sinodo Episcoporum prædicare compulsus, angustiabatur quidnam dignè posset, coram tot prælatis Ecclesiæ prædicare. Cum autem oraret, venit diabolus & dixit ei: Quid tristaris? Dicas eis istud, & non aliud. Principes inferni salutant Principes ecclesiæ. Læti omnes nos gratias eis referimus, quia cum ipsis prælatis eorum subditi simul nobis offeruntur, & per eorum negligentiam ad nos fere deuoluitur totus mundus. Inuitus quidem tibi dico, sed per Deum coactus. Respondit Clericus: Mihi, si narrauero, non credetur. At ille tangens maxillam eius. Ecce, inquit, signum, nigredo insolita faciei tuæ, hanc antequam prædices, non tangas, post prædicationem, aqua benedicta delebis. Processit ille prædicaturus, & mirantibus cunctis cum signo indito faciei, quæ iussa sibi fuerant, recitauit, & omnium corda ad horrorem maximum commouit. Hæc acta sunt Parisijs anno ab incarnatione Domini 1248. quæ cum nobilis adolescens Thomas de Aquino nomine verereretur, ordinem intrauit Prædicatorum Bononiæ. *Cantipratanus de Apibus libro primo, capite vigesimo.* A.

THOMAS MARTYR.

DVm Clerici in sepultura S. Thomę martyris incepissent in missa Requiem, subito Angeli astãtes martyris missam incipiunt. Lætabitur iustus in Domino &c. Et continuo Clerici illam prosequuntur. *In legenda ipsius. Simile legitur de beato Alberto Carmelita apud Surium septimo Augusti.* A.

Auis

B. Auis quædam edocta loqui, cum Nisus eam insequeretur, sicut didicerat, cæpit clamare: S. Thoma adiuua me, & statim Nisus mortuus cecidit. *Vbi supra.*

TIBERIVS.

A. TIberius Cæsar, adulationes sic auersatus est, vt si quid in concinna oratione blandius de se diceretur, non dubitaret interpellare, ac reprehendere, sed & aduersus conuitia, & malos rumores de se firmus & patiens erat. In vrbe libera, linguam, mentesque liberas esse debere iactabat. Præsidibus onerandas tributo prouincias suadentibus rescripsit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Senatorem quæstura remouit, quod vxorem pridie deductam, postridie repudiasset, mathematicos vrbe expulit. *Suetonius in vita Tiberij.*

B. Tiberius in omnibus negotijs suis morosus erat, vnde cum statueret procuratores in prouincijs, vix aut nunquam mutabat eos, quia scientes illi se ad modicum habituros procurationem emungunt vsque ad sanguinem plebeculam, & tanto dominantur grauius, quanto breuius. *In hist. schol. parte 8. cap. 59.*

TIMOR.

A. ABbatem Theodorum interrogauit frater quidam dicens: Si fiat subito sonus ruinæ alicuius, fit tibi timor Abba? Et dixit ei: Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat. Popofcerat enim à Deo vt auferret ab eo omnem timorem. *In vitis Patrum libro septimo, parte prima.*

B. Descendit aliquando Abbas Macarius, ad locum qui dicitur Therenochin, & intrauit dormire in monumento, vbi erant olim sepulta paganorum corpora, & traxit vnum corpus sub caput suum tanquam plumatium de scirpo. Dæmones vero videntes fiduciam eius, volebant eum terrere, & vocabant quandam mulierem dicentes: Nonna illa veni nobiscum ad balneum. Et alter dæmon sub ipso tanquam ex mortuis illis respondit, dicens: Peregrinum quendam habeo super me, non possum venire. Senex autem non expauit, sed confidens tundebat corpus illud dicens: Surge vade si potes. Quod cum audissent dæmones, clamauerunt: Vicisti nos, & fugerunt confusi. *Ibidem.*

C. Quando moriturus erat Abbas Agatho, tribus diebus mansit immobilis apertos tenens oculos, pulsauerunt autem eum fratres dicentes: Abba vbi es? Respondit: In conspectu diuini iudicij. Dicunt ei: Et tu times? Dixit. Virtute qua potui laboraui, in custodiendis mandatis Dei, sed nescio vtrum placuerint opera mea coram Deo. Dicunt ei fratres: & non fidis de tuis operibus, quia secundum Deum sunt? Dixit: Non præsumo nisi prius venero ante Deum. Alia enim sunt iudicia Dei, alia hominum. Cum autem vellent eum interrogare alium sermonem, dixit: Ostendite charitatem, & nolite mecum loqui quia occupatus sum. Quo dicto emisit spiritum. *In vitis Patrum libro vndecimo, parte prima.*

D. Massanissa Rex parum fidei in pectoribus hominum reponēs, salutem

suam custodia canum vallauit. *Valerius libro nono, capite 13.*

E. Dionysius Syracusanorum Tyrannus, ferocissimarum gentium homines, & prævalidos seruos ad latera sua substituit. Tonsorum metu, tondere filias suas docuit. Cubicularem lectum, perinde quasi castra, lata fossa cinxit, in quem ligneo ponte se recipiebat. *Ibidem & Diodo. libr. 20. Tullius Tusc. 5. & Offic. 2.*

TYRANNVS.

A. CVm Plato vidisset Dionysium prædictum corporis septum custodibus. Quod tantum, inquit, malum fecisti, vt debeas à tam multis custodiri? *Helinandus in Chronicis.*

TITVS.

A. TItus patris auaritiam tanta liberalitate purgauit, vt amor & deliciæ humani generis ab omnibus diceretur, neminem à se sine re, aut spe dimisit. Vnde quærẽtibus domesticis, cur plura polliceretur quam præstare posset? non oportet, inquit, quenquam à sermone Principis tristem discedere, idẽ recordatus quod aliquo die nihil dedisset, dixit: O amici hunc diem perdidi. *Suetonius lib. de duodecim Cæsaribus libr. 11.*

B. Nactus horam qua moriendũ erat, suspexisse dicitur cælum, conquestus vitam sibi eripi immerẽti, neq; enim extare vllum factum suum pænitentia dignum, vno excepto. Quod autem illud fuerit, nemini notũ fecit. *Ioannes Saresb. in Polyc. lib. 3. cap. 4.*

C. Tantæ ciuilitatis & humanitatis fuit, vt omnibus prodesse, nullumque punire studuerit. Conuictos coniurationis, dimisit illæsos. *Ibidem.*

TONITRVVM.

TIberius Cæsar tonitrua præter modum expauescebat, & turbatiore cælo coronã lauream gestabat, quod fulmine afflari negatur id genus frondis. *Suetonius de duodecim Cæsaribus libro tertio.* A.

TORNEAMENTVM.

CVm S. Maria de Ognyes, quadam die pro cuiusdam defuncti anima oraret, dictum est ei: Ne ores pro eo quia reprobatus est á Deo. Vulnere enim lætali transfixus, in torneamento fuit mortuus, & æternis incendijs mancipatus. *Iacobus de Vitriaco.* A.

TRAIANVS.

TRaianus militarem gloriam moderatione superauit, Romæ & per ciuitates æqualem se exhibens publicè ditans omnes, immunitates ciuibus largiens, relaxans tributa prouincijs, vt de eo diceretur in creatione Imperatoris, fælicior sis Augusto, & melior Traiano. *Helinandus in Chronicis.* A.

TRIBVLATIO.

FRater erat, quidam in cella, & super eum venit tentatio, & si quis eum videbat, nec salutare volebat, nec in cellam recipere, & si opus habebat pane, nemo mutuabat ei, & si de messe veniebat, nemo vt reficeret inuitabat. Venit autem de messura per cauma, nec panes habuit in cella sua, & in his omnibus gratias agebat Deo. Videns autem Deus patientiam eius, abstulit bellum tentationis A.

tionis ab eo. Et ecce statim quidam ostium eius pulsabat, trahens camelum onustū pane ab Ægypto. Quod cum vidisset frater cæpit flere dicens: Domine non sum dignus vel modicè tribulari. Et cum transiret tribulatio eius, tenebant eum fratres in cellis suis & in Ecclesia, & repausabant eum. *In vitis Patrum lib. 7. parte 2.*

TRIBVNVS.

A. TRibunis plebis intrare Curiam non licebat Romæ. Ante valuas autem positis subsellijs decreta Patrum examinabant, vt si qua ex eis improbassent, rata esse non finerent. Itaque veteribus Senatus consultis. T. litera subscribi solebat, eaque nota significabatur, ita Tribunos quoque censuisse, qui pro commodo plebis excubabant, inque imperijs compescendis occupati erant. *Valer. libro secundo, capite primo.*

TRIVMPHVS.

A. VIctoribus redeuntibus Romam post subiugationem regionum, fiebat triplex honor. Primus quod Victori obuiabat populus cum lætitia. Secundus quod omnes captiui currum sequebantur ligatis retro manibus. Tertius quod ipse victor indutus tunica Iouis in curru quem trahebant quatuor equi albi, & ducebatur vsque ad Capitolium secundum illud Ouidij:

Quatuor in niueis aureus ibis equis.

Ne tamen in his honoribus obliuisceretur sui, triplicem molestiam oportebat eum illo die sustinere: Prima erat, quia ponebatur cum eo in curru quidam seruilis conditionis, vt daretur cuilibet etiam vilis conditionis spes perueniendi ad talem honorem, si probitas pateretur, secunda erat, quod ille seruus eum colaphizabat, ne nimis superbiret, dicēs: Nosce teipsum. Tertia erat, quod in illa licebat impunè cuilibet dicere in personam triumphantis opprobria quæque vellet. *Hugutio & pro parte. Hieronymus in quadam epistola.*

B. Ob leuia quidam Imperatores triumphos sibi decerni optabāt, quibus vt occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium vna acie cæcidisset. *Valerius libro secundo, capite octauo.*

TVBA.

A. CVm Alcibiades Socraticus apud Periclem erudiretur, ille accersiuit quendam tibicinem, vt nepotem suum canere tibijs doceret. Cumque ille tibias ad os apposuisset, pudefactus deformitate oris inflati proiecit tibias, & confregit. Quo exemplo Athenienses artem illam damnauerunt. *Agellius libro decimoquinto, capite decimo-septimo.*

TVLLIVS.

A. CIcero cum in palatio vellet domum emere, & non haberet pecuniam, à Silla qui tūc reus erat, mutuo sextercium vicies tacitè accepit. Ea res priusquam emeretur, prodita est, obiectumque est ei quod pecuniam domus emendæ causa, à reo accepisset. Tunc ille permotus negauit se accepisse, dicens se domum nō empturum, atque adeo falsum est, inquit, quod dicitis, vt verum sit, me pecuniam accepisse si domum emero. Sed cum postea emisset, & hoc ab inimicis in Senatu ei obijceretur, risit satis, atque inter ridendum. Imprudentes, inquit, homines estis,

cum ignoratis patrisfamilias prudentis esse quod emere velit empturum se negare propter competitores emptionis. Sic quod negare non poterat, faceto elusit & diluit dicto. *In Polycr. lib. quinto, cap. 15.*

TVTOR.

Vide Lex. d.

Venatio.

A. Quodam tempore Edgarus Rex Angliæ venatum iuerat, & S. Dunstanum missam differre rogauit donec rediret. Appropinquante hora tertia Regem expectans stat cubitis innixus altari. Tunc subito sopore leui pressus rapitur in cælum, & immixtus Angelis, audit eos sanctæ Trinitati modulatis vocibus canere Kyrie eleison, quorum cantum retinens ad se reuersus est, & quærit, si Rex aduenisset. Respondetur, non. Iterum ergo orat, & iterum raptus audiuit ibi voce altissima dici. Ite missa est. Cumque responderetur Deo gratias, accurrerunt Clerici. Regem adesse dicentes. Quibus ille respondit, quod iam missam audierat, nec aliam eo die celebraturus erat. Interrogatus quare, visionem aperuit, & sumpto ex hoc sermone prohibuit Regi ne in dominica die amplius venatum pergeret. *Vincentius in speculo historiali libro 25. capite 85.*

B. Gens Thebana fœda parricidijs, incæstibus detestanda, insignis fraude, nota periurijs huius maleficij imprimis præcepta congessit, quæ postea ad gentem mollem, leuem & impudicam (Phrygios loquor) transmitteret.

Quomodo hæ infames notæ Thebanis inurantur, cognosces ex Senecæ tragedijs. Diodoro siculo lib. quarto. Sophocle, Euripide, Statio. Totum porro hunc locum mutuatus est Petrus Blesensis ex Polycratico lib. 1. c. 4. Saresberiensis Episcopi Carnutensis quem vt præceptorem suum crebrius commendat. Cæterum merito grauis vtriusque in venationem, censura hæc videri potest, cum eam constet natura sua, si absint abusus, esse licitam & honestam. At Petrus noster in epistola quinquagesima-sexta inuehitur in Episcopum, qui totam vitam, neglecto suo officio, canum venationi impendebat, quo fit vt venationis studium acrioribus verbis insectetur.

Ioannes Saresb. in Polycr. lib. 1. cap. 4. & Petrus Blesensis ex eo in epist. 56.

VENDITIO.

Vide Emptio. Mercator. b.

Venenum.

A. S. Patritius Scothorum Regem oratione sanauit, ac toti prouinciæ obtinuit quod nullum venenosum animal ibi viuere posset, quod non solum obtinuit, imo etiam ligna & coria illius regionis (vt dicitur) contraria sunt veneno. *In aurea legenda de eodem.*

B. Rex Mithridates dum puer esset, tutorum insidias passus est, cumque veneno petiere, quod metuens antidota sæpius bibit, vt nec volens quidem senex veneno potuerit mori. *Agellius lib. 17. cap. 16.*

C. Rutæ folia quatuor, cum duabus nucibus & totidem caricis, admixto sale, quotidie ieiunus Mithridates edebat. *Helinandus.*

D. Cum Mithridates vellet hausto veneno perire, ne à filio interficeretur, nec veneno confici posset, militem quendam inuitauit eique iugulum præbuit. *Eutropius lib. 6. Romanæ historiæ. Agellius lib. 17. cap. 16. scribit suo se gladio Mithridatem interemisse.*

E. Arnulphus Imperator hausto veneno

neno per triduum excitari non potuit, apertis oculis, nil loqui aut sẽtire valens. *In spec.hist.lib. 25. cap. 57.*

Mortuo Caio caligula inuenta est arca variorum venenorum, quibus Cæsare Claudio iubente demersis, infecta Maria redduntur, non sine magno piscium exitio, quos enecatos ad litora æstus eiecit. *Orosius lib 7. c. 5.*

VENIA.

A. NObilis quidam miles fratrem vterinum ab ignobili quodã occisum perdiderat. Fugiente autem de patria occisore, contigit vt nobilis ille cum multo comitatu, soli in agro occisori occurreret inopinato, qui cum euaginato gladio inimicum expetijt. Occisor in terram prostratus clamabat: Miserere mei nobilissime vir pro illo qui tui misertus morte sua mundum redemit. Continuo ille manum retraxit. Sed cum hoc ignauiæ ascriberetur à suis, & iterum manum extenderet, iterato veniam petenti ignouit, tertio increpatus, cum miser ille ob euasionem angustiæ quam esset omnis caro in extremo iudicio perpessura veniam precaretur, respondit: Et ego tibi prorsus mortem fratris indulgeo. Nec mora eadem die Ecclesiam ingressus vbi coram crucifixo flexit genua tertio, visus est à S. quodam viro ad singulas genuflexiones, Crucifixus caput inclinare. *Thomas Cantip. lib. 2. de apibus cap. 18.*

VENVS.

A. SOphocles ætate iam senior cum ab eo quidam quæreret, an etiam nunc rebus venereis vteretur. Dij meliora, inquit, libenter enim isthinc vt ex aliqua furiosa profugi dominatione. *Valerius libro quarto, capite tertio. Cicero in Catone.*

VENTER.

A. SErapion per triduum moratus Athenis à nullo panem accepit, nec pecuniam habebat, nec peram, vel pellem præter syndonem qua erat amictus. Cum ergo ieiunus vsque ad quartam diem peruenisset, cæpit fortiter esurire. Stetit ergo super colliculum vrbis vbi primates consiliũ habere consueuerant, & illic manus suas percutiendo vim se maximam pati clamabat dicens: Athenienses viri succurrite. Illi vero quæsierunt vnde venisset, vel quid pati se diceret? Ille respondit: Genere sum Ægyptius, conuersatione monachus, ex quo de patria mea discessi, trium fœneratorum manus incurri, quorũ duos quidem quocunque modo debitum soluens potui euadere, tertius autem adhuc retinet me, nec habeo vnde possim illi satisfacere. Illis autem quærentibus quis esset, & opem pollicentibus dixit: Cupiditas pecuniæ, desiderium voluptatis, & voracitas ventris. Hi tres semper mihi molesti fuerunt ab initio iuuentutis, quorum duos euasisse videor, tertiũ vero non possum ferre. Cum enim quarto die iam ex necessitate ieiunem, vrget me sæuus fœnerator, exigens debitum. Tunc quidam philosophorum obtulerunt ei denarium vnum. Quo ille sumpto & cuidam qui panes vendebat dato, pane ab eo suscepto, mox ab vrbe profectus est. *Heraclides in Paradiso suo.*

VENTVS.

Vide Magia. h.

VERECVNDIA.

A. TRansfeunte aliquando Abbate Effrem, vna prostituta ex immissione cuiusdã, cæpit ei blandiri, cupiens eum ad commixtionem allicere, vel saltem ad iracundiam prouocare, quia nunquam aliquis vidit eum irascentem & litigantem. Ipse autem dixit ad eam. Sequere me. Cum vero venisset in loco populoso dicit: Veni huc, sicut voluisti, commisceor tecum. Illa autem hoc videns dicit ei: Quomodo possumus hic hoc facere tanta multitudine astante? Ipse vero dixit ei: Si erubescis homines, quanto magis debemus eum erubescere, qui tenebrarum reuelat occulta? Illa sic confusa & confutata recessit. *In vitis Patrum libr. decimo, parte tertia.*

VERITAS.

Vide Dæmon.

VESTA.

A. DEæ Vestæ perhibent virgines solere seruire, quod sicut ex virgine, ita nihil ex igne nascitur. *August. de ciuit. Dei lib. 4. cap. 10.*

VESTIS.

A. SVnt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium, non putant esse peccatum. Quod si culpa non esset, nequaquam sermo
Lucæ 16. Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues qui torquetur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset, quã culpam inde agnoscimus, quia si adiectio vilis indumenti virtus non esset, Euangelista de S. Ioanne Bapt. non diceret, quod erat indutus pilis camelorum. *Greg. in quadam homilia.*

B. Quidam Rex Angliæ Gulielmus nomine, quodam mane cum calciaretur nouas caligas, quæsiuit á suo Cubiculario quanti constaret. Cumque ille respondisset, tribus solidis. Indignans, fili, inquit, meretricis, ex quo habet Rex caligas tam exilis pretij? Vade adfer mihi emptas marca argenti. Ille viliores adferens, tanti emptas mentitus est. Et ait illi Rex: Istæ regiæ maiestati conueniunt. Itaque ex eo tempore cubicularius pretium vestium eius pro voluntate numerabat. *Helmandus in Chronicis.*

VICTORIA.

A. REx Pyrrhus sicut ad deuincenda regna inuictus habebatur, ita deuictis & acquisitis celeriter carebat, tanto melius studebat acquirere imperia, quam regnare. *Vincentius in speculo hist. lib. 6. cap. 23.*

Faliscorum ciuitas aliquoties rebellando semperque aduersis contusa prælijs tandem se Quinto Lutatio Consuli dedere coacta est, aduersus quam sæuire cupiens populus Romanus, postquam à Papyrio cuius manu, iubente Consule, verba deditionis scripta erant, doctus est, Faliscos non potestati, sed fidei Romanorum commisisse, omnem iram deposuit, pariterque viribus odij non sanè facile vinci assuetis, & victoriæ obsequio, quæ promptissimæ licentiam subministrat, ne iustitię suæ deesset, obstitit. *Valerius libro sexto, cap. quinto. Liuius libro quinto. Florus lib. 1. capite 22. Frontinus lib. 4. Stratag. cap. 4.*

VIGILIA.

A. MOs fuit olim (vt refert Ioannes Beleth) vt in festis Sanctorũ, homines cum vxoribus & filiabus ad Ecclesiã venirẽt, & ibi cũ lumina- *Cap. 137. de Offic. Diuin.*

ribus pernoctarent, sed quia multa adulteria in ijs vigilijs fiebant, statutum fuit, vt vigiliæ in ieiunia conuerterentur. Nomen tamen antiquũ retentum est. *In aurea legenda de sancto Laurentio. Consule Baronum ad 5. Ianuarij in notis martyrol.*

VINDICTA.

A. QVidam frater læsus ab alio fratre venit ad Abbatem Sysoy Thebæum & dicit ei: Læsus sum à quodam, & me volo vindicare. Senex autem rogabat eum dicens. Noli fili, sed magis dimitte Deo vindictam. Ille vero dixit: Non quiescam, donec me vindicauero. Dixit ei senex: Oremus frater. Et surgens dixit: Deus iam te opus non habemus cogitare de nobis, quia nos ipsi vindictam facimus. Hæc audiens frater cecidit ad pedes senis dicens: Iam non contendam cum fratre meo, sed obsecro ignosce mihi. *In vitis Patrum lib. 16. parte prima.*

B. Quadam die dum Macarius Alexandriæ Præsbyter in cella matutinis sederet, vulneratus est in pede à culice doléſque manu sua eum premit, qui & moriens plurimum cruoris effudit. Reprehendens ergo se ita se condemnauit, vt in pratis Scythiæ nudus per sex menses sederet, vbi culices carbonibus similes perforant cutem. Sic ergo illic exulceratus est, vt elephantiosus appareret. *Heraclides in libro qui dicitur Paradisus.*

C. Post Pisistratum, Diocles filius eius per vim stuprata virgine à fratre puellæ interficitur. Hippias autem frater Dioclis tenens fraternum imperium comprehendi iubet fratris interfectorem, & nominare cogit omnes conscios cædis, qui consulto nominauit omnes amicos Tyranni, quibus interfectis interrogatus aliquis de conscijs superesset, respondit neminem esse quem amplius mori vellet præter ipsum Tyrannum, qua voce eiusdem Tyranni se victorem post vindictam sororis pudicitiæ ostendit. Huius virtute admonita ciuitas libertatis Hippiam regno expulit. *Iustinus libro secundo.*

VINVM.

DIcebant de Abbate Petro cognomento Pyamo, quia vinum non bibebat. Quando autem senuit, rogabant eum vt sumeret modicum vini. Qui cum nollet, tepefaciebant aquam, & ita ei offerebant, & dicebat: Credite filij, quia velut conditũ illud accipio, & adiudicauit se tepida aqua esse contentum. *In vitis Patrum libro quarto, parte tertia.* A.

Facta est aliquando celebratio missarum in monte Abbatis Antonij, & inuentum est ibi modicum vini, & senum vnus tollens paruum calicem portauit ad Abbatem Sisoy & dedit ei, & bibit semel. Secundo accepit & bibit. Obtulit ei & tertio, sed non accepit dicens: Quiesce frater, an nescis quia est Sathanas? *In vitis Patrum libro quarto parte quarta.* B.

Calentibus ingenijs substrahas vinum, quod pueris negandum Plato putat, ignem enim vetat igne excitari. *Seneca lib. 2. de ira cap. 20.* C. *Lib. 2. de Legibus.*

VIRGINITAS.

FErtur S. Basilij Cæsariensis Episcopi districta sententia. Et mulierem, inquit, ignoro, & virgo non sum. In tantum intellexit corruptionem carnis nõ tam in mulieris esse abstinentia, quam in cordis integritate. *Ioannes Cassianus de institutis monachorum lib. 6. cap. 19.* A.

Boues

B. Boues ex parte prata depauerant, porci etiam quædam suffoderãt, pars cætera quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat. Speciẽ, inquit S. Martinus, gerit illa pars, coniugij, quæ pecore depasta est, etsi non penitus amisit gratiam herbarũ, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa vero quam porci foderũt, fornicationis fœdam imaginem prætendit. Cæterum illa portio quæ nullam sensit iniuriam, virginitatis gloriam ostendit. *In Dialog. Seueri libro secundo, capite vndecimo.*

C. Cum Domitilla neptis Domitiani Aureliano filio Consulis nupta esset, SS. Nereus & Achilleus ei fidem prædicauerunt, & virginitatem commendauerunt. Illa vero inter cætera dixit: Scio patrem meum esse Zelotypum, & matrem meam ab eo conuitia multa passam esse: Nunquam vir meus talis futurus est. Cui illi: Quãdiu sponsi sunt, videntur esse benigni, sed mariti effecti crudeliter dominantur, & ancillas aliquando præferunt dominabus. Tunc illa credidit, & virginitatem vouit, & à S. Clemente velata est. *In aurea legenda de eisdem Sanctis.*

D. Triginta Atheniensium Tyranni cum Psidonem necassent, in conuiuio filias eius virgines ad se venire iusserunt, ac scortorum more nudari, ac super pauimenta patris sanguine cruentata impudicis gestibus ludere, quæ paulisper dissimulato dolore cum temulentos conuiuas cernerent, quasi ad requisita naturæ regredientes inuicem se cõplexæ præcipitauerunt in puteum, vt virginitatem morte seruarent. *Hieronymus contra Iouinianum libro primo, capite vigesimo-sexto.*

E. Certe Romanus populus quanto honore virgines semper habuerit, hinc apparet, quod Consules & Imperatores & in curribus triumphantes & omnis magistratus eis de via cedere solitus sit. *Idem ibidem.*

F. Spartiatæ & Messenij diu inter se habuere amicitias, in tantum, vt ob quædam sacra etiam virgines ad se mutuo mitterent. Quodam ergo tẽpore cum quinquaginta virgines Lacedæmoniorum Messenij violare tẽtassent, de tanto numero ad stuprum nulla consensit, sed omnes libenter pro pudicitia occubuerunt. Quare graue bellum & lõgissimum concitatum est. *Idem libro primo, cap. 26.*

VISVS.

A. Ascendit præsbyter de Scythi ad Episcopum Alexandriæ, & quãdo reuersus est interrogauerunt eum fratres, quomodo est ciuitas? Ille respondit: Credite mihi, quia ibi faciem nullius vidi nisi Episcopi. Extorsi animum meum ne intuerer faciem hominis. Ex qua relatione profecerunt fratres. *Ex l. doctrinæ Patrum num. 12. & lib. de mortificatione propriæ sensualitatis, numero 31.*

B. Dicebãt de Abbatissa virgine Sara, quod super alueum fluminis sexaginta annis habitauerit, & nunquam inclinata est, vt fluuium aspiceret. *In vitis Patrum libro septimo, parte 2.*

C. Dum Iulianus Apostata Constantinopoli sacrificaret Fortunæ, Maris Episcopus Chalcedonæ, qui præ senio lumen amiserat, ipsum impium & Apostatã appellauit. Cui Iulianus ait: Neque galilæus tuus potuit te curare? At ille: Deo gratias ago, quia ideo me lumine priuauit, ne te videã pietate priuatum. Iulianus autem nihil amplius respondens abscessit. *In aurea legenda de decollatione S. Ioannis Baptistæ, & hist. tripart. lib. 6. cap. 6.*

Cum

D. Cum S. Franciscus propè Assisium, in quodam domicilio valde stricto cũ fratribus suis morã traheret, accidit, vt Romæ coronandus Imperator Otto cum magna pompa illac transiret. At vir sanctus cum secus viam maneret, nec ipse nec aliquis fratrum saltem aspicere de tugurio voluit, præter vnum solum ex ipsis, cui gloriam huiusmodi modicũ duraturam Imperatori constanter nunciare præcepit. *In spec. hist. lib. 31. c. 99.*

E. Quosdam legimus effodisse sibi oculos ne per visum à contemplatione philosophiæ auocarentur. *Hieronymus contra Iouinianum.*

F. Ammonius ita sine curiositate fuit vt Romam cum Athanasio veniens nullum opus inspiceret ciuitatis, nisi tantum Petri & Pauli basilicas. *Socrates in trip. hist. lib. 8. capite primo.*

G. S. Bernardus annum in cella nouitiorum exegerat, cum adhuc putaret in capite Ecclesiæ vnam tantum vitream esse fenestram, cum tamen tres essent. *In eius gestis apud Surium 20. Aug. lib. 1. cap. 4.*

Vita.

A. S. Barlaam interrogatus à Iosaphat quot esset annorum & vbi conuersaretur, respondit: Annorum sum quadraginta quinque in desertis terræ Sennaar degens. Ad quem Iosaphat. Amplius Pater mi quam 70. annorum appares. At ille si à natiuitate mea quæris discere, sum amplius quam septuaginta annorum, sed non à me computantur quotquot in vanitate seculi consumpsi. *In aurea legenda de Barlaam.*

B. Sacerdotes arborum solis & lunæ, vtentes pomis solis & lunæ, 400. annos viuebant illæsi. *Ibidem cap. 5. de Alexandro in notula marginali.*

C. Plinius secundus dicit esse adhuc gentem, vbi ducentos annos viuitur. *August. de ciuit. Dei lib 15. cap. 9.* *Lib. 7. ca. 48. hist. nat.*

D. Anno Domini 104. Ioannes de Temporibus, defunctus est qui vixit 361. annis, à tempore Karoli magni cuius armiger fuerat vsque ad Ludouicum iuniorem. *In Chronico Martini Poloni. Auctores plures adfert Genebrardus lib. 4. Chronol.* *vel A stampu.*

Vitrvm.

A. Apud Petronium Trimalchio refert Fabrum fuisse qui vitrea vasa faceret tantæ tenacitatis, vt non magis quam aurea, vel argentea frangerentur. Qui cum phiala vitrea quadam die adiens Cæsarem admissus est, monstrata soliditate vasis illius per eius vehementissimum iactum super pauimentum & mallei tunsionem, quæsiuit Imperator, an alius hanc sciret vitrorum condituram. Quod cum negaret, eum decollari præcepit, dicens, quia si hoc artificium innotesceret, aurum & argentum vilescerent quasi lutum. *Ioannes Saresb. in Polyc. lib. 4. cap. 5. & P. Damianus l. 4. postrema epistola.*

Volatvs.

A. Fauorinus philosophus affirmat simulachrum columbæ è ligno ratione quadam & disciplina mechanica factum ab Archyta volasse. *Agellius in libr. 10. cap. duodecimo, noctium Atticarum.*

B. Circa annum Domini 1070. fuit quidam Oliuerus nomine, qui ante in iuuentute pennas & manibus & pedibus suis nescio qua arte innexuit, vt Dædali more volaret, qui tandem venti & turbinis violentia simul & temeritatis cõscius cæcidit,

perpetuo postea debilis crura effectus. Ipse vero ferebat fuisse causam suæ ruinæ, quod caudam in posteriori parte fuerat oblitus aptare. *Helinandus in Chronicis.*

VOLVNTAS.

A. Metellus Celer stuprosæ mentis acer punitor fuit. Gn. Sergio Silo promissorum matrifamiliæ nummorum gratia diem ad populum dicendo, eumque hoc vno crimine damnando. Non enim factum tunc, sed animus in quæstionem deductus est, plusque voluisse peccare nocuit, quam non peccasse profuit. *Valerius libro sexto, capite primo.*

VOLVPTAS.

A. Senectutem dicunt carere voluptatibus. O quam præclarum munus ætatis! Siquidem id aufert quod in adolescentia est vitiosissimum. Archyta enim Tarentinus dixit nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis à natura datam. Et Plato, escam malorum eam vocat. *Tullius in libro de Senectute.*

B. Sæpe audiui à maioribus natu, qui se pueros à senibus audisse dicebant mirari solitum Fabritium quod cum apud Regem Pyrrhum legatus esset, audisset à Thessalo Ciue esse quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur, eumque dicere omnia quæ faceremus ad voluptatem esse referenda. Quod ex eo audientes M. Curium & Titum Cornucanum optare solitos vt id Samnitibus ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. *Vbi supra.*

C. Quanto caro sibi procurat suauiorem cibi molliciem, tanto post exhalabit putrefacta fœtorem. Venetiarum Ducis cuiusdam vxor tam tenere & delicatè viuebat, vt se communibus aquis dedignaretur abluere, sed eius serui de rore vndique collecto laboriosum ei balneum preparabant, cibos non manibus ori, sed furcinulis aureis adhibebat, redolebat eius cubile diuersis generibus aromatum. Sed dum adhuc viueret, corpus eius computruit, ita vt totum cubiculum intolerabili fœtore compleret, nec fœtorem aliquis tolerare poterat, nisi ex ancillis vna, & sic miserè obijt amicis etiam lætantibus, relinquens exemplum vt carnis abnegantes delicias, iugiter habeamus ante oculos finem nostrum. *Guilbertus Tornacensis in tractatu de morte ex Petri Damiani epistola septima, capite nona ad blancam Comitissam.*

D. Iulius Cæsar aiebat in bello corpora hominum gladijs, in pace voluptatibus vulnerari. *Ioannes Saresberiensis in Polycratico libro quarto, capite tertio.*

E. Cato dicebat militibus suis. Cogitate cum animis vestris si quid per laborem rectè feceritis, labor iste recedet à vobis cito benefactum à vobis dum viuitis non recedit: sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum apud vos semper manebit. *Vincentius in speculo histor. libro sexto, capite 107.*

VOTVM.

Votum.

A. QVi voto aliquid dederat, si volebat illud emere, vltra æstimationem pro quo alij daretur, addere debebat quintam eius partem, quod ideo statutum est, ne qui vouerat, ad recipiendum quod vouerat, aspiraret quasi pænitentia ductus, ne etiam digniorem se alijs in emptione eius rei se putaret, quia eam dederat. *In hist. scholast. super Leuiticum, cap. de decimis & votum.*

Vox.

A. IN vim vocis interdum est timor incitamentum, quam non solum acuit, sed etiam si nunquam fuerit extorquet. Denique cum Olympiade 58. victor Cyrus intrasset Sardis Asiæ oppidum, vbi tunc Cræsus latebat, Achis filius Regis mutus ad id vsque tempus in vocem erupit timoris. Exclamasse enim dicitur. Parce patri meo Cyre, & hominem te esse vel casibus nostris disce. *Solinus de mirabilibus mundi, cap. de homine. Valerius Maximus libro quinto, capite quarto. Agellius lib. quinto, cap. nono. Herod. lib. 1.*

Vsura.

A. SIcut cum serpens mordet in silentio, parum effectus illius percipitur in principio, sed postea inflatur, sic vsuræ malum non sentitur in principio, sed postea ascendit ad magnam summam, & deuorat totam hominis substantiam. *Rabbi Salomon super Exodum, capite vigesimo-secundo.*

B. Parisius quidam magnus vsurarius compunctus, Mauritium Episcopum consuluit, quomodo saluus fieret. Ille in ædificatione Ecclesiæ beatæ Mariæ virginis feruens consuluit ei, vt pecunias suas ad structuram Ecclesiæ illius daret. Qui hoc consilio aliquantulum sibi suspecto, magistrum Petrum Cantorem adijt. Qui dixit ei: Vade, & fac clamare quod paratus sis omnibus restituere. Factumque est ita. Deinde rediens ad Cantorem, dixit: Omnia iniustè ablata teste conscientia omnibus venientibus ad me restitui, & adhuc supersunt plurima. Tunc ille ait: Modo poteris eleemosynas facere. Ipse etiam per plateas nudus in femoralibus incessit seruo cum virga ipsum impellente & clamante: Ecce quem pro pecunijs suis Principes honorabant. *Cæsarius in Dialogis Miraculorum libro secundo, capite trigesimo-quarto.*

C. Prædicator quidam volens ostendere ignominiosum vsurandi officium, cum in fine sermonis faceret absolutionem, dixit, quod omnes ad absolutionem surgerent, iuxta officia sua, prout eos vocaret. Primo dixit: Surgant fabri, quibus surgentibus & absolutis dixit: Surgant panifices, & sic de alijs, & in vltimo dixit: Surgant vsurarij. Et licet plures essent, nullus surrexit, sed se abscondebant, & alijs irridentibus recesserunt confusi. *Iacobus de Vitriaco.*

D. Sacerdos quidam monebat vsurarium de salute sua, quia grauiter infirmabatur: Sed de restitutione facienda admonitus dixit. Quomodo hoc facerem? nihil mihi, neque meis filijs remaneret. Cui Sacerdos: Sinè hoc non potestis saluari. Et ille: Dicunt ita sapiētes, & scripturæ? Ille autem: Ita verè. At ille: Et ego volo probare vtrum dicant verum,

quia non restituam. Et sic mortuus est, magis timens paupertatem præsentem, quam futuram pœnam. *Humbertus de dono timoris.*

E. Vt ait Tullius: Cum à Marco Catone stoico philosopho quæreretur, quid esset fænerari? respondit: Quid hominem occidere. *In speculo historiali libro sexto, capite decimo-septimo.*

VTENSILIA.

A. QVid de Fabritij Luscini censura loquar? narrauit omnis ætas, & deinceps narrabit. Ab eo Cornelium Rufinum duobus consulatibus & dictatura speciosissimè functum, quod decem pondo vasa argêtea comparasset, perinde ac malo exêplo luxuriosum, in ordine Senatorio retentũ non esse. *Valerius libr. 2. cap. 9. Liuius lib. 14. Agellius lib. 4. cap. 8.*

VTILITAS.

Vide Honestas. a. Iustitia. f.

VVLPES.

A. VVlpes si diu esurit, volutat se in puluere, & fingit se mortuam. Ergo volatilia veniunt, & dum volunt eam comedere, comeduntur. Vulpecula ludit cum leporibus, & sic illos occidit. *Hieronymus in epistola ad Præsidium.*

VVLTVS.

Vide Antonius. f. Facies.

VXOR.

A. DVm quædam matrona inflammata amore S. Edmundi quædã ei sub obsequij velamine offerret, vt per hæc eius animum ad se facilius inclinaret, ille versutiæ muliebris non ignarus, quæsiuit ab ea an ei de consensu mariti hæc offerret? Et illa. Latent ista, inquit, maritum. Cui ille. Sine viri tui consensu non recipiam dona tua: Sicque mulier verecundata dona sua retulit, & ipse ab eius impetitione liber fuit. *In vita eius apud Surium tomo sexto.*

B. Gorgias Rhetor librum pulcherrimum de concordia Græcis inter se dissidentibus recitauit Olympiæ, cui Melantius inimicus eius: Hic, inquit, nobis de concordia præcipit, qui se & vxorem & ancillam, tres in vna domo concordare non potuit. Æmulabatur enim vxor eius ancillæ pulchritudinem, & virum castum quotidianis iurgijs exagitabat. *Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. cap. 29.*

C. Cicero rogatus ab Hircio vt post repudium Terentiæ, sororem eius duceret, non acquieuit, dicens se non posse & vxori, & philosophiæ simul operam dare. *Petrus Blesensis epist. 79. Herod. lib. 1. in Iouinianum cap. 29.*

D. Pacuuius flens ait vicino suo: Amice arborem habeo in horto infælicissimam, a qua suspendit se vxor mea prima, & secunda, & tertia. Cui respondit amicus: Miror te in tãtis successibus lachrymas inuenisse. Et idẽ: Dij boni arbor illa á quot dispendijs te suspendit. Dã mihi surculos de arbore tua vt in mortem vxoris meæ viuificetur, & crescat. *Idem.*

E. Fertur Theophrasti liber de nuptijs, in quo quæritur. An vir sapiens ducat vxorem? Et cum definisset, si pulchra esset, bene morigerata, honestis nata parentibus, si ipse sanus & diues sit sapientem inire aliquando matrimonium. Hæc autem raro cõcordant. Non est igitur vxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia sapientiæ. *Et infra.* Si quandoque bona fuerit & suauis vxor (quæ tamen rara auis) cum parturiente gemimus, cum periclitante

torque-

torquentur. Sapiens autem nunquam solus esse potest, quod si hominum copia defuerit, loquitur cum Deo. Porro liberorum causa vxorem ducere, stolidissimum est &c. Hæc & multa alia scripsit Theophrastus *teste Hieronymo contra Iouinianum libro primo, capite 28.*

F. Philippum Regem Macedonum intrantem ex more cubiculum vxor exclusit irata, qui exclusus tacuit, & se versu tragico consolatus est. *Idem Hieronymus ibidem.*

G. Martia Catonis filia minor cum ab ea quæreretur cur post amissum maritum denuo non nuberet, respondit: non se inuenire virum qui magis se quam sua vellet. Quo dicto ostendit diuitias magis in vxoribus eligi solere, quam pudicitiam. *Idem ibidem.*

H. Marcus Cato Censorius habuit vxorem Actoriam Paulam humili natam loco, violentam, impotentem & superbam. Hæc ideo, ne quis putet si pauperem duxerit, satis se concordiæ prouidisse. *Ibidem.*

I. Legimus apud Romanos quendam nobilem cum eum amici arguerent, quare vxorem formosam, castam, & diuitem repudiasset protendisse pedem, & dixisse eis, & hic soccus quem cernitis nouus videtur vobis & elegans, sed nemo scit præter me vbi me premat. *Ibidem.*

K. Scribit Herodotus quod mulier cum veste deponat verecundiam, & noster Comicus fortunatum putat, qui vxorem nunquam duxerit. *Idem capite vigesimo-nono.*

L. Phoronæus Rex die qua decessit, legitur dixisse Leontio fratri suo, nil defuisse sibi ad plenam fælicitatem, si defuisset vxor. Cui quærenti causam, respondit: Sciunt hoc omnes mariti. *Petrus Blesensis epistola septuagesima-nona.*

M. Cum Marius filiam suam dote diuitem, forma nobilem, fama celebrem, genere illustrem, Metello in coniugium obtulisset. Malo, inquit, Metellus meus esse quam suus. Cui Marius: Imo ipsa tua erit. Virum, inquit Metellus, oportet esse vxoris, nam ratione logicæ talia sunt prædicata, qualia subiecta esse permiserint. Sic vrbanitate verborum diuertit ab oneribus dorsum suum. *Ibidem.*

N. Repudium inter vxorem & virum á condita vrbe vsque ad centesimum & quinquagesimum annum nullum intercessit. Primus autem Spurius Caruilius vxorem sterilitatis causa dimisit, qui etsi tolerabili causa motus videbatur, reprehensione tamen non caruit. *Valerius libro 2. cap. 1.*

O. Quoties inter virum & vxorem aliquod iurgium intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in palatio, veniebant, & inuicem ibi loquuti contentione deposita cōcordes redibant. *Ibi.*

P. Veneficij quæstio & moribus, & legibus Romanis ignota, complurium matronarum comperto scelere orta est, quæ cum viros clandestinis insidijs veneno perimerent, vnius indicio ancillæ protractæ, & capite damnatę centum & septuaginta numerum expleuerunt. *Idem vbi supra.*

Q. Horridum G. Sulpitij Galli supercilium maritale. Nam vxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognouerat, abscisa sententia, sed tamen aliqua ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, vlterior tui conspectus superuacua irritatione accersitus in suspicione &

crimine hæreat necesse est. *Idem libro sexto, cap. tertio.*

R. Antistius repudiauit vxorem, quod illam in publico cum quadam Libertina vulgari secreto, loquentem viderat. *Ibi.*

S. Tertia Æmiliani Africani prioris vxor mater Corneliæ matris, Gracchorum, tantæ fuit comitatis & patientiæ, vt cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit, ne domitorem orbis impatientiæ reum ageret, tantumque eius mens à vindicta abfuit, vt post mortem Africani manumissam ancillam in matrimonium Liberto suo daret. *Valerius libro sexto, capite septimo.*

Sulpitia cum à matre Iulia diligenter custodiretur, ne Lentulum virum suum proscriptum á Triumviris in Siciliam sequeretur, nihilominus famulari veste sumpta, cum duobus seruis & ancillis fugit, nec recusauit seipsam proscribere, vt ei fides sua in coniuge proscripto constaret. *Ibi.*

Artemisia Regina Cariæ vxor Mausoli in hoc maximè effertur, quod defunctum maritum sic semper amauit, vt viuum, & miræ magnitudinis & pulchritudinis extruxerit sepulchrum, in tantum vt vsque hodie omnia sepulchra pretiosa ex nomine eius Mausolea vocentur. *Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. cap. 27. Agellius lib. 10. cap. 18. Tullius Tuscul. 3.* T.

FINIS.

APPROBATIONES.

Perlegi diligenter hunc MANIPVLVM EXEMPLORVM, & nihil reperi ſacræ fidei aut ſanis moribus contrarium: ſed omnia exempla, & annotata plena ſunt pietate.

Ita teſtor F. LEANDER DE S. MARTIN, *Benedictinus.*

Huius iudicio & cenſuræ ſubſcripſi, & opus hoc vtiliter excudi poſſe cenſui. Duaci, 10. Octobris 1612.

GEORGIVS COLVENERIVS *S. Theol. Doctor & Profeſſor, & in Academia Duacena librorum cenſor.*